HANDBOUND
AT THE
UNIVERSITY OF
TORONTO PRESS

(23)

CODEX

DIPLOMATICUS ET EPISTOLARIS

MORAVIAE.

STUDIO ET OPERA

ANTONII BOCZEK,

SOCIETATIS SCIENTIARUM BOEMICAE ET ALIARUM MEMBRI,
PROFESSORIS EMERITI, HISTORIOGRAPHI AC ARCHIVARII STATUUM MARCHIONATUS
MORAVIAE.

[illegible] usum simplicem
P. Placidi Franciscus
[illegible] 30 xr [illegible]

PHAVRETUS KANICENSIS.

TOMUS QUARTUS

AB ANNIS 1268 – 1293.

OLOMUCII, 1845.
EX TYPOGRAPHIA ALOYSII SKARNITZL.

DB
543
C66
t.4

LIBRARY
SEP 16 1966
UNIVERSITY OF TORONTO

1123974

EXCELLENTISSIMI AC ILLUSTRISSIMI

DOMINI, DOMINI

ANTONII FRIDERICI

E COMITIBUS

MITROWSKY

DE MITROWIC ET NEMYŠL,

DOMINI IN WIESENBERG IN MORAVIA; SUAE SACRAE CAESAREAE REGIAEQUE MAJESTATIS CONSILIARII INTIMI ATQUE CAMERARII ACTUALIS; EQUITIS AUREI VELLERIS; SIMULQUE ORDINIS CAESAREI AUSTRIACI LEOPOLDINI, CUJUS ET CANCELLARIATU FUNGEBATUR, NEC NON ORDINIS SANCTI JOANNIS HIEROSOLYMITANI MAGNA CRUCE DECORATI; SUPREMI REGNI CANCELLARII; PRAESIDIS CAES. REG. AULICAE IN STUDIIS COMMISSIONIS; PLURIMARUM SOCIETATUM A SCIENTIIS MEMBRI MERITISSIMI ETC. ETC. ETC.

PIIS MANIBUS.

I.

Clemens papa IV. regi Boëmiae significat, se votis ejus de elevanda ecclesia Olomucensi in metropolitanam annuere non posse. Datum Viterbii, XIII. Kalendas Februarii, 1268.

Clemens episcopus seruus seruorum dei. Carissimo in Christo filio . . Regi Boemie illustri salutem et apostolicam benedictionem. Significauit nobis regia celsitudo, quod tu in breui contra infideles in *Galandia. Getuesia, Letowia et aliis adiacentibus prouinciis* existentes, qui dilectos filios fratres hospitalis S. Marie Teutonicorum et alios Christi fideles in Pruscie partibus constitutos incessanter affligunt iuxta conuentionem inter te ac fratres ipsos habitam proponis in manu forti procedere, ac illos diuina fauente clementia conuertere ad cultum fidei christiane; quodque venerabilis frater noster . . Olomucensis episcopus, signo viuifice crucis assumpto, tecum se conferre proponit ad ipsum negotium fidei promouendum. Quare nobis deuota precum instantia supplicasti, ut, cum in regno Boemie, marchiatu (sic) Morauie, Austrie ac Stirie ducatibus tibi subiectis, nulla sedes archiepiscopalis existat, licet antiquitus in Morauia sedes huiusmodi fuisse dicatur, venerabili fratri nostro . . archiepiscopo Salzeburgensi committere curaremus, ut, si dictas Letowiam, Galandiam et Getuesiam, vel ex eis tantum de predictorum infidelium manibus eripi domino permittente contingeret, quod possit exinde metropolis statui congruenter, *Olomucensem ecclesiam archiepiscopali dignitate presignire curaret,* ac alias in terris eisdem ecclesias erigeret cathedrales, que ipsi Olomucensi ecclesie tamquam metropolitane subessent. Profecto, fili carissime, tuum in hac parte desiderium, quod ex zelo magne deuotionis prodire percipimus, dignis in domino laudibus commendamus. Sed quia dicta Olomucensis ecclesia subiecta est, sicut te ignorare non credimus, Maguntine, votis tuis super hoc annuere sine ipsius ecclesie Maguntine preiudicio nequimus. Nihilominus autem propter hoc in tam laudabili proposito non tepescas, quinimmo prosequens fortitudinis spiritum, quem assumpsisse videris contra prefatos infideles, sperans de superne clementie virtute procedas. Nam si fuerit tibi ex alto permissum, quod de predictis terris tantum conquirere valeas, quod ad statuendam metropolim sufficere dinoscatur, super his prouidere curabimus, prout tuis iustis desideriis congruere, ac utilitati partium illarum viderimus expedire. Datum Viterbii, XIII. Kalendas Februarii. Pontificatus nostri anno III.

Ex autographo Regesto Clementis IV. tom. 3. anni III. epist. 141. in tabulariis Vaticanis.

II.

Idem episcopo Olomucensi concedit, ut terras Galandiae et Getuesiae, cum e manibus infidelium ereptae fuerint, in spiritualibus regere possit. Datum Viterbii, VIII. Kalendas Februarii, 1268.

Clemens episcopus seruus seruorum dei. Venerabili fratri . . episcopo Olomucensi salutem et apostolicam benedictionem. Ad exercendum opus dominicum tamquam vir magnanimus et deuotus exsurgens, proponis, sicut accepimus, una cum carissimo in Christo filio nostro . . illustri rege Boemie contra barbaras nationes inimicas eiusdem fidei, viuifice crucis assumto signaculo proficisci. Unde cum eidem regi per apostolicas litteras duxerimus sub certa forma inter alia concedendum, ut si terras Galandie et Getuesie de manibus eorumdem infidelium per potentiam dicti regis eripi domino permittente contigerit, idem rex possit illas ad manus suas libere et licite retinere: nos dicti regis supplicationibus annuentes, fraternitati tue, de qua plenam in domino fiduciam obtinemus, presentium auctoritate concedimus, ut terras easdem, cum fuerint deo propitio taliter acquisite, valeas in spiritualibus regere, dirigere, ac earum nationes doctrinis salubribus informare, sine iuris preiudicio alieni, donec super his duxerimus aliter prouidendum. Nulli ergo omnino hominum liceat, hanc paginam nostre concessionis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis antem hoc attemptare presumpserit, indignationem omnipotentis dei et beatorum Petri et Pauli apostolorum eius se nouerit incursurum. Dat. Viterbii, VIII. Kalendas Februarii. Pontificatus nostri anno III.

Ibidem — epist. 142.

III.

Alexius, archidiaconus Znoymensis, et praepositus in Wolframskirchen, sigillat protestationem Agnetis, relictae Ekhardi de Miroslaw, super jure patronatus in Droskowice monasterio Oslowanensi donato. Dt. Znoymae, VI. Idus Februarii, 1268.

Nos Alexius miseracione diuina archidiaconus Znoemensis. et prepositus in Wolframskirchen. Omnibus hanc literam inspecturis. salutem in nomine Iesu Christi. Ad tocius litis et calumpnie depressionem. successoribus in futurum. Notum sit presencium inspectoribus et auditoribus vniuersis. quod domina *Agnes relicta domini Ekhardi viri nobilis de Mirzlaus* protestata est. quod eius mediante consensu. idem Nobilis felicis recordacionis. Ivs patronatus ecclesie ville de *Drozkouiz.* cuius collacio ad eum libere spectabat. contulerit Abbatisse et conuentui de *Ozla.* cisterciensis ordinis. propter deum. recedentes vna cum ipso ab omni iure quod in ipsa videbantur habere. prout in litteris exinde confectis plenius dinoscitur contineri. Uerum quia proprio sigillo caruit. super huiusmodi protestacione. collacione et recessu. presens transcriptum ad ampliorem rei memoriam inde conscribi petiuit. et sigilli nostri munimine recipere firmamentum. Datum in Znoim. VI. Idus Februarii. Anno domini Millesimo Ducentesimo. Sexagesimo. VIII. presentibus domino Henrico plebano de Mirzlaus. Domino Bartholomeo decano Znoimensi. Hermanno quondam decano Znoimensi. Iordano de Wischnowe. Petro de Vrenen. plebanis. Peregrino. capellano plebani de Vrenen. et aliis quam plurimis.

Ex originali cum sigillo illaeso ejusdem monasterii.

IV.

Alexius, miles Ulrici de Drnoholec, burggravii Znoymensis, emit a monasterio Oslowanensi villam Martinice excepto jure patronatus. Datum Znoymae, VI. Idus Februarii, **1268.**

In nomine domini amen. Ego Alexius miles viri nobilis Domini Vlrici de Dvrrenholz Burggravii znoimensis Omnibus hanc litteram inspecturis ad rei memoriam sempiternam. Actiones que racione pietatis congrue ac iuste fiunt ex deuocione propter Christum ut stabiles ac firme permaneant et ut tollatur litis occasio successoribus in futurum. decens est et necesse ut litterarum apicibus ad repressionem tocius calumpnie perhennentur. Inde est quod protestor et notum esse cupio presencium inspectoribus et auditoribus vniuersis quod dudum ante contractum matrimonium per uerba de presenti cum Domina mea *Zweizla uxore mea* de uoluntate liberalissima et consensu serenissimi Domini Otackari Regis Boemorum Quinti inter Abbatissam et Conuentum Monialium de *Ozla* Cisterciensis Ordinis ex parte una et me ex altera quidam contractus de facto interuenit scilicet de emptione cuiusdam ville *Mertiniz* nomine pro nonaginta marcis puri argenti que habet XXXII. laneos et XIII. subsides. prata et pascua quam plurima. quam eedem Abbatissa et Conuentus de Ozla iusto titulo ab ipsa cenobii fundatione quiete et pacifice possederunt interposita dumtaxat pia conditione et consuetudine approbata ut post mortem meam exclusis uxore mea et filiis si quos habiturus fuero in futurum et heredibus vniuersis villa dimidia de Mertiniz pro remedio anime mee et salute carorum meorum sine omni contradictione et cauillatione qualibet ad proprietatem pristinam et usus dominarum rediret excepto ivre patronatus ecclesie ville de Mertiniz. quam ad collationem et presentationem prefate Abbatisse et Conuentus sibi ipsis specialiter reseruarunt. hoc eciam adiecto quando carnis debitum soluero moriendo si qui lanei in eadem villa inhabitabiles fuerint et inculti cum aliis laneis bene cultis inter Abbatissam et Conuentum et heredes equa sorte cum pratis et pascuis diuidantur. Actum in Znoim. II. Idus Maii. In huiusmodi debiti contractus conditionis pie consuetudinis approbate memoriam testimonium et cautelam quia sigillo proprio carui presentem paginam sigillo domini mei domini

Vlrici viri nobilis de Dvrrenholz burgrauii znoimensis et sigillo domini Idiconis camerarii vetoviensis volui recipere firmamentum. Datum in Znoim VI. Idus Februarii anno domini M. CC. LXVIII. presentibus Alexio archidiacono znoimensi et preposito in Wolframskirchen. Domino Hartlebo de Miszelboriz. Domino Stephano vngaro. Domino Gerozlao de Kneniz. Ranciro zvdario znoimensi. Zvzcreio et Orrtlino fratre suo. Hadmaro provinciali znoimensi et aliis quam pluribus ibidem collectis.

Ex originali ejusdem monasterii cum sigillis illaesis.

V.

Hartlibus, camerarius Morariae, attestatur, Alexium militem emisse villam Martinice a monasterio Oslowanensi. Datum Brunae, IV. Idus Februarii, **1268.**

Nos Hartlibus camerarius Moravie et burgravius in eichorns. Ad rei memoriam sempiternam. Malicia temporis et hominum exigit ac requirit ut ea que legitime congrue ac pie ordinata fuerint ex deuocione propter Christum litterarum apicibus et testium subscripcionibus roborentur. Ad repressionem igitur tocius litis et calumpnie successoribus in futurum notum esse volumus presencium inspectoribus et auditoribus vniuersis quod inter Abbatissam et Conventum de *Ozla* cisterciensium ordinis ex parte vna et dominum *Alexium* Militem viri nobilis domini Vlrici de Dvrrenholz burgrauii znoimensis ex altera quidam contractus de facto interuenit de consensu et voluntate liberalissima domini regis Othakkari Boemie Quinti dudum tamen ante contractum matrimonium per verba de presenti cum domina sua videlicet domina *Zweizla vxore sua* de emptione cuiusdam ville *Mertiniz* nomine pro nonaginta marcis puri argenti que habet XXXII. laneos et XIII. subsides prata et pascua quam plurima quam eedem Abbatissa ac Moniales iusto titulo ab ipsa cenobii fundacione quiete et pacifice possederunt. interposita dumtaxat pia condicione et consuetudine approbata vt post mortem suam exclusis uxore sua et filiis si quos habiturus in futurum fuerit et heredibus vniuersis villa dimidia de Mertiniz pro remedio anime sue et carorum suorum sine omni contradictione et cavillacione qualibet ad proprietatem pristinam et vsus rediret dominarum excepto ivre patronatus Ecclesie ville de Mertiniz quam prefate Abbatissa et conventus ad collationem et presentationem sibi ipsis specialiter reseruarunt. hoc eciam adiecto quando sepedictus Miles carnis debitum persoluerit moriendo si qui lanei in eadem inhabitabiles fuerint et inculti cum aliis laneis bene cultis inter abbatissam et conventum et heredes equa sorte cum pratis et pascuis dividantur. Actum in Znoim pridie Idus Maii. In huius debiti contractus condicionis pie consuetudinis approbate memoriam testimonium et cautelam presentem paginam sigilli nostri munimine fecimus roborari. Datum in brunna anno domini M. CC. LXVIII. IIII. Idus Februarii presentibus dominis. Bohvsone et Hartmanno fratribus de Zeblowiz. Bznatone de Tazzowe. Cvnone quondam burgrauio in Eychorns. Matheo de Gabbals. Leone zvdario brunnensi et aliis quam pluribvs.

Ex originali ejusdem monasterii cum sigillo illaeso.

VI.

Otakarus, rex Boëmiae et marchio Moraviae, Stephano, civi Olomucensi, confirmat officium de vasis trahendis, vulgo Schrottamt seu ljžné. Datum Pragae, XIV. Kalendas Martii, **1268.**

In nomine domini sancteque et indiuidue trinitatis Amen. Nos Ottakarus, dei gracia Boemie rex, dux Austrie et Styrie, ac marchio Morauie, omnibus in perpetuum. Ab humana sepe memoria facta mortalium processu temporis euanescunt, nisi scriptis authenticis iuxta celeberrimas veterum traditiones fuerint perhennata. Ad notitiam igitur tam presentium quam futurorum volumus peruenire, quod *Czepano, ciui* nostro *Olomucensi,* pensatis sue meritis probitatis et obsequiis, patri nostro clare memorie et nobis dudum exhibitis, et adhuc vita comite in posterum exhibendis, officium de vasis trahendis vulgo *Schrolambt seu Lyzne* uocatum in *Olmucz,* sicut hactenus tam a patre nostro quam a nobis tenuit, authoritate regia de consueta benignitatis gracia confirmamus, cum omni plenitudine sui iuris sibi suisque heredibus masculini tantum sexus perpetuo possidendum pacifice et quiete, indulgemusque nichilominus eidem de gracia speciali, prefatum officium beneficiumue pro sue libito voluntatis legandi, dandi, obligandi, locandi, vendendi atque donandi cuicunque voluerit liberam facultatem. Concedentes eidem in testimonium huius confirmationis presentem paginam sigillorum nostrorum appensionibus insignitam; testibus, qui aderant, annotatis, qui sunt hii: Andreas, Camerarius Boemie. Gerossius, Purccrauius de Egra et de Cubito. Hartlews, Camerarius Morauie. Milotha, frater quondam Benessii. Seborius, filius Egidii. Cheirnein et Bolibor, fratres Hartlewy Camerarii, dilecti fideles terrarum nostrarum Boemie et Morauie, et alii quam plures. Actum Prage Anno Domini M. CC. LXVIII. XIIII. Kalendas Martii. Datum ibidem per manus Magistri Petri, venerabilis prepositi Wissegradensis, Cancellarii regni nostri. Anno et die superius annotatis.

Ex originali cum sigillo laeso in archivo civitatis Olomucensis.

VII.

Conventio inter decanum et capitulum Olomucense ratione villae Přjkaz, donatae a nobili viro Martinkone. Datum Olomucii, die 22. Februarii, 1268.

In nomine domini Amen. Honorabili et dilecto in Christo Bartholomeo, Olomucensi decano, Herbordus prepositus, magister Iohannes Olomucensis, Symon Brechzlauiensis, Alexius de Wolbramskirch et Heydolphus de Cremsyr, prepositi Znoymensis et Prerouiensis archidiaconi, Bartholomeus, Petrus, Iohannes, Cuno, canonici, totumque capitulum Olomucensis ecclesie sinceram in domino cum reuerencia puritatem. Tenore presencium vniuersi et singuli protestamur, quod vna vobiscum super medietate ville de *Prekaz*, quam ex donacione bone memorie nobilis viri *Martinkonis de Prekaz* possidetis pacifice in presenti, in capitulo generali ad kathedram sancti Petri ex antiqua consuetudine hactenus in Olomucz obseruato vobis liberaliter annuentibus et nobis consencientibus conuenimus sub hac forma, quod vos eandem partem dimidiam tempore vite vestre sine contradiccione qualibet cum suis pertinenciis et fructibus libere obtineatis, dabitisque capitulo Olomucensi in anniuersario dicti Martinconis annuatim marcam argenti, et vicariis et pauperibus clericis eodem die competentem refeccionem cum LX denariis ad offertorium, et totidem candelis ad missas fidelium defunctorum. Preterea inter maiorem ecclesiam et capellam sancti Iohannis baptiste in atrio eiusdem ecclesie sitam de villa Prekaz diuisio extat talis: Capitulum Olomucensis ecclesie habet VI laneos in superiori parte integros cum pratis, piscacionibus, spectantibus in medietate ad eos. In alia parte inferiori versus aquam capella sancti Iohannis baptiste habet sex laneos minus quartali et vnam tabernam pro illuminanda capella cum pratis, piscacionibus et pertinenciis, in medietate ad eos secundum iustam et equalem diuisionem, et instituetis capellanum eiusdem capelle in vita vestra, et vobis sublato de medio capitulum de capellano pro suo libitu deinceps prouidebit, qui officio misse hora debita in capella cottidie per se uel per alium decenter expleto chorum maioris ecclesie iuxta aliorum vicariorum consuetudinem frequentabit. Verum post decessum vestrum de parte ville Prekaz capitulum contingente in anniuersario Martinconis marca argenti annuatim capitulo assignetur, et XII candele cum totidem denariis offerantur ad missam fidelium defunctorum, et reficiantur vicarii et pauperes clerici ipso die. In anniuersario vero uestro alia marca argenti capitulo et XII denarii cum totidem candelis ad missam animarum annis singulis ministrentur. De reliquis prouentibus partis eiusdem ville, que cedet capitulo, capitulum ordinabit, prout ei videbitur expedire. Et ut hec rata et firma permaneant, hanc paginam nostre vniuersitatis sigillo dignum duximus communiri. Ceterum vna vobiscum a venerabili in Christo patre domino *Brunone*, Olomucensi episcopo, *fundatore et dedicatore ipsius capelle*, instanter petiuimus et impetrauimus, hanc paginam sue auctoritatis sigillo ad perpetuam memoriam roborari. Acta sunt hec in Olomucz. Anno domini Millesimo CC. LXVIII. die et loco superius assignatis.

E codice Olomucensi membr. I. fol. 25.; et chart. fol. 45.

VIII.

Clemens papa IV. Otakaro regi homines fratrum ordinis sancti Joannis in Moravia tuendos commendat. Datum Viterbii, Kalendis Martii, **1268.**

Clemens episcopus seruus seruorum dei. Carissimo in Christo filio . . Illustri regi Boemie Salutem et apostolicam benedictionem. Si uelit excellentia regia catholicorum facta principum memorari profecto comperiet per ipsorum clementiam pia loca defensata non solum ab incursibus malignorum, sed ea donata libertatibus et possessionibus aliisque bonis multipliciter ampliata, propter quod honori tuo conuenit, et saluti, ut eorum imitando uestigia. loca eadem, et personas ecclesiasticas diuinis obsequiis deputatas toto corde diligas, eaque defendas, fauoris presidio specialis. Cum igitur dilecti filii . . *prior et fratres hospitalis Ierusalem in Boemia* cupiant sicut asserunt, tui fauoris obtinere presidium, ut a malignantium expediti molestiis liberius possint obsequiis intendere redemptoris; serenitatem tuam rogandam duximus attentius et hortandam. quatinus pie considerans, quod iidem prior et fratres non solum sua, uerumtamen semetipsos salubriter abnegantes contra inimicos crucis Christi pro fidei defensione pugnando, se morti exponere non formidant, pensans etiam quod eorum bona in conseruatione terre sancte, ac alia pietatis opera conuertuntur, eosdem priorem et fratres, ac homines suos, et presertim *in Morauia*, pro nostra et apostolice sedis reuerentia propensius habeas commendatos, teque ipsis exhibeas in regio fauore munificum, et in cunctis eorum oportunitatibus gratiosum, non permittens eos, uel dictos homines ab aliquibus tue ditioni subiectis, quantum in te fuerit molestari. Ita quod eisdem priore et fratribus gaudentibus. te ipsis reperisse propitium, tibi exinde a bonorum retributore omnium perennis uite premium, et a nobis condigna proueniat actio gratiarum. Datum Viterbii Kalendis Martii Pontificatus nostri anno quarto.

Ex originali in archivo Magni Prioratus Melitensium Pragae.

IX.

Bruno, episcopus Olomucensis, Gallo de Lewenberg feudum Chotaun in Boëmia confert. Dt. Olomucii, in vigilia Paschae, 1268.

Bruno dei gracia episcopus Olomucensis. Nobili viro, domino *Gallo de Lewenberch* in Boemia, et suis fratribus in perpetuum. Honestati proximum et racioni non dissonum arbitramur. Vt hijs qui nostris et ecclesie nostre, student inherere seruiciis, nos pronos et faciles exhibeamus ad graciam faciendam. Hinc est quod nos inspectis seruiciis vestris multiplicibus et gratuitis, que nobis et ecclesie nostre, promptis et sinceris affectibus hactenus impendistis, et deinceps dante domino impendetis, cum preteritorum exhibitio spem certam et fiduciam, prebeat futurorum; damus et conferimus vobis ex consulta deliberacione, ac deliberato consilio, capituli nostri interueniente consensu, villam episcopalem de *Kothun in Boemia* sitam, per vos et fratres vestros, filios duntaxat et non filias, cum omnibus suis attinentiis, nullo diminuto penitus vel excepto, titulo feodi perpetuo possidendam. vt fortius et quodammodo ex debito nobis, et successoribus nostris et ecclesie nostre ad id deinceps sitis abstrictus (sic), in quo vos hactenus suggestu benivolentie ac probitatis vestre promptum (sic) sensimus et modis omnibus studiosum. Quod autem super premissis nullus dubietatis scrupulus oriatur, sed firma semper et illibata consistant, presentem paginam inde confectam, sigilli nostri iussimus munimine roborari. Et nos Olomucense capitulum. Ego videlicet Herbordus prepositus. Ego magister Iohannes archidiaconus Olomucensis. Ego Symon custos. Ego Alexius prepositus in Wolframskirghen. Ego Heydolfus Cremeserensis prepositus, et nos ceteri presentes, nostrum super huiusmodi collatione liberaliter adhibentes consensum, et presentibus exprimentes, per manum Conradi scolastici, concanonici nostri subscribimus, et sigillum nostrum in testimonium et euidentiam apponi iussimus eciam huic scripto Datum Olomuz sabbato sancto vigilia Pasche Anno domini M. CC. LXVIII.

Ex originali in archivo archiepiscopali Cremsirii. — Item in codice Cremsir. II. fol. 106.

X.

Idem ratum habet monasterio Lucensi decisionem litis de jure patronatus ecclesiae in Přjmětice. Dt. in Pustoměř, die 14. Aprilis, 1268.

Bruno dei gracia episcopus Olomucensis. Dilectis in Christo Th. abbati et conuentui Monasterii de *Luca*, Ordinis Premonstratensis, Salutem in domino. Ea que iudicio uel concordia terminantur, firma debent et illibata persistere, et ne in recidiue contentionis scrupulum relabantur, scriptis conuenit autenticis communiri. Sane cum causam, que inter uos, et *Gezdontium presbyterum, quondam rectorem ecclesie de Primetiz*, nostre diocesis, vertebatur, magister Heydenricus officialis noster, audiuerit plene et usque ad diffinitiuam sententiam, quam nobis reseruauit, processerit in eadem, vt in actis apparet. Nos dilecto in Christo Herbordo preposito Olomucensi, commisimus vt actis diligentius inspectis, et cognitis cause meritis, nec non obseruato iuris ordine, diffinitiuam in predicta causa sententiam auctoritate nostra proferret. Qui tandem partibus presentibus, diffinitiuam contra predictum Gezdontium sententiam promulgauit, sicut in litteris confectis exinde, ipsius prepositi et assessorum sigillis munitis, quarum tenorem de verbo ad verbum presentibus inseri fecimus, plenius continetur. Nos itaque vestris precibus inclinati, quod a prefato preposito super hoc factum est, ratum habentes et gratum, illud auctoritate ordinaria confirmamus. Tenor autem predictarum litterarum talis est: *Cum reuerendus pater noster, dominus B.(runo) Olomucensis Episcopus super causa inquisitionis multorum articulorum, quam dominus . . abbas de Luca Premonstratensis ordinis, Olomucensis diocesis, patronus ecclesie de Premtiz coram magistro H. officiali eiusdem Episcopi mouit, contra Yesdontium Rectorem eiusdem ecclesie de Premtiz, nobis Herbordo Olomucensi preposito, diffinitiuam sententiam commiserit terminandam, cum omnia coram predicto Officiali rite fuerint celebrata, sicut in actis habitis coram ipso liquide demonstratur, quam diffinitiuam predictus episcopus ex relatione eiusdem Officialis debebat promulgare in sua generali synodo, que in crastino beati Mauricij fuit in Cremeser celebrata, quam tunc non protulit, sed eam proferendam nobis commisit, multis et arduis negotiis occupatus. Unde nos nostrorum habito consilio assessorum, videlicet domini B. decani et domini*

B. canonici Olomucensium, consideratoque quod licet quedam crimina que ipsi yesdontio opponuntur, sint semiprobata, vtpote ex publica fama, que scandalum in ecclesia dei videntur inducere, quedam tamen sunt sufficienter probata, maxime crimen manifesti concubinatus et celebrationis sub interdicto, sicut in predictis actis apparet. Vnde in nomine patris, et filii, et spiritus sancti, contra antedictum Yezsdontium diffinitiuam sententiam promulgando, eundem Yezsdontium sine spe restitutionis predicta ecclesia in Premtiz perpetuo priuamus, propter irregularitates quas ex predictis duobus criminibus ipsum Yezdontium non est dubium incurrisse, ex quo constat predictum Episcopum in manifestos concubinarios excommunicationis sententiam promulgasse. Lata fuit hec sententia diffinitiua anno domini MCCLXVII. Quinta feria post beati Nicolaj, in domo domini decani Olomucensis, presentibus Arnoldo, Reynoldo, capellanis eiusdem prepositi, ac Thechontio, plebano sancti Petri ibidem; sigillataque Sigillis predictorum iudicis et assessorum. Quod autem huiusmodi sententia diffinitiua debitam obtineat executionem inhibemus firmiter sub anathematis interminatione, vt nullus hanc nostram confirmationem presumat infringere vel ei ausu temerario contraire. Datum in Puztimir. Anno domini M. CC. LXVIII. in crastino beatorum Tiburtij et Valeriani Martirum.

Ex originali cum sigillo illaeso in archivo ejusdem monasterii.

XI.

Idem confert Meinhardo de Modřice, militi suo, feudum in Zálesj, Začany, et Modřice. Dt. Olomucii, XV. Kalendas Maji, 1268.

Bruno dei gratia episcopus Olomucensis. Dilecto sibi *Meynardo de Moderiz,* militi suo, et heredibus suis in perpetuum. Digne agimus et ratione mouemur, dum eorum, qui se nobis et ecclesie nostre seruiles exhibent et fideles, recompensamus seruicia fauore ac gratia speciali, vt feruentius nostris insistant obsequiis, dum fauorem nostrum sibi senserint affuisse. Hinc est quod inspectis sinceritatis tue seruiciis que nobis in ecclesie nostre negociis et vtilitatibus, non parcendo rebus et persone, promptitudine grata iam diucius impendisti, et intendas in huiusmodi persistere seruiciis incessanter, cumque benefecisse bonis et fidelibus sit in omni parte lucrosum; Nos tibi, qui te tam fidei puritate, quam seruiciorum exigentia retributionis premio dignum reddis, damus et conferimus libenter et liberaliter in feodum capituli nostri accedente consensu, *quinque mansos* in villa nostra de *Sals*. in villa de *Zezans quatuor mansos*, et in villa de *Moderiz duos mansos*, cum quibusdam agris per nos additis ad mansos eosdem. et molendinum vnum apud ipsam villam. quod sumptibus et expensis propriis construxisti. vt omnes prefatos mansos, simul et molendinum, cum censu, decimis, iudicio, steuris, omnibusque prouentibus et attinentiis, nullo diminuto uel excepto per te ac heredes tuos, filios dumtaxat et non filias, titulo feodi teneas et possideas, ac ratione ipsius feodi ius vassallorum Magdeburgensis ecclesie in omnibus habeas indistinctum, quod omnibus concedimus infeodatis a nobis; quodque heredes tui, filii tantum sicut premissum est gaudeant ipso iure. Dabis eciam annis singulis in recognitionem bonorum ipsorum canonicis nostris Olomucensibus de manso quolibet mensuram tritici quemadmodum infeodati ceteri dare tenentur. Ceterum statutum est per nos de consilio capituli nostri ut quilibet vassallorum nostrorum infeodatorum a nobis, alia de propria pecunia debeat comparare bona, que existimatione (sic) facta bonorum sibi collatorum ab ecclesia, tertiam partem valere debeant eorumdem. Illaque bona comparata siue empta, recipere debent a nobis et ab ecclesia nostra, et tenere similiter iure ac titulo feodi, quemadmodum bona episcopalia, sed ad distinctionem bonorum emptorum et episcopalium, non dabunt de bonis emptis mensuram tritici predictam. Illaque non solum ad filios verumeciam ad filias transferentur. Te vero ab huiusmodi statuto exemptum fore volumus, specialem in hoc consentiente capitulo nostro tibi gratiam facientes, vt nullum exinde quoad dictum feodum tuum, tibi preiudicium generetur. Quod autem omnia premissa perpetuam obtineant firmitatem, nos ad rei memoriam sempiternam presentem paginam inde conscribi, nostrique sigilli iussimus munimine roborari. Et nos Olomucense capitulum: Ego uidelicet Herbordus prepositus. Ego magister Iohannes archidiaconus Olomucensis. Ego Symon custos. ego Alexius prepositus in Vvlframskirchen, archidiaconus Znoemensis. Ego Heydolfus prepositus et archidiaconus in Cremeser, et nos ceteri presentes, super premissis omnibus consensum nostrum liberaliter adhibentes, per manum Conradi scolastici concanonici nostri, subscribimus, presensque scriptum sigilli nostri munimine roboramus. Datum Olomunz XV. Kalendas Maii. Anno domini M. CC. LXVIII.

Ex originali in archivo archiepiscopali Cremsiriensi. — Apographum in codicibus MSS. Olomucensi I. fol. 77. et Cremsiriensi G. VII. nro. 98.

XII.

Otakarus, rex Boëmiae et marchio Morariae, monasterio Litomyšlensi sex tabernas liberas habendi concedit facultatem. Dt. Pragae, VIII. Kalendas Maji, 1268.

In nomine Domini amen. Nos Othacarus dei gracia Boemie rex, dux Austrie et Stirie, ac marchio Morauie, omnibus inperpetuum. Cum labilis sit etas hominum, et de gestis ipsorum erronea sueuerit calumpnia suboriri, necesse est acta mortalium litterali memorie commendare, que ueritatis est indicium ac certitudinis argumentum. Sciat igitur tam presens etas quam in Christo posteritas successura, quod nos instantia precum *Stephany,* venerabilis *abbatis de Luthomissel,* et religiosorum ibidem iugiter deo famulantium, inclinati, ipsorum necessitatibus conpatiendo talem eis graciam duximus faciendam: vt, non obstante constitutione nostra, videlicet de tabernis in nostris et aliis ciuitatibus solummodo habendis, et non in prouinciis siue villis circumpositis hinc et inde, *sex tabernas in bonis ipsorum,* vbicumque ipsis habere placuerit, possideant iure perpetuo, suis vsibus finaliter adaptatas. Et ne in posterum pretextu occasionis premisse siue constitutionis nostre dictis abbati et religiosis de Luthomissel inpedimentum possit aliquod sev calumpnia exoriri, ipsis in stabilitatem et firmitatem perpetuam premissorum damus presentem paginam, nostrorum sigillorum munimine roboratam, testibus, qui tunc presentes fuerant, subnotatis. Qui sunt: Andreas, Camerarius Boemie. Vlricus, Burkgrauius Pragensis. Gallus, subpincerna de Lewenberch. Protywoy, pincerna. Sdyziaus, marscalcus. Dywissius, Dapifer. Chunradus, Magister coquine; et alii quam plures fide digni. Actum in Praga, anno domini Millesimo CC. LX. Octauo.

Et datum ibidem per manus Magistri Petri, venerabilis Wisschegradensis prepositi, Cancellarii Regni nostri. Octauo Kalendas Maii.

Ex originali in archivo ejusdem monasterii.

XIII.

Guido cardinalis, sedis apostolicae legatus, confirmat monasterio Zarensi jus patronatus ecclesiae in Chotěboř et residentiam fratrum Cisterciensium ibidem. Dt. Viennae, III. Idus Maji, 1268.

Frater Guido miseratione diuina tituli Sancti Laurentii in Lucina presbyter Cardinalis, apostolice Sedis Legatus, religiosis uiris . . Abbati et Conuentui Monasterii fontis Sancte Marie in *Zar*, Cisterciensis ordinis Pragensis dyocesis, salutem in domino. Iustis petentium desideriis dignum est nos facilem prebere consensum, et uota que a rationis tramite non discordant effectu prosequente complere. Eapropter dilecti in Christo, uestris precibus fauorabiliter inclinati, donationem et concessionem iuris patronatus ecclesie in *Chotenbork* per nobilem uirum Smilonem de Luhtenburk vobis et Monasterio uestro per vos factas, nec non indulgentiam et concessionem, quas concessit vobis venerabilis Pater Iohannes dei gracia Pragensis episcopus, videlicet quod in dicta ecclesia de Chotenbork tres fratres monasterii uestri continue habere possitis, qui fratres parrochianis eiusdem ecclesie cum uno presbytero seculari diuina officia ministrabunt, cui dicto presbytero seculari de redditibus et possessionibus dicte ecclesie tantum debet assignari, quod exinde uiuere, et iura Episcopalia et archidyaconalia persoluere ualeat, ratas et gratas habentes, prout iuste et rationabiliter facte sunt, auctoritate qua fungimur confirmamus, et presentis scripti patrocinio communimus. Datum Vienne III. Idus Maii. Pontificatus domini Clementis pape quarti anno tercio.

Ex originali ejusdem monasterii. — Exc. incorrectius apud Steinbach — II. pag. 26.

XIV.

Jurati civitatis Iglaviensis et urburarii regis in Boëmia et Moravia ad petitionem abbatis Lubensis in Silesia sententiam de urbura metallorum ducis et abbatis ejusdem proferunt. (1268.)

Reverendo in Christo patri ac domino suo. N. abbati *Lubensi.* M. iudex et iurati cum uniuersitate ciuium in *Igla* atque *urborarii* domini nostri Regis in *Boemia et Morauia* promptam in omnibus seruiendi uoluntatem. Dominationi uestre tenore presencium innotescat, quod nos secundum iusticiam nostram atque nobilium terre, quam habemus in montibus de illustrissimo domino nostro Rege, uobis remandamus. Vbicunque in hereditate domini abbatis unius cuiusque claustri uel aliorum nobilium nouus mons inuentus fuerit, si est in hereditate domini abbatis in primis septem laneis mensuratis tricesimam secundam partem dominus abbas obtinebit, que in vvlgari ackersteil nuncupatur, et de vrbura, que datur domino terre, datur sibi tercia pars metalli, et in laneo domini regis de vrbura terciam partem dominus abbas obtinebit. Item in laneo domini abbatis datur sibi tercia pars de vrbora, et de septima parte terciam partem metalli obtinebit in eodem laneo, et non in aliis tantum. Insuper de iudicio ipsius montis et de aliis diuersis, que sunt in monte, dominus ipsius terre se intromittit, et siluam ipsorum fratrum montanis ad ipsorum necessaria nequaquam iniberi debent predicti fratres nec dominus ipsius terre.

Communicatum a Fr. Palacký — ex originali archivi regii provincialis Wratislaviae, cui sigillum appendet valde laesum scutiforme repraesentans leonem bicaudatum Boëmicum.

XV.

Boleslaus, dux Silesiae, confirmat sententiam juratorum Iglaviensium de urbura metallorum abbatis Lubensis. Dt. in Sichow, 1268.

In nomine domini amen. Nouerint uniuersi tam presentes, quam posteri presens scriptum inspecturi, quod nos *Boleslaus* dei gracia dux Slesie de voluntate pariter et consensu filii nostri Henrici, minus experti iura, que in montibus inuentis habentur, a iudice et iuratis cum uniuersitate ciuium de *Igla* ipsa recepimus in hec uerba: *(Reuerendo in Christo patri ac domino suo N. abbati Lubensi etc. usque nec dominus ipsius terre. Vide n. praecedentem XIV.)* Ut autem iura eadem, que confirmauimus et confirmando stabiliuimus unanimiter tenenda, robur et vigorem obtineant per effectum, presentem paginam sigillorum appensione, nostri uidelicet et filii nostri duximus munienda. Datum in Sychow in die beatorum martyrum Primi et Feliciani, anno dominice incarnationis M. CC. LX. octauo, presentibus dominis Henrico de Prowyn. Frederico de Malthyz. Hermanno Buch. Radowano subdapifero. Tizhone de Hoberk. Detkone quondam subpincerna. Sidelmanno de Salburk. et aliis multis.

Ex originali cum duobus sigillis illaesis in archivo eodem.

XVI.

Otakarus, rex Boëmiae et marchio Moraviae, jura et leges Judaeorum, praesertim Brunensium, renovat. Dt. et actum apud Brunam, X. Kalendas Septembris, 1268.

In nomine domini Amen. Nos Ottakarus, dei gratia Bohemie rex, dux Austrie et Stirie, ac marchio Morauie. Omnibus in perpetuum. Cum in humanis dispositionibus nichil ad summe perfectionis et soliditatis culmen ualeat peruenire, sed semper de gestis hominum, licet rationabilibus, tamquam de naui, que fluctibus est exposita, sub serenitatis tempore calumpnie timeri oporteat tempestates: ideo ea, que ex principum beneplacito ad subditorum commoda conceduntur, aliquotiens renouationis remedio indigent subueniri, ut ipsa, que uetera sunt, vultum nouitatis assumendo notiorem adhibitionem fidei conquirant, et maioris gaudeant fulcimine firmitatis. Quare tam presentibus quam posteris huius scripti testimonio esse volumus manifestum, quod nos cum auctore domino, per quem reges regnant, et obtinent principatum, et cuius magnificentia non potest termino circumscribi, diuersarum terrarum et nationum gubernacula teneamus, volentes, ne aliqui eorum, qui nostre ditioni subduntur, cuiuscunque conditionis fuerint siue legis, in iuribus suis defectum sentiant, aut iustitie patiantur eclipsim: *Iudeis* nostris, per districtum nostri dominii constitutis, potissime cum ad nostram cameram pertineant, et nostra defensione et presidio egeant specialius communiri, regalis gratie beneficium impendentes ad euidentiorem notitiam et cautelam eorum statuta et priuilegia, que a nobis nostre iuuentutis tempore emanauerint, de uerbo ad uerbum, sicut in subsequenti serie continetur, taliter duximus renouanda. **Primum** quidem statuimus, ut pro pecunia mobili aut pro re immobili aut in causa criminali, que tangit personam aut res iudei, nullus christianus contra iudeum nisi cum christiano et iudeo in testimonium admittatur. **Item** si christianus iudeum impetierit, asserens, quod ei pignora sua obligauerit, et iudeus de hoc diffitetur, si christianus iudei simplici uerbo fidem noluerit adhibere, iudeus iurando super equiualente sibi obligato pignore suam intentionem probabit, et transeat absolutus. **Item** si christianus obligauerit pignus iudeo, affirmans, quod iudeo pro minori pecunia obligauerit, quam iudeus confiteatur, iurabit iudeus super pignore sibi obligato, et quando iurando probauerit, christianus ei soluere non recuset. **Item** si iudeus christiano non assumptis testibus dicat, se pignus mutuasse, et ille negauerit, super hoc christianus solius sui iuramento se expurget. **Item** iudeus recipere poterit nomine pignoris omnia, que sibi fuerint obligata, quocunque nomine vocentur, nulla de hiis requisitione facta, exceptis uestibus sanguinolentis et madefactis, et sacris vestibus, quas nullatenus acceptabit. **Item** si christianus impetiuerit iudeum, quod pignus, quod iudeus habet, furtiue vel per violentiam sibi sit ablatum vel raptum, iudeus iuret super illo pignore, quod, cum recepit, furtim ablatum vel raptum ignorauit, hoc in suo iuramento implicito, quanto sit ei pignus huiusmodi obligatum; et sic expurgatione facta, christianus sortem et usuras ei persoluet, que medio tempore accreuerunt. **Item** si aut per casum incendii, aut per furtum, aut per uim res suas cum obligatis sibi pignoribus iudeus amiserit, et hoc constiterit, et christianus, qui hec obligauit, nichilominus eum impetit, iudeus iuramento proprio se absoluat. **Item** si iudei inter se de facto discordiam mouerint aut gwerram, iudex ciuitatis nostre nullam iurisdictionem sibi uendicet in eosdem, sed rex aut dux aut summus terre vel regis camerarius iudicium exercebit. **Si** autem reatus vergit in personam, soli regi siue duci hic casus reseruabitur iudicandus. **Item** si christianus iudeo vulnus qualecunque inflixerit, reus regi siue duci soluet

XII marcas auri sue camere deferendas, et vulnerato XII marcas argenti, et expensas, quas pro suimet curatione impenderit medicine. Item si christianus iudeum occiderit, digno iudicio puniatur, et omnia rei mobilia et immobilia in regis transeant potestatem. Item si christianus iudeum ceciderit, ita tamen ut sanguinem non effuderit, soluet regi IIII marcas auri sue camere deferendas, percusso seu leso IIII marcas argenti; si uero pecuniam habere non poterit, per detruncationem manus satisfaciet pro commisso. Item ubicunque iudeus dominium nostrum transierit, nullus ei aliquod impedimentum prestabit, nec molestiam inferet nec grauamen. Sed si aliquas merces aut alias res duxerit, de quibus muta debeat prouenire; per omnia mutarum loca non nisi debitam soluat mutam, quam solueret vnus ciuis ciuitatis illius, in qua iudeus eo tempore commoratur. Item si iudei iuxta suam consuetudinem aliquem ex mortuis suis aut de ciuitate ad ciuitatem, aut de prouincia ad prouinciam, aut de vna terra ad aliam terram deduxerint, nichil ab eis per mutarios volumus extorqueri. Si mutarius aliquid ab eis extorserit, ut predo, qui uulgariter Berawber dicitur, puniatur. Item si christianus cimiterium eorum quacunque temeritate dissipauerit, aut inuaserit, in forma iudicii moriatur, et omnia sua perueniant camere regis siue ducis, quocunque nomine nuncupentur. Item si aliquis temerarie iactauerit super scolas iudeorum, iudici iudeorum duo talenta volumus ut persoluat. Item si iudeus iudici suo in pena pecuniaria, que Wandel dicitur, reus inuentus fuerit, nonnisi XII denarios ei soluat. Item si iudeus per edictum sui iudicis uocatur ad iudicium, primo et secundo non venerit, pro utraque vice iudici IIII denarios soluat. Et si ad tertium edictum non venerit, soluat XXXVI denarios iudici memorato. Item si iudeus iudeum uulnerauerit, suo iudici in penam, que Wandl dicitur, duo talenta soluere non recuset. Item statuimus, quod nullus iudeus iuret super Rodale, preter quam ad nostram presentiam euocatus. Item si iudeus clam fuerit interemptus, ut per testimonium constare non possit amicis suis, qui eum interemerit, si post inquisitionem factam aliquem suspectum habere ceperint, nos iudeis contra suspectum pugilem volumus exhibere. Item si christiani alicui iudeo manum iniecerint violentam, manum illorum volumus detruncari. Item iudex iudeorum nullam causam inter iudeos ortam ad iudicium deducat, nisi per querimoniam fuerit inuitatus. Item si christianus a iudeo pignus suum absoluerit ita, quod usuras non persoluerit, easdem usuras si infra mensem non dederit, illis usuris accrescant usure. Item nullum in domo iudei volumus hospitari. Item si iudeus super possessiones aut litteras magnatum terre pecuniam mutuauerit, et hoc per suas litteras et sigillum probauerit, nos iudeo iure aliorum pignorum possessiones assignabimus obligatas, et eas contra violentiam defendemus. Item volumus, si aliquis vel aliqua puerum iudei abduxerit, ut fur condempnetur. Item si iudeus receperit a christiano pignus, et per spacium anni tenuerit, si pignoris ualor mutuatam pecuniam non excesserit; iudeus iudici suo pignus demonstrabit, et postea habeat vendendi libertatem. Sed postquam pignus apud iudeum diem et annum remanserit, nulli postea super eo respondebit. Item volumus, ut nullus iudeum super solutione pignorum in suo feriali die audeat coartare. Item quicunque christianus per vim abstulerit pignus suum, aut violentiam in domo sua exercuerit, ut dissipator nostre camere grauiter puniatur. Item contra iudeum nonnisi in scolis procedatur, nobis exceptis, qui eos possumus ad nostram presentiam euocare. Item iuxta constitutiones pape in nomine sancti patris nostri districtius prohibemus, ne de cetero iudei singuli in nostro dominio constituti culpari debeant, quod humano utantur sanguine, cum iuxta preceptum legis ab omni prorsus sanguine se iudei contineant uniuersi. Item statuimus, ut quicquid iudeus mutuauerit, siue aurum fuerit, denarii uel argentum, idem ipsi solui et reddi debeat cum usura debita, que accreuit. Nullus iudeus moram trahens in ciuitate *Brunnensi* pignus quodcunque post occasum solis a personis quibuscunque notis uel ignotis recipiat, etiam de die nec de equis, bobus, vaccis, seu rebus aliis, de quibus suspicio subtractionis habetur, se nullatenus intromittat, nisi sub duorum ciuitatis testimonio iuratorum. Iudei etiam pro reparatione murorum et fossati ciuitatis debent contribuere quartam partem. Et ut omnia, que premissa sunt, perpetue obtineant firmitatis robur, presens instrumentum cum testium annotatione ipsis dedimus, cum sigilli nostri caracteribus, pro cautela. Testes uero sunt hii: Hartlews camerarius morauie. Nezamisla pincerna. Bzanata dapifer. Smylo de Brumaw. Chuno camerarius Olomucensis, Bohemie marschalcus, et alii quam plures fideles nostri. Actum apud Brunam anno domini MCCLXVIII. Et datum ibidem per manus magistri Petri, venerabilis Wyssegradensis prepositi, cancellarii regni nostri, decimo Kalendas Septembris. Indictionis XI. Coronationis nostre anno octauo.

E codice MS. jurium municipal. Brunen. saec. XIV. — Excus. apud Hermann — Gesch. der Israeliten. — Senkenberg — Visiones.

XVII.

Bruno, episcopus Olomucensis, fundatae a Martinkone de Přjkaz capellae sancti Joannis infra atrium ecclesiae Olomucensis sitae, et jam anno 1262. consecratae dotem confirmat. 1268.

In nomine sancte trinitatis et indiuidue vnitatis amen. Anno domini MCCLXVII. VII. Idus Iulii. Nos Bruno dei gracia Olomucensis episcopus *capellam s. Ioannis baptiste* infra maioris ecclesie nostre atrium sitam, studio et diligencia felicis recordacionis nobilis viri *Martynkonis de Prekaz* et dilecti nobis in Christo *Bartholomei Olomucensis decani,* quem idem Martynko testamentarium et manufidelem suum instituit coram nobis, in qua capella iidem locum sepulture de nostra speciali licencia elegerunt, auctoritate eciam nostra, opere sumptuoso constructam dedicauimus in honore victoriosissime s. crucis, beate Marie virginis, omnium supernorum ciuium, beatorum patriarcharum, prophetarum, apostolorum, martirum, confessorum atque virginum et omnium sanctorum. In ara autem ipsius capelle horum reliquie continentur sanctorum: de ligno domini, de candela sepulcri domini, de peplo et vestimento matris domini, Iohannis baptiste; Petri et Pauli, Andree, Iacobi, Iohannis, Thome, Iacobi, Philippi, Bartholomei, Mathei, Simonis et Thadei, Barnabe, Mathie apostolorum; Marci, Luce ewangelistarum, Stephani protomartiris, Laurencii, Viti, Wenceslai, Adalberti, Mauricii et sociorum eius, Gereonis et sociorum eius, quinque fratrum, Sebastiani, Crisogoni, Pancracii, Victoris, Marcialis martyrum, Martini, Nicolai, Briccii, Procopi, Iusti, Maximini, Leonardi, Augustini episcopi Anglorum, Henrici imperatoris, Gotardi, Sigismundi regis confessorum, Marie Magdalene, Margarethe, Katharine, Cecilie, Barbare, Sabine, Cunegundis, Albine, Vrsule, Cordule, Elizabeth, Ludmille virginum et aliorum sanctorum. Tytulus autem sancto Iohanni Baptiste annotatur. Hec est autem dos ipsius capelle: immediate ville de Prekaz sunt XII lanei minus quartali, taberna, ortus, piscaciones, prata et alia pertinencia, de quibus omnibus capella s. Iohannis baptiste habet in dote VI laneos minus quartali, tabernam, ortum cum piscacionibus, pratis et aliis pertinenciis in inferiori parte ville prope aquam, quem eciam laneum idem decanus iure purkrecht suis sumptibus exsolutum dederit capelle s. Iohannis baptiste, dotans eundem cum seminibus ad estiualia et hiemalia sufficientibus; dedit eciam duos laneos, duos equos ad ipsum collendum, duas vaccas, XII oues, scrophas duas cum X porcellis, X antas, XX pullos et domum, quam cepit edificare ibidem in orto, vbi posuit allodium. Preterea intrinsecus taliter ornauit et dotauit ipsam capellam: missale suum egregium dedit ei, pallum de aurifisio cum aliis duobus pallis cum totidem mensalibus et pannis lineis de opere gallico cum quatuor cornibus altarium tribus albis ad quamlibet albam cum suis stolis et apparatibus, cum casula de aurifisio et alia purpurea subducta rubeo tendato; tercia de alba saga, calicem vnum totaliter deauratum et alium de argento, turribulum et duas ampulas argenteas ad calices et quatuor ampulas de stagno cum cista ferrata, in qua in ipsa capella hec omnia conseruantur. Tapete grecum recens et nouum cum aliis quatuor maioribus et minoribus, et cortinas tres cum organis et ceteris rebus minutis sicut corporalibus, cum rebus eorum et cruce deaurata. Altare viaticum plenum magnis reliquiis et specialiter oleo de digito sancti Nicolai ex lapide ruffo marmoreo deargentato, cum cruce eburnea in capella s. Iohannis posita legat b. martiri Wenceslao, et aliud altare viaticum cum rubeo et nigro colore in albo marmore distinctum argento circumdatum dat venerabili in Christo patri domino Brunoni Olomucensi episcopo. Nos autem de omnipotentis dei confisi misericordia in dedicacione capelle et annuis festiuitatibus s. Iohannis omnibus ad ipsam conuenientibus XL dies de iniuncta eis penitencia, misericorditer relaxamus. Vt autem hec singula et vniuersa rata et firma permaneant, ea nostre auctoritatis sigillo duximus roboranda. Actum in Olomucz anno domini M. CC. LX. VIII. in die b. Benedicti.

E codice Olomucensi II. fol. 32.

XVIII.

Smil de Lichtenburg monasterio Zarensi villas Giřikowice et Radňowice donat, et homines monasterii a theloneo eximit. Act. XVI. Kal. Martii, **1269.**

Nos Zmilo dictus de Luchtenburch, vna cum carissima vxore nostra Elizabet, vniuersis tam presenti etati quam future in christo posteritati, in perpetuum. Qve geruntur in tempore, labuntur cum tempore, nisi scriptis et dictis testium perhennentur. Hinc est quod tenore presentium perhenni constare uolumus nocioni, quia diuina inspiratione conpuncti, de consensu et voluntate Elizabet vxoris nostre, et liberorum nostrorum ad honorem summi dei et intemerate matris eius virginis gloriose, matura deliberacione prehabita, duas uillas *Iursichowiz* et *Rednowiz* uulgariter nuncupatas sitas in Olomucensi diocesi Claustro dicto *Sar*, quod fons sancte Marie intitulatur Ordinis Cysterciensis, Pragensis dyocesis, cum omnibus suis attinentiis cultis et incultis, siluis, pratis, pascuis, piscacionibus, venationibus, perpetuo contulimus possidendas tali conditione quod post mortem nostram et vxoris nostre, in anniuersariis, de dictis villis fratribus in conuentu quanto melius poterit, ministretur. Volumus etiam ut si homines memorati claustri in quibuscumque nostris hereditatibus qualicumque modo fore fecerint, de omnibus prouentibus et emendis que nobis de ipsorum excessibus possent cedere et deriuari liberi sint et absoluti, sed post latam sententiam cum culpis ad dominum abbatem remittantur pro suis demeritis puniendi. Concedimus nichilominus, ut homines sepedicti Claustri negotiando hinc et inde ad omnes et per omnes ciuitates nostras et villas forenses libere transeant et ab eisdem per officiales nostros nichil penitus exigatur. Vt autem hec nostra donacio et constitucio testamenti perpetuum firmitatis robur obtineat, presens instrumentum exinde confectum sigilli nostri munimine fecimus communiri. Huius rei testes sunt Nobilis vir Dominus Gallus miles, et Iursic et Woytech milites. Dominus Iacobus sacerdos et procurator. Dominus Heynricus Plebanus de Zlapans. Gerlacus notarius et alii quam plures. Acta sunt hec anno gracie M. CC. LXIX. In Sumerburch XVI. Kalendas Martij.

Ex originali cum sigillo laeso in archivo ejusdem monasterii. — Excusum incorrectius apud Steinbach — II. 27.

XIX.

Kunegundis, regina Boëmiae et marchionissa Moraviae, monasterio de Cella s. Mariae Brunae curiam in Pohořelice restituit. Datum in Poděbrad, Kalendis Martii, **1269.**

Nos *Chunegundis* Dei gracia Boemie regina, ducissa Austrie et Styrie, marchionissa Morauie omnibus presentium notitiam habituris, tam viuentibus, quam victuris, ad rei memoriam sempiternam. Ne nouerca memorie obliuio suis habeat votis locum humana prouidit ratio temporalibus gestis quibuslibet in testimonium sequacibus per certa subuenire remedia scripturarum. Hinc est, quod nos deo dicatis dominabus domus *s. Marie in Brunna* curiam quandam sitam in *Pohorlicz foro nostro, dominio videlicet marchionatus nostri in Morauia,* quam fundator domus eiusdem de licentia et fauoris plenitudine atque confirmatione tunc regie maiestatis contulerat dicto loco, quod et data priuilegia super hoc clarius manifestant, nostris quoque temporibus, per prauorum odiosam suggestionem turbabantur in eadem curia dicte domine. Nos, inquam, ipsarum indempnitatibus premissis in futurum succurrere prouide decernentes in exemplum nostris sequacibus augendi potius, quam minuendi ea, que dei sunt, memoratam curiam collatam, ut dictum est, et confirmatam per nostros predecessores de consensu voluntario et fauorabili beneuolentia domini et mariti nostri carissimi *Ottacari,* illustris Boemie regis quinti, ducis Austrie et Styrie et marchionis Morauie cum hominibus ad eamdem curiam pertinentibus et cum omnibus bonis campestribus et domesticis, mobilibus atque immobilibus, que ablata ipsis fuerant in eadem curia, et nos restituimus ac restituta eidem domui iure hereditario de regalis munificentie liberalitate libere contulimus perpetuo possidendam. Huius scripti testimonio et virtute ipsis dantes liberrimam optionem, sepe dictam curiam pro maiori commodo, profectu et utilitate dicte domus vendendi, bona eadem commutandi, obligandi, siue aliud quidlibet faciendi de bonis eisdem, quod sibi tunc viderint expedire; habentes spem firmam et fiduciam certam diuinitus hac mercatione temporalium celestia debere pacis et gaudii remedio percipere sempiterna, unacum domino et marito nostro charissimo et nostris heredibus, dictarum dominarum precum et beneficiorum participationibus coadiute. Nullus igitur nostrorum camerariorum et nunc iudicum, preconum seu quorumcunque officialium predictas dominas in eadem curia et omnibus attinentiis sibi molestare presumat requirendo exactiones aut tributa aliqua siue seruitia seu etiam compellendo ibi ipsarum homines ad iudicia nostra contra obseruationes ecclesiastice libertatis, quam ipsis et domui earum obseruari volumus et statuimus ab omnibus in vita nostra et post nos nostris posteris in exemplum et testimonium pacificum et quietum. In cuius rei memoriam et cautelam presens instrumentum dictis dominabus et domui ipsarum cum subnotatis testibus dari mandauimus sigilli nostri munimine roboratum. Testes autem hii sunt: Frater Zacharias confessor noster, et frater Protiua ordinis fratrum predicatorum. Mstydruh camerarius noster. Domazlaus pincerna. Chazlaus dapifer. Wlastiborius marsalcus. Benesius zudarius. Gregorius subcamerarius. Iohannes subpincerna. Ottho subdapifer. Bohuta submarsalcus et alii quam plures. Actum et datum in Podebrad per manum magistri Gotfridi tunc nostri protonotarii Kalendis Martii. Anno domini MCCLXIX. Coronationis nostre anno IX.

Apographum in Monastico MS. archivi Rayhradensis. — Originale ipsum in archivo c. r. aulico Vindobonae asservatur.

XX.

Otakarus, rex Boëmiae et marchio Moraviae, confirmat conventionem inter episcopum Olomucensem et monasterium Litomyšlense de metis juxta Switawiam et decimis factam. Dt. Pragae, IV. Idus Aprilis, 1269.

Otackarus quintus Boemorum rex miseratione diuina omnibus in perpetuum. Quoniam ad pacis conseruationem, quam triumphator inferni rex glorie Cristus resurgens ab inferis pedicauit, regum, qui in ipso regnare volunt, studere debet intentio. Nos quoque, qui ipsius gratia regno Boemie, terre Morauie, ducatibus Austrie et Styrie presidemus, intendentes maxime ecclesiarum tranquillitatibus prouidere, notum facimus vniuersis, quod, cum inter venerabilem patrem dominum *Brunonem*, Olomucensem episcopum, nomine ecclesie sue, et abbatem *Lutomislensem* et suum capitulum de metis et limitibus questio quedam suborta fuisset, quam per amicabilem composicionem, vtrique parti commodam et placidam, postmodum inter se contigit terminari, licet postmodum successor dicti abbatis quedam bona, que in suis priuilegiis continentur, et eciam in eisdem priuilegiis super hoc editis est expressum, per donationem legitimam manibus nostris resignarit; verum tamen ex resignatione huiusmodi compositioni priori nullum volumus preiudicium generari, tam in siluis et aquarum cursibus, quam in villis, nostris officialibus inhibentes, ne audeant uel presumant Olomucensem ecclesiam occasione donationis predicte in suis possessionibus perturbare. Compositionem enim prefatam ratam et firmam volumus permanere. In cuius rei testimonium presentem cedulam conscribi, et sigilli nostri munimine iussimus communiri. Huius rei testes sunt: Andreas regni Boemie camerarius. Vlricus de Noua domo. Vlricus Lepus burgrauius Pragensis. Hartleuus camerarius Morauie. Magister Petrus aule regie cancellarius, Wissegradensis prepositus. Philippus et Lambertus curie nostre notarii, et alii quamplures. Datum prage. Anno domini Millesimo ducentesimo LX nono. Quarto Idus Aprilis.

Ex originali in archivo archiepiscopali Cremsiriensi.

XXI.

Plures episcopi indulgentias ecclesiam Lucensem visitantibus et adjurantibus elarginntur. Dt. Znoymae, Idibus Junii, 1269.

Nos . . dei gratia Vrisingensis, P. Pataviensis, B. Brixinensis, B.(runo) Olomucensis, . . Secoviensis Episcopi. Omnibus Christi fidelibus, presentes litteras inspecturis, salutem sempiternam. Cupientes proni ad graciam inueniri, eam illis inpendimus, quos meritorum gratia gratos deo constituit, et acceptos fecit deuotio specialis. Hinc est, quod nos de omnipotentis Dei misericordia, et beatorum Petri et Pauli Apostoiorum meritis confisi, omnibus vere confessis et contritis, qui festiuitates sancte Hedewigis et sancte Elizabet, nec non sancti Mauricij et sociorum eius, et sancti Cholomanni, in quorum honore in ecclesia *Lucensi* duo Altaria sunt fundata et consecrata, et debita reuerencia visitauerint et honore, et de bonis a deo sibi collatis eisdem manum porrexerint adiutricem, annuatim quadraginta dies de iniuncta sibi penitentia misericorditer relaxamus, accedente quoque consensu pariter et assensu venerabilis domini Brunonis, Dyocesani Episcopi; vniuersos in domino sic hortantes, vt per hec et alia bona, que domino inspirante feceritis, ad eterne possitis felicitatis gaudia peruenire. Datum Anno domini M. CC. LXIX. Apud Znoym. Idus Iunij. presentibus perpetuo valituris.

Ex originali in archivo ejusdem monasterii.

XXII.

Otakarus, rex Boëmiae et marchio Moraviae, civitati Iglaviensi concedit, ut ibidem depositiones rerum venalium observentur, quae hactenus in Brod habitae sunt. Dt. Brunae, IV. Nonas Julii, 1269.

In nomine Sancte et Indiuidue Trinitatis. Amen. Nos Othacarus, dei gracia Boemie Rex, Dux Austrie et Styrie ac Marchio Morauie, omnibus in perpetuum. Cum in humanis dispositionibus nihil ad summe felicitatis culmen ualeat peruenire, sed semper de gestis hominum quamuis rationabilibus sub serenitatis tempore obliuionum nebulas et calumpniarum timeri oporteat tempestates, necesse est ea, que ex Principum beneplacito disponuntur circá commoda subditorum, scriptis commendari, ut ex scripture testimonio rei geste acquiratur memoria, et calumpniandi memoria apud posteros resecetur. Eapropter ad notitiam omnium uolumus peruenire, quod nos depositiones rerum venalium, que in *Brod* habite sunt, hactenus ciuitate sub inflictione animaduersionis debite districtius prohibemus, ad emendationem ciuitatis nostre *Iglauiensis*, quam fauore amplectimur speciali. Proinde duximus statuendum, ut depositiones venalium eorundem, videlicet in pannis, plumbo, halecibus et mercimonijs alijs quibuscunque in eadem Iglauiensi ciuitate de cetero generaliter obseruentur. In cuius rei testimonium et robur perpetue firmitatis presentem conscribi fecimus paginam, sigillorum nostrorum munimine roboratam. Testes autem sunt: *Nicolaus, dominus Opauie.* Comes de Hardeck. Ulricus de Durrenholz. Bauarus de Rakoniz. Filii Sdezlay de Sternberch. Hartlewus, Morauie camerarius. Bohusch, Marschalcus. Nezamisl, pincerna Morauie. Otto de Haslaw, dapifer

Veldsperch. Fridericus de Langenbach. Wsnata, dapifer Morauie. Sbor, magister coquine. et alii quam plures regni nostri. Actum Brune. Anno domini M. CC. LXIX. quarto Nonas Iulij. Datum ibidem per manus magistri Petri, uenerabilis Wischegradensis ecclesie prepositi, cancellarii regni nostri. Anno et die predictis. Coronationis nostre anno octauo. Indictione duodecima.

Ex originali ejusdem civitatis communicatum a D. Sterly.

XXIII.

Monasterium Lucense Alšjkoni, militi de Kovernjk, decimam vini de monte in Kovernjk (Kailing) concedit. Datum Znoymae, die 29. Augusti, 1269.

Vniuersis Christi fidelibus hanc litteram inspecturis. Nos Theodericus, abbas ecclesie *Lucensis,* totusque conuentus ibidem salutem in domino sempiternam. Ne ea, que fiunt in tempore, simul labantur cum tempore, et a memoria hominum non excidant, solent scripturarum testimonio annotari. Hinc est, quod nos, freti conuentus nostri consilio, domino *Alsiconi, Militi de Kovernik,* suis meritis et seruicijs exigentibus, consideratoque affectu, quem habet erga ecclesiam Lucensem, decimam vini de Monte in *Kovernik,* que decima est ecclesie Lucensis, sibi quoad vitam suam concedimus et donamus, ita, quod nobis et ecclesie singulis annis, quamdiu vixerit, decem vrnas vini eiusdem montis mensure soluere teneatur, et de aliis vineis eiusdem Montis de Kovernik, que ad agros sunt redacte, nobis decimas prediales de culturis agrorum soluere teneatur plenarie eorundem; tali etiam conditione habita super predicta concessione, quod nostra iam dicta datio seu concessio ad ipsius Alsiconis Militis heredes post mortem suam non transeat, sed ad ecclesiam nostram omnes decimarum prouentus, qui de ipso monte prouenire poterunt, libere et integraliter reuertantur. Hec autem ne a posteris possint infirmari, sigillorum nostri et conuentus nostri munimine fecimus roborari. Et quia ipse Alsico Miles proprio sigillo caruit, sigillis domini Allexij, Archidiaconi loci, et fratris Karuli de Monte sancti Ypoliti, coram quibus in Capitulo eiusdem Archidiaconi hec facta fuerant, roborari etiam presentem paginam fecimus ad cautelam. Datum Anno domini M. CC. LX. IX. In die Decollationis sancti Iohannis Baptiste; presentibus, quorum nomina subscribuntur. Stephanus, plebanus de Grilwiz etc.

Ex originali in archivo ejusdem monasterii.

XXIV.

Conventio inter monasterium Welehradense et Hermannum Lohen, civem Opaviensem, de curia et reditibus villae Majoris Hošice. Datum Opariae, pridie Nonas Septembris, 1269.

Nos frater Lupinus dictus abbas et conuentus de *Welegrad* uniuersis Christi fidelibus tenorem presentis cedule cogrituris, ad rei memoriam sempiternam. Quoniam acta hominum, que geruntur in tempore, quamuis interdum satis sollempniter celebrentur, simul cum tempore transeunt, et propter hoc vergunt ad obliuionis occasum, nisi scriptis et testibus, que solent euidens esse probatio ueritatis, artius imprimantur memorie posterorum. Notum igitur esse cupimus tam presenti etati, quam future in Christo posteritati, quod nos curiam nostram et partem ville ac redituum in *maiori Hosschiz* pariter *et minori* per dominum Hartlibum quondam abbatem in Welegrad prouido uiro *Hermanno cognomento Lohen* ciui Oppauiensi olim pro LXXXIIII marcis argenti sine sui conuentus consilio venditam et consensu contra iura ecclesiastica minus prouide ac discrete de mandato serenissimi domini nostri Ottackari regis Boemorum, Hartlibo subcamerario suo super hac causa nobis iudice destinato repetere a dicto Hermanno iudiciarie uolebamus, nonnullis ei ammonitionibus prerogatis. Verum pluribus personis pro eo intercedentibus prouidis et honestis, tandem in arbitros cum eo consensimus, multorum precibus inclinati, ipso se nostre gratie committente, eligentes nobilem virum dominum Cvnonem camerarium Olomucensem et dominum Zaschit in partem nostram, et supradictus Hermannus dominum Milotam et Mracotam milites in suam partem, per quos in arbitrando taliter est processum, quod sepedictus Hermannus nobis in minori Hosschiz vnum mansum in festo sancti Martini marcam et lotonem argenti et vnum molendinum, dimidiam marcam, ac vnum ortum et dimidium lotonem et alia seruicia ad ualorem lotonis uel amplius persoluentes, que cum prefatis bonis in maiori Hosschiz a predicto abbate antea compararat, in manus nostras libere resignaret ecclesie nostre perpetuo seruitura. Nos autem eidem de omnibus proventibus, que antiquitus in maiori Hosschiz nostra ecclesia possidebat, per unanimem nostri conuentus consilium et consensum, sibi suisque heredibus sev successoribus de omni molestia uel impetitione cederemus, dimittentes eos perpetuo liberos et quietos. Ut autem prefatum arbitrium per tam sollempnes viros ac prouidos concordatum, firmum et stabile inuiolabiliter perseueret, presentem cedulam exinde conscriptam de nostri conuentus consensu ac consilio vniformi, eidem Hermanno tradidimus, nostri sigilli munimine roboratam. Cuius rei testes sunt: frater Iohannes prior de Saahr et frater Iohannes magister curie in Stiboriz monachi sacerdotes. Cvno camerarius Olomucensis. Hartliebus subcamerarius domini regis. Milota de Quasschiz. Zaschit. Woyzlaus de Heroltiz. Zwirchs de Nascil zudarius. Mracota de Crawarn. Mirozlaus de Piess. Milites. Gunpertus aduocatus de Lubeschiz et Theodericus frater eius. Sifridus de Iegerdorf. Vilhelmus Strippir aduocatus Oppaviensis et Albertus frater eius. Erenfridus et Rapoto. Meinhardus. Wilhelmus cognomento Hovwer. Henningus magister monete. Heroldus et Cristanus filii Volradi ciues Oppauienses et alii quam plurimi viri. Acta sunt hec sollempniter in choro minorum fratrum in Oppauia, anno verbi incarnati Millesimo CC. LXIX. pridie nonas Septembris. indictione XII.

Ex originali in archivo Třebonensi descr. Palacký.

XXV.

Bruno, episcopus Olomucensis, decisores litis inter fratres Templarios de Čegkowice et monasterium Zarense, terminumque decisionis designat. Dt. Cremsirii, VII. Kalendas Octobris, (1269).

B.(runo) dei gracia Olomucensis Episcopus Preceptori et fratribus in *Scheykwiz* salutem cum plenitudine amicicie et fauoris. In causa que uertitur inter abbatem et conuentum de *Sar* ordinis cisterciensis ex una parte et uos nomine ecclesie de *Schekwiz* super decima uille *michelsdorf* quam predicti abbas et conuentus ad ecclesiam in *cobals* contendunt et asserunt pertinere cum iam esset usque ad apperturam attestationum et termino prefixo ad obiciendum in dicta testium et personas quia aduocatus ipsorum abbatis et conuentus defuit eis non sperantibus de absencia eiusdem officialis noster magister H. de consensu et uoluntate procuratoris uestri dedit et concessit magistro H. doctori decretorum de ordine domus Thev(tonice) ut pro ipsis posset in iudicio postulare. Verum quia aduocatus sic de nouo concessus instructus non erat in negocio quo ad factum ut dicebat petebantur inducie ad uidendum acta et ad instruendum in negocio que quia denegate fuerant extitit appellatum ad uenerabilem patrem et dominum archiepiscopum Maguntinum. Abbas uero et conuentus iam dicti desiderantes nostrum consistorium debita reuerencia uenerari ac nostra iuridictione cause finem inponi nobis iam pluries cum instancia supplicarunt quatinus discussionem predicte peticionis induciarum et interlocutoria de peticione non admittenda ad diiudicandum assumere dignaremur protestantes si supplicacionem atmitteremus se uelle ab appellacionis prosecucione omnimodis retrahere et supplicacioni loco appellacionis inherere cuius supplicacionis tenor talis est. Vobis pater uenerabilis ac domine Episcope Olomucensis obnixius supplicamus pro sententia interlocutoria retractanda per Magistrum H. officialem uestrum lata contra nos in causa que uertitur inter nos et *fratres domus milicie templi de Schekwiz* super decima uille de Mychelsdorf impeticione induciarum gracia noui aduocati renunciantes appellacioni interposite ad dominum Maguntinum si supplicacionem nostram diiudicandam duxeritis acceptandam. Uolentes igitur parcere laboribus parcium et expensis supplicacioni annuimus pro ut de iure fuerit annuendum et quia ipsius cognicioni personaliter non potuimus interesse honorabili uiro H. preposito Olomucensi ac archidiacono Brvnnensi ipsam supplicacionis causam ad procedendum eciam in negocio principali si opus fuerit conmisimus terminandam, prefigentes uobis locum et terminum Brunnam in ecclesia Sancti Petri V. Idus octobris hora tercia quatinus compareatis coram preposito memorato super supplicacione et aliis quantum de iure expedit processuri. Scituri quod siue ueneritis siue non illum uobis terminum peremptorium assignamus. Datum in Cremsir VII. Kalendas Octobris.

Ex originali monasterii Zarensis.

XXVI.

Idem monasterio Oslowanensi jus patronatus ecclesiae Omnium Sanctorum extra portam Brunensem confirmat. Datum in Modřice, Idibus Octobris, **1269.**

Bruno dei gracia episcopus Olomucensis dilectis in Christo abbatisse et conuentui in *Oslavan* ordinis cisterciensis salutem in domino. Cum a nobis petitur quod iustum est et honestum tam vigor equitatis, quam ordo exigit rationis ut id per sollicitudinem officii nostri ad effectum debitum perducatur. Cum igitur sicut vestra nobis exhibita petitio continebat *Rudolphus Poszoldi* filius ciuis Brunnensis pium liberalitatis et deuotionis zelum erga uos et uestrum monasterium gerens ius patronatus *ecclesie Omnium Sanctorum* extra portam *Brunnensem,* quod habuisse dinoscitur a progenitoribus suis et iure hereditario translatum sit in eundem, in vos duxerit transferendum sicut in litteris exinde confectis plenius dinoscitur contineri nos uestre deuotionis supplicationibus inclinati dictique ciuis factum pium et prouidum commendantes in domino uobis ius presentandi ad dictam ecclesiam nostro et successorum nostrorum et archidiaconi loci, qui pro tempore fuerit, per omnia iure saluo, auctoritate ordinaria confirmamus mandantes sub interminatione anathematis, nequis hanc nostram confirmationem presumat infringere uel sibi ausu temerario contraire. Datum in Moderiz anno MCCLXIX. Idus Octobris.

E codice MS. ecclesiae sancti Jacobi Brunensis. — Originale in curia Brunensi asservatur.

XXVII.

Idem in causa litis inter monasterium Zarense et fratres militiae de Templo fert arbitrium de jure parochiae et decimis in Michelsdorf. Dt. in Kelč, VIII. Kalendas Novembris, **1269.**

Nos Bruno, dei gracia Olomucensis Episcopus, vniuersis notum facimus, quod cum inter venerabilem virum, dominum Abbatem de *Sar,* et conuentum eius et *fratres militie de Templo* questio uerteretur, et iam dudum agitata fuisset super iure Parochiali et decimis in *Michelsdorff,* tandem ad parcendum laboribus et expensis placuit eis, nobis tamquam arbitris committere totum factum. Nos consideratis circumstantiis huiusce eam terminauimus in hunc modum, quod ecclesia in *Sequihc,* cuius ius patronatus spectat ad fratres militie Templi pleno iure, gaudeat iure parochiali de uilla Michelsdorff, et quod ecclesia de *Cobelche,* cuius ius patronatus spectat ad Abbatem et conuentum de Sar, tollat de sex laneis de prefata uilla Michelsdorff decimas, que dari consueuerunt, uel que dari contingeret procedente tempore de eisdem. Volumus etiam, quod, cum uiginti lanei sint in Michelsdorff et non plures, determinentur sex lanei de eisdem, qui non de pejoribus sint, non de melioribus, de quibus parochie de Cobelche predicte decime annis singulis exsoluantur. Huius rei testes sunt: Henricus, plebanus de Mognich. Joannes, uicarius domini Episcopi. Hugo, uicarius S. Mauritii. Cuno et Gebhardus, milites. Actum et datum in Kelcz. Anno domini M. CC. sexagesimo nono. VIII. Kalendas Nouembris. Indictione XV.

Steinbach — II. pag. 28.

XXVIII.

Idem ciritatem Braunsberg secundum jus Magdeburgense construi et locari facit. Dt. in Katscher, die 6. Decembris, 1269.

In nomine domini amen. Vt ea que fiunt in tempore simul non labantur cum litterarum immortalitate solent commendari. Notum igitur sit omnibus tam presentibus quam futuris Quod ego *Bruno* Dei gracia Olomucensis episcopus ad emendationem mearum hereditatum et meam et Olomucensis ecclesie utilitatem proposui construere ciuitatem quam construendam et locandam confero fidelibus iudicibus meis scilicet Bertoldo iudici de Staritz et suo socio Henrico iudici meo de Vreccendorf ut sicut mihi ciuitatem quam *Brunsperh* nuncupaui promiserunt fideliter debeant construere et locare. Ego autem in remuneracionem laborum quos facient dictam ciuitatem construendo et eorum fidelis seruicii quod semper diligenter inspexi confero sextam curiam liberam preter duas curias liberas quas principaliter cum aliis libere possidebunt. Confero eciam eisdem fidelibus meis molendinum unum cum duabus rotis liberum ipsis et eorum successoribus in perpetuum libere possidendum. Addo eciam eisdem fidelibus meis eorumque successoribus stubam unam balniariam libere possidendam. Debent autem ipsi fideles iudices mei quatuor macellas liberas quatuor bancos in quibus panes solent uendi eciam quatuor bancos in quibus calcei solent uendi liberos obtinere ipsi eorumque successores in perpetuum libere possidendum. Preter maiorem graciam eisdem inpendendo confero in uilla ciuitati adiacenti quam locabunt sextum mansum liberum et molendinum liberum cum sola rota molari. Debent etiam obtinere mei ciues ad pascua pecorum eorum liberos duos mansos et villa adiacens similiter ad pascua unum mansum liberum obtinebit. Preterea uolo ut ad ipsam ciuitatem meam scilicet Brunsperh adiacentes uille scilicet *Staritz et Vreccendorf et Brunswerde et passecov* et si quid in terminis prescriptis adhuc poterit collocari spectare teneantur scilicet in iudicio maiori quod est pro homicidio pro adulterio pro furtu et singulis quibus uille ad ciuitatem quamlibet spectare consueuerunt cum in uillis pro uulneribus uel quidquid alcius est non debeat iudicari. Vt autem sepe dicti iudices mei circa huiusmodi ciuitatem construendam eo fidelius laborent *ius* eis et omnibus ciuibus meis confero *Meydburgense.* Addo eciam supradictis iudicibus meis fidelibus tercium denarium de omnibus culpis iudiciariis. Confero eciam supramemorate ciuitati mee ciuibusque in ea habitantibus per duodecim annorum spacium libertatem uille autem adiacenti libertatem per spacium sedecim annorum expletis autem XII annis liberis uolo vt de qualibet curia in ciuitate sex nummi persolui teneantur de uilla autem expleta libertate ut de aliis uillis persoluere tenebuntur. Preterea ut promisi quod meis ciuibus ius Meydburgense doceatur apud oppauiam tenorem obtinere. Preterea soli Bertoldo iudici meo confero allodium ciuitati mee adiacens libere et liberaliter possidendum. Et ut hec donacio stabilis et in statu semper incholomi perseueret presentem cartulam sigilli mei munimine tradidi roboratam testibus mediantibus qui prefate donacioni cum fieret assisterunt quorum nomina hoc in nuncupantur. Dominus Herbordus dapifer. Dominus Henningus filius eius Dominus Conradus filius eius Dominus Ditricus de Zell Dominus Bruno de Spenchove et alii quam plures fide digni. Acta sunt hec in Ketcer anno domini M. CC. LXIX. in die beati nicholai.

Ex originali in archivo archiepiscopali Cremsiriensi. — Apographum in codice Olomuc. chart. I. fol. 50. et 165.

XXIX.

Otakarus, rex Boëmiae et marchio Moraviae, monasterio Litomyšlensi restitutionem bonorum quorundam circa Poliska (Polička) et in terminis Moraviae confirmat. Dt. Pragae, XIV. Kalendas Januarii, 1269.

In nomine sancte et indiuidue trinitatis amen. Nos Othacarus, dei gratia Boemie Rex, Dux Austrie et Styrie ac Marchio Morauie omnibus inperpetuum. Cum obliuio sit nouerca pacis, mater calumpnie et litium suscitatrix, necesse est, ut gesta principum, ad cautelam et euidentiam futurorum, litterarum apicibus commendentur, vt ex scripture testimonio rei geste agerratur memoria, et calumpniandi materia apud posteros auferatur. Ea propter ad notitiam omnium cupimus peruenire, quod, cum Stephanus, venerabilis Abbas et Conuentus Monasterii in *Luthomizl* de omni iure proprietatis, quod eisdem in bonis *Poliska* et terminis circumadiacentibus, videlicet ortu *Dezne* usque ad fluuium *Zwratkam,* deinde inferius vsque ryuum *Strahwior,* et ab inde contra albos lapides et vsque ad fluuium *Zwytauam,* per fideles nostros Hermannum et ymmrammum et quosdam alios violenter actinus occupatis, cesserint et renuntiauerint spontanea voluntate: Nos in hiis Abbatis et Conuentus predictorum deuotionis affectum grato animo colligentes, vt nostri fauoris gratia, qua predictum Monasterium prosequimur, appareat euidentius operum argumentis, atque etiam vt fidelia et deuota obsequia, que prefatus abbas nobis exhibuit, commoditatis fructum afferant ecclesie memorate, de bonis nostris, que circa prelibatam Poliskam habemus, sexaginta laneos tam de rudi silua, quam de silua exstirpata, inter *Latam* vallem contra ortum *Dezne* et fluuium *Borownice* sitos, monasterio supra dicto contulimus ad vsus perpetuos possidendos. In cuius rei euidentiam clariorem presentem paginam conscribi fecimus, et nostrorum sigillorum munimine roborari. Testes igitur collationis nostre sunt: Andreas, Boemie Camerarius. Vlricus, purgrauius Pragensis. Hartlebus, Morauie Camerarius. Ierozlaus, frater Galli. Burchardus, Marscalcus Boemie. Bawarus de Straconitz. Gallus, pincerna Boemie. Albertus, Purgrauius de Castello, et Theodoricus, frater suus, Purgrauius in Ponte. Albertus et Ierozlaus, filii Dezslay de Sternenberch. Dinissius Dapifer. Dizslaus sub Marscalcus. Onso subpincerna. Chunradus, Magister

Coquine, et alii quam plures fideles Regni nostri. Actum Prage. Anno domini Millesimo ducentesimo sexagesimo nono. Datum ibidem anno predicto per manum Magistri Petri, venerabilis Wissegradensis ecclesie prepositi, cancellarii regni nostri. XIIII. Kalendas Ianuarii. Anno coronationis nostre octauo. Indictione duodecima.

Ex originali ejusdem monasterii.

XXX.

Idem confirmat decisionem litis inter monasterium Gradicense atque Albertum et fratres suos, filios Zdeslai de Sternberg, de silva et montanis ad Domašow. Dt. Pragae, 1269.

In nomine sancte et indiuidue trinitatis Amen. Cum in humanis disposicionibus nichil ad summe soliditatis culmen valeat peruenire. sed semper de gestis hominum quamuis rationabilibus tamquam de naui que fluctibus est exposita sub serenitatis tempore. obliuionum nebulas et calumpniarum timeri oporteat tempestates. necesse est ut ea que rationabiliter fiunt. scriptis autenticis roborentur. ut scripture testimonio rei geste acquiratur memoria et calumpniandi materia aput posteros auferatur. Hinc est quod nos *Premizl.* dei gracia quintus Rex Boemie. Dux Austrie. Stirie. et Karintie. marchio Morauie. Dominus Karniole. Marchie. Egre. et Portus naonis. ad noticiam omnium cupimus peruenire. quod in causa que super silua sita aput villam *Domasow.* et ferrifodinis eiusdem silue. et lapidibus molaribus qui ibidem exciduntur. inter venerabilem abbatem *Budis Gradicensem* et Monasterium eiusdem loci ex una et *albertum et fratres suos filios Sdezlai de Sternberch* ex parte altera uertebatur. in dilectos fideles nostros. Cunonem camerarium et Nezamizl Burchrauium Olomucensem de nostro speciali mandato. et consensu parcium utrarumque fuisset arbitrio compromissum. iidem arbitri de maturo consilio et cause meritis discussis diligentius hinc inde. talem arbitrii sententiam protulerunt. quod inter abbatem et filios Sdezlai supradictos in pretacta silua esse debeat terminorum distinctio infra scripta. que est talis. Scilicet inter viam per quam itur de *sternow* uersus *Bunowicz* villam monasterii et aliam viam per quam itur de *Castro Sternberch* uersus *Lasczan* villam. monasterii sunt mete que vvlgo hranicie nuncupantur. Deinde directe per fluuium *Olesnik* qui facit metam est eundem, usque ad originem suam et ibi est meta posita que vvlgo dicitur Kopecz. Deinde directe trans montem procedendo sunt mete que vulgo hranicie dicuntur. usque ad fluuium *Debrnik* ubi est meta que vulgo dicitur Kopecz. Qui fluuius per ascensum facit metam usque ad suam originem et ibi est posita meta que vvlgo dicitur Kopecz. Deinde per directum eundo sunt signa que vvlgo hranicie dicuntur. usque ad viam publicam. que vvlgo dicitur rudna ciesta. Que via versus orientem facit metam. cum signis que vvlgo dicuntur Kopci. trans fluuios. scilicet *Lodinnice. Hrussowi. Sirz.* vsque ad pontem fluuii *Bistricie.* ubi circa pontem positum est signum. qui vvlgo dicitur Kopecz. Fluuius vero Bistricie per descensum fluens facit metam. usque ad locum qui vvlgo dicitur *Bycholino pole.* Deinde directe procedendo per semitam vsque ad originem fluuii qui dicitur vvlgo *Hraniczni.* Fluuius uero predictus per descensum fluens facit metam. usque ad viam que vvlgo dicitur *Gywowska ciesta.* Via vero predicta metam facit vsque ad originem fluuii. qui vvlgo dicitur *Strelni.* Fluuius uero predictus per descensum fluens facit metam. sicut fluit in fluuium *Lodinnicie.* Predictus uero fluuius per descensum fluens. facit metam. vsque subtus villas *Lasczan* monasterii Gradicensis ex vna. et villam *Belkowici* ex altera. Quicquid autem in predicta silua. agris. campis. uel fluuiis. ex vtilitate auri et omnium metallorum de cetero prouenerit. infra distinctionem signorum et metarum supradictarum. ad Monasterium pertinet memoratum. Fluuii uero supradicti sunt cum libera ripa et aqua Monasterii. ita quod in ipsis molendina sine aliqua contradictione. Alberti et fratrum suorum et ipsorum successorum. ceterorumque vicinorum. potestatem abbas habeat liberam faciendi. Item prefati arbitri ordinatione prouida statuerunt. vt idem albertus et fratres sui filii Sdezlai memorati duo molendina que vvlgo *hutte* dicuntur ad ferrifodinas pertinentia. de parte sua et bonis. in remotiori fluuio Bistricie. vbi ipsorum molendina siue hutte alie sunt locate. que duas massas ferri qualibet septimana persoluant predicto Monasterio asignarent. iure hereditario possidenda. Qui statim de eisdem molendinis siue huttis coram nobis in castro Olomucensi libere cesserunt monasterio nominato. sub tali forma. quod vbicumque de cetero in bonis Alberti et fratrum suorum. metallum ferri posset inveniri. ad ipsorum molendina homines monasterii nominati. ad sua molendina duo predicta. metallum ferri absque aliqua contradiccione Alberti et fratrum suorum. et hominum ipsorum accipiendi habeant liberam potestatem. Huius sentenciam arbitrii. pena centum et quinquaginta marcarum argenti vallantes. quarum centum camere nostre cedent. et quinquaginta arbitris prenotatis. Destinati sunt ex parte etiam predictorum arbitrum. sollempnes milites cum beneficiariis. videlicet dominus Lupus de Dobroticz. Andreas cauca de Luchan. Martiezc de Pruss. Walcho de Strelecz. Camerarii vero Swaton et Hostec et Ospel. Ossadni. ad reuocandas et determinandas metas predictas secundum ius terre. Nos vero dictum arbitrium. ut maiori roboretur fulcimine firmitatis. presertim cum ipsum de consensu partium et virorum discretorum processerit consilio mediante auctoritate regia confirmamus. tali conditione. quod si umquam Albertus uel fratres sui. seu successores ipsorum. predictum arbitrium. immo nostram regiam confirmationem. infringere attemptauerint. ipso facto offensores regie maiestatis censeantur. et predictam penam scilicet Centum et L. Marcas argenti solvant. et a suo totaliter cadant iure. In huius rei testimonium presentem paginam scribi fecimus monasterio nominato sigillorum nostrorum munimine roborantes. Huius rei testes sunt. Harthlebus Burchrauius de Wewerij. Cuno Camerarius. Nezamizl Burchrauius. Iohannes iudex Olomucensis. Zdizlaus uillicus prouincie. Wsebor filius Egydii. camerarius Wietowiensis. Hrabisse frater suus de Vssow. Wilhelmus de nameszc. Koyata frater suus. Wocko filius Dirsizlai de Krawar. Beneda de Dubiszco. Wilhelmus filius suus. Radozlaus de Radzlauicz. Wuzata dapifer Regis. Bohusse de Drahotus Marsalcus Regis filius Cirhonis. Lvpus de Dobroticz. Andreas cauca de Luchan. Martiezc de Pruss. Budislaus prauonicz de vyezd. Wlastibor de Wasan. et alii quam plures. Datum Prage. Anno domini MCCLXIX. per manus magistri Petri prepositi Wissegradensis. Cancellarii Regni nostri.

Ex originali ejusdem monasterii, cujus sigillum avulsum est. — Excusum ex meis analectis in: Graf Kaspar Sternberg's — Umrisse einer Geschichte der böhmischen Bergwerke. I. B. II. Abtheilung. — Urkundenbuch n. 17. pag. 25.

XXXI.

Črnjn de Popowice vendit monasterio Oslowanensi praedium in Studyň.

1269.

In nomine domini amen. Nos Schernin de Popwiz. Omnibus hanc litteram inspecturis ad rei memoriam sempiternam. Ne in dubium ueniant que geruntur. rati habicio eas debet pro securitate parcium solidare. Inde est quod notum esse uolumus presencium inspectoribus et auditoribus vniuersis quod quidam contractus de facto interuenit inter nos ex parte vna et venerabilem in Christo Abbatissam et eius conuentum de *Ozla* cisterciensis ordinis ex parte altera. super emptione videlicet VII. laneorum et vnius curticule. pratis pascuis et rubetis in villa que uocatur *Studin* pro XXXIIII. marcis argenti. que omnia in nos ivre successionis hereditario a nostris progenitoribus translata fuerunt. et in earum possessione longo tempore fuimus pacifice et quiete. recedentes dumtaxat de consensu fratrum nostrorum videlicet domini Hartlibi camerarii Moranie. burgravii in Eichorns. et domini Boliborii. ab omni actione et ivre quod in eisdem bonis uidebamur habere. nichilominus aput clarissimam in domino Abbatissam et Moniales prefati Monasterii de Ozla talionis et sponsionis vinculo bona fide nos adstringentes. quod si in futurum de bonis eisdem per qualemcunque viam controuersie ipsas contigerit inpediri. nos in bonis nostris equipollentes redditus ad vsus earundem restituemus. donec partis aduerse lites per omnia decidantur. In cuius rei testimonium euidenciam memoriam et cautelam. quia sigillo proprio caruimus rogauimus fratrem nostrum ut presens littera sigilli sui munimine reciperet firmamentum. Acta sunt hec in Brunna anno domini Millesimo. CC. LX. IX. coram testibus subnotatis. Domino Chunone. Domino Bznetone. Domino Bohus. Domino Philippo de Medelowe. Matheo de Cobals. Boliborio fratre nostro. Petro de Othsassowe. Droschelino. Blasio prouinciali brunnensi. Stizlawo et Ernesto fratribus de Lochwan. et aliis quam pluribus tunc ibidem collectis.

Ex originali ejusdem monast. cum sigillo illaeso gentis Drahotušianae.

XXXII.

Hartlibus, camerarius Moraviae, ratam habet venditionem eandem. Acta Brunae, 1269.

In nomine domini. Amen. Nos Hartlibus camerarius Moraue et burgrauius in Eikorns. Omnibus hanc litteram inspecturis ad rei memoriam sempiternam. Cum in rebus humanis prout sacris canonibus sanccitum reperitur. summum sit bonum colere iusticiam ac vnicuique seruare ivra sua. et humane fidei nil magis congruum sit et honestum. quam ut pacta inita inter contrahentes inuiolabiliter obseruentur. Inde est quod notum esse uolumus presencium inspectoribus et auditoribus vniuersis. quod inter venerabilem dominam Abbatissam et conuentum sanctimonialium Monasterii de *Ozla* Cisterciensis ordinis ex parte vna. et fratrem nostrum dominum *Szernin* ex altera. quidam contractus de facto interuenit. super emptione videlicet VII. laneorum et vnius curticule. pratis. pascuis. et rubetis. in villa que uocatur *Studin.* pro XXXIIII. marcis argenti que omnia ad ipsum ivre successionis hereditario a suis progenitoribus translata fuerunt. et in eorumdem possessione longo tempore fuit pacifice et quiete. recedens nostro dumtaxat consensu et fratris nostri domini Boliborii ab omni actione et ivre quod in eisdem bonis uidebatur habere. nichilominus aput clarissimam in domino Abbatissam et Moniales prefati Monasterii de Ozla talionis et sponsionis vinculo se astringens. quod si in futurum de bonis eisdem per qualemcunque viam controuersie ipsas contigerit inpediri. frater noster in bonis suis equipollentes redditus ad vsus earundem restituet. donec partis aduerse lites per omnia decidantur. In cuius rei testimonium. euidenciam. memoriam et cautelam. quia frater noster sigillo proprio caruit. supplicauit nobis ut presens littera sigilli nostri munimine reciperet firmamentum. Acta sunt hec in Brunna. anno domini Millesimo. CC. LX Nono. coram testibus subnotatis. Domino Chunone. Domino Bznetone. Domino Bohus. Domino Philippo de Medeloue. Matheo de Cobals. Boliborio fratre nostro. Petro de Othsassowe. Droschelino. Blasio prouinciali brunnensi. Stizlawo et Ernesto fratribus de Lochwan. et aliis quam pluribus tunc ibidem collectis.

Ex originali ejusdem monasterii cum sigillo eodem illaeso.

XXXIII.

Otakarus, rex Boëmiae et marchio Moraviae, civibus Iglaviensibus indulget, ut tantum de eorum consensu novae casae construi possint. Actum et dt. Iglaviae, pridie Idus Januarii, **1270.**

In nomine sancte et indiuidue Trinitatis. Amen. Nos Othackarus, dei gratia Boemie Rex, Dux Austrie et Styrie et Marchio Morauie, omnibus in perpetuum. Cum obliuio sit mater calumpnie, nouerca pacis, et litium suscitatrix, actus nostros atque ordinationes legitimas, que sapere uidentur profectus et commoda subditorum, scriptis consueuimus authenticis roborare, ut ex scripture testimonio rei geste acquiratur memoria et calumpniandi materia apud posteros auferatur. Quapropter scire cupimus uniuersos, presentes litteras inspecturos, quod nos ciuium nostrorum de *Iglauia* deuotionis merita et parata fidelitatis obsequia, que nostre Celsitudini exhibere iam dudum cum promptitudine et diligentia studuerunt respectu gratuito intuentes volentesque etiam, ut seruitia eorundem, quanto amplius ea ad nostra beneplacita excederant, tanto amplius per nos remunerationis premio coronentur, eisdem ciuibus ex gratia speciali duximus indulgendum, ut case duntaxat ad Iglauiensem pertinentes ciuitatem debeant de cetero permanere, et quod iidem ciues liberam habeant facultatem, casas, ubi necesse fuerit, pro eiusdem ciuitatis utilitatibus erigendi. Quare ne huiusmodi noue gratie per priores indulgentias super constructionem casarum per nos concessas preiudicium ualeat generari, proinde duximus statuendum, ut case, per quoscunque constructe fuerint, que in nocumentum siue dampnum vergere videntur prehabite ciuitatis, penitus diruantur, nec de cetero erigantur ulle case, quarum nisi constructio de consilio et consensu processerit ciuium predictorum. Ad cuius ergo rei euidentiam clariorem presentem paginam conscribi fecimus, et sigillorum nostrorum munimine roborari, testium nominibus, qui presentibus affuerunt, infra scriptis, qui sunt: Andreas, Bohemie camerarius. Hartlebus, Morauie camerarius. Burchardus, Marschalkus Boemie. Gallus, pincerna Boemie. Bohusche, Marschalkus Morauie. Wznata, dapifer Morauie. Nezamisl, pincerna Morauie, et alii quam plures fideles nostri. Actum Iglauie. Anno domini Millesimo Ducentesimo Septuagesimo, pridie Idus Ianuarii. Datum ibidem anno et die predictis per manus Magistri

Petri, uenerabilis Wissengradensis Ecclesie prepositi, cancellarii Regni nostri; indictione tredecima. Anno coronationis nostre nono.

E copia simplici sat vetusta. — Autographum in archivo civitatis Iglaviensis reperies.

XXXIV.

Idem confirmat privilegia Welehradensi monasterio ab avo et patre suo concessa, et praesertim possessionem bonorum in Opaviensi provincia. Dt. Brunae, XIV. Kalendis Martii, **1270.**

In nomine sancte et indiuidue trinitatis amen. Nos Ottakarus dei gratia Boemorum Rex Dux austrie Styrie et Karinthie Marchioque morauie. Dominus Carniole Marchie et Egre omnibus in perpetuum. Cum obliuio sit mater calumpnie quietis discidium et litium suscitatrix, non arbitramur inprouidum uel superuacuum reputamus si gesta rationabilia que memoranda progenitorum nostrorum extendit prioritas circa commoda subditorum nostre renouationis patrocinio communimus, ut ea que processu temporis sunt uetera, uultu nouitatis assumpto iuuenescant, et in agnicionis lucem se erigant clariorem. Hinc est quod recognoscimus et tenore presentium protestamur quod nos priuilegia sanctissime recordationis Ottakari aui nostri quondam Regis Boemie nec non incliti patris nostri Regis Wenzeslai quorum in pace anime requiescant, non cancellata, non abolita nec in sui parte aliqua uitiata uidimus in hunc modum: *(In nomine sancte et indiuidue trinitatis. Amen. Ego Wenceslaus etc... Dt. MCCXXXII. XV. Kal. Febr. Vide T. II. n. CCXIV.)* Cum igitur nobilitatis uigor hanc sibi legem ponat ut non solum piis operibus consentire quin immo de sue dilectionis plenitudine preanticipatam gratiam uberiori debeat liberalitatis amminiculo confouere serenissimorum aui nostri et patris nostri predictorum gratiam et concessionem predicto monasterio factam gratam habere uolumus atque ratam eandem una cum uillis inferius subnotatis, que sunt in *Opauiensi* prouincia. *Styboriz. Iezdcowiz. Iemniz. Zadech. Hlamniz. Mlododiz. Bratsicowiz. Hermanstorf. Schonnebrvnne. Driscowiz. Ekhartstorf. Bohdanowiz. Darcowiz. Seiffridestorf. Mezina. Piesche. Bolatiz. Zaberzi.*

Chlebeschawe. Minus Hoschiz et Minus Ekharthowiz. in Turcho curie tres; et ex ista parte silue Wilcowiz. Lrbiz. Waltherstorf. Zobicur. Lashiz Cerans. Srcuwiz. Vherz Chlobrch. duo lanei in Orechauwe. Balina circa Znoimam cum uineis et agris que contulit dominus Vlricus de nouo Castro. siue ecclesie, uille iure plantationis sev emptionis uel commutationis aut qualicunque possessionis titulo monasterio accesserint. supradicto eidem Monasterio auctoritate Regia confirmando. In cuius rei euidentiam clariorem roburque perpetue firmitatis presentem paginam conscribi fecimus et sigillorum nostrorum munimine roborari. Testes uero huius ratihabitionis hac (ac) confirmationis nostre sunt *Nycolaus Dominus Opauie.* Winricus venerabilis de Saher. Albertus de Wizowiz. Bvdissius de Hradis ecclesiarum abbates. Dominus Albertus prepositus sancti petri in Brvnna. Magister alexius archidyaconus Znoemensis. Dominus Chunradus canonicus Pragensis. Theodericus notarius Iglauie. Capellani nostri. Zmilo de Brumouwe. frater suus Chuno. Hartlibus camerarius. Hartlibus de Dubna. Bsnata dapifer. Bohusch Marscalcus. Svmrath de Tyenez. Saschit. Ieronimus et Andreas fratres de Bvchlawiz. Twrthe de Rohaz. Muttin de Twrdoniz. Theodericus filius Hrutonis. Seborius camerarius Vethouiensis cum fratribus Hrawische et Witigone et alii quam plures. fideles nostri. Actum Brvnne Anno domini M. CC. LXX. XIIII. Kalendas Martii. Datum ibidem anno et die predictis per manum Magistri Petri venerabilis Wissehradensis ecclesie prepositi Cancellarii Regni nostri Anno Coronationis nostre IX. Indictione XIII. Epacta XXVI. Concurrente II.

Ex originali in arch. c. r. aulico Vindobonae. — Excus. dedit Sommersberg in Scriptor. rerum Siles. T. I. pag. 918.

XXXV.

Bruno, episcopus Olomucensis, Heinrico, judici de Fritzendorf, villam Fritzendorf secundum jus teutonicum locandam concedit. Dt. in Braunsberg, die 24. Februarii, **1270.**

Bruno, dei gratia Episcopus Olomucensis, Heynrico, iudici de Fryczendorf, suisque heredibus ac posteris inperpetuum. Cum rerum rite gestarum certissima representatio sit scriptura, ideo ad notitiam peruenire volumus futurorum, quod nos tibi tuisque heredibus locandos in ipsa villa *fryczendorf* septuaginta mansos et dimidium dedimus et contulimus isto iure, videlicet, quod de omnibus istis mansis tu et heredes tui pretextu locationis liberum habebitis sextum mansum; scire volentes posteros et presentes, quod de illis LXX mansis et dimidio canonicis ecclesie nostre Olomucensis ob dei reuerentiam et beati Wenceslai in eadem villa mansos contulimus sexaginta, taliter ordinantes, quod idem Heynricus vel quisquam suorum heredum de istis LX mansis nullum habebunt penitus vel requirent. Habebunt enim tercium denarium iudicii in eisdem, sicut in mansis, quos a nobis tenent. Quotquot autem mansi prefato Heynrico iudici et suis heredibus de LXX et dimidio in predicta villa possunt cedere nec non cedent, volumus, ut de parte mansorum uestrorum residuorum in eadem villa totidem eis cedant. Et si forsitan in eisdem mansis idem Heynricus iudex et sui heredes defectum uel diminutionem aliquam patientur, illam ei supplemus in contiguis bonis nostris, videlicet in campo pertinente in *Brunsperg,* contiguo campo in friczendorf. Damus eciam eidem Heynrico iudici et suis heredibus vnam rotam molendini in eadem villa liberam, et tertium denarium iudicii libere perpetuo possidendum. Idem vero Heynricus iudex suique heredes et homines prefate ville in ciuitate nostra Brunsperg querent iudicium, quod *foytdynk* dicitur, ter in anno, volentes, vt omnes cause criminales coram loci iudice debeant pertractari. Nichilominus sepe dictus Heynricus iudex et heredes sui suum retinebunt tertium denarium iudicii, ac si eedem cause criminales tractarentur coram ipsis. Ad hec scire volumus vniuersos, quod XX mansi, in quibus adhuc nemus existit, pertinent ad canonicos nostros Olomucenses. De LX superius annotatis a festo beatorum apostolorum Philippi et Iacobi nunc instanti ad XII annos nostro et predictorum canonicorum nomine libertatem. Platee vero ville memorate de fryczendorf, protendentes versus *Staricz,* quia agri aliis sunt peiores, ad IV annos a termino prenotato damus libertatem de gracia speciali. In cuius rei testimonium tibi et tuis heredibus dedimus presens scriptum, sigilli nostri munimine roboratum. Datum in Braunsperg anno domini MCCLXX in vigilia S. Walpurgis virginis.

E codice Olomucensi I. membr. fol. 84.

XXXVI.

Idem confert Catharinae, relictae Alberti, militis sui, feudum in Komarowice, Bránek, Babice, Tučepy, Pačetluky et in Kelč. Dt. apud Olomucium, die Paschae, 1270.

Bruno, dei gratia Olomucensis Episcopus, dilecte sibi Katherine, relicte quondam militis sui Alberti, ac suis heredibus in perpetuum. Digne agimus, ac ratione mouemur, dum eorum, qui se nobis et ecclesie nostre seruiles exhibent et fideles, recompensamus seruitia fauore ac gratia speciali, ut feruentius nostris insistant seruitiis, dum fauorem nostrum sibi senserint affuisse. Hinc est, quod inspectis seruitiis, que in ecclesie nostre negotiis et vtilitatibus idem Abertus, quondam maritus tuus, non parcendo rebus et persone grata promptitudine diutius impendit, et tui heredes intendant, in huiusmodi persistere seruitiis incessanter, cumque benefecisse bonis et fidelibus sit omni parte lucrosum: nos tibi et heredibus tuis damus et conferimus libenter et liberaliter in feodum, capituli nostri accedente consensu, istas villas cum suis attinentiis, molendinis, pratis, pascuis, siluis et subsidibus, videlicet *Comarouicze* cum molendino, *nouam villam Branech* cum molendino, *Babicz* cum molendino, *Tutspeh, Paczcotluch,* duo molendina circa *Gelcz* et octo curticulas, vt omnia predicta bona simul cum censu, decimis, steuris, iudiciis, omnibusque prouentibus ac pertinentiis, nullo diminuto vel excepto, per te ac heredes tuos, filios dumtaxat et non filias titulo feodi teneas ac possideas, ac ratione ipsius feodi *ius vasallorum ecclesie Magdeburgensis* in omnibus habeas indistinctum, quod omnibus concedimus infeodatis a nobis, quodque heredes tui, filii tantum, sicut premissum est, gaudeant ipso iure. Dabis etiam annis singulis in recognitionem bonorum ipsorum canonicis nostris Olomucensibus de quolibet manso mensuram tritici, quemadmodum ceteri infeodati dare tenentur. Ceterum statutum est per nos de consilio capituli nostri, vt quilibet vasallorum nostrorum infeudatorum a nobis alia de propria pecunia debeat comparare bona, que, estimatione facta bonorum sibi collatorum ab ecclesia, tertiam partem valere debeant eorundem. Illa quoque bona empta siue comparata recipere debent a nobis et ab ecclesia nostra, et tenere similiter iure ac titulo feodi, quemadmodum bona episcopalia. Sed ad distinctionem bonorum emptorum et episcopalium, non dabunt de bonis emptis mensuram tritici predictam, illa vero bona empta siue comparata non solum ad filios, verum etiam ad filias transferentur. Non dabis etiam mensuram tritici de agris, quos ad usus et culturam tuam ac famulorum tuorum duxeris deputandos. Quod autem omnia premissa perpetuam obtineant firmitatem, nos ad rei memoriam sempiternam presentem paginam inde conscribi, nostrique sigilli iussimus munimine roborari. Et nos Olomucense capitulum: Heydolfus decanus, Herwordus prepositus, magister Iohannes archidiaconus Olomucenses. Allexius prepositus in Wolframskirchen, archidiaconus Snaymensis. Lambertus custos Olomucensis. Voyslaus, et nos ceteri presentes, super premissis omnibus consensum nostrum liberaliter adhibentes, presens scriptum sigilli nostri munimine roboramus. Actum et datum aput Olomunz. Anno domini M. CC. LXX. in die sancte Pasche.

E codice Olomucensi membr. I. fol. 29.

XXXVII.

Idem Eberhardo, militi suo, feudum in villa Špičky et in alia nova villa confert. Dt. Olomucii, in festo Paschae, **1270.**

Bruno dei gratia episcopus Olomucensis, dilecto sibi Everhardo militi suo et heredibus suis inperpetuum. Digne agimus et racione mouemur, dum eorum qui se nobis et ecclesie nostre seruiles exhibent et fideles recompensamus seruicia fauore ac gratia speciali, vt feruentius nostris insistant obsequiis, dum fauorem nostrum sibi senserint affuisse. Hinc est quod inspectis sinceritatis tue seruiciis que nobis in ecclesie nostre negociis. et vtilitatibus non parcendo rebus et persone promptitudine grata iam diucius impendisti, et intendas in huiusmodi persistere seruiciis incessanter, cumque benefecisse bonis et fidelibus sit omni parte lvcrosum. Nos tibi qui te tam fidei puritate quam seruiciorum exigencia retributionis premio dignum reddis, damus et conferimus libenter et liberaliter in feodum, capituli nostri accedente consensu in villa *Spizk* quindecim mansos, qvorum vnus mansus pertinet ad dotem ecclesie ipsius ville, cuius inquam ecclesie te et heredes tuos ius habere volumus patronatus. Molendinum vnum tibi et heredibus tuis habere concedimus, et quatuor tabernas, qvarum vna est ecclesie ville prefate. Vnum eciam piscatorem te et heredes tuos in eadem villa habere volumus et non plures. Preterea damus et conferimus tibi et heredibus tuis in *alia noua villa* decem et octo mansos qui habent et habere debent decem annorum a receptione presencium libertatem. Conferimus etiam tibi et heredibus tuis infra limites dictarum ecclesiarum siluas, prata, pascua, et omnem vtilitatem que ipsis villis nunc inest vel inesse poterit in futurum. Ita vt omnes mansos prefatos simul cum censu, decimis, iudicio, stvris, omnibusque prouentibus et attinenciis nullo diminuto vel excepto per te et heredes tuos, filios duntaxat et non filias titulo feodi teneas et possideas, ac racione ipsius feodi *ius vassallorum Magdeburgensis* ecclesie in omnibus habeas indistinctum. quod omnibus concedimus infeodatis a nobis, quodque heredes tui filii tantum sicut premissum est gaudeant ipso iure. Dabis eciam annis singulis in recognitionem bonorum ipsorum canonicis nostris Olomucensibus de quolibet manso mensuram tritici, quemadmodum infeodati ceteri dare tenentur, exceptis de illis mansis quos sub tua colis aratura, et quos tuis seruientibus contulisti in feodum ad arandum. Ceterum statutum est per nos de consilio capituli nostri, vt quilibet vasallorum infeodatorum a nobis, alia de propria pecunia debeant comparare bona, que estimatione facta, bonorum sibi collatorum ab ecclesia, terciam partem valere debeant eorundem. Illaque bona comparata siue empta recipere debent a nobis et ab ecclesia nostra et tenere similiter iure ac titulo feodi quemadmodum bona episcopalia, sed ad distinctionem bonorum emptorum et episcopalium non dabunt de bonis emptis mensuram tritici predictam. Illaque bona comparata siue empta non solum ad filios verum eciam ad filias transferentur. Vt autem omnia premissa perpetuam obtineant firmitatem, nos ad rei memoriam sempiternam, presentem paginam inde conscribi, nostrique sigilli iussimus munimine roborari. Et nos Olomucense capitulum, Heidolphus decanus. Herbordus prepositus, magister Iohannes archidiaconus, ceterique canonici super premissis omnibus consensum nostrum liberaliter adhibentes, presens scriptum sigilli nostri munimine roboramus. Datum Olomuz anno domini M. dvcentesimo septuagesimo. In pascha domini.

Ex originali in archivo archiepiscopali Cremsiriensi. — Apographum in codicibus Olomucensibus I. membr. fol. 81. et II. chart. fol. 106.

XXXVIII.

Idem Gottfrido, Heinrico et Bertholdo, fratribus de Emse, confert in feudum villam Tlustomosty (Stolzmütz). Dt. Olomucii, in festo Paschae, **1270.**

Bruno, dei gracia Olomucensis Episcopus, dilectis sibi Gotfrido, Heinrico et Bertoldo, fratribus de Emse, et heredibus eorum inperpetuum. Digne agimus, et racione mouemur, dum eorum, qui se nobis et ecclesie nostre seruiles exhibent et fideles, recompensamus seruicia fauore ac gracia speciali, vt feruencius nostris insistant obsequiis, dum fauorem nostrum sibi senserint affuisse. Hinc est, quod inspectis sinceritatis vestre seruiciis, que nobis in ecclesie nostre negociis et vtilitatibus, non parcendo rebus et personis, promptitudine grata iam diucius inpendistis, et intendatis in huiusmodi persistere seruiciis incessanter, cumque benefecisse bonis et fidelibus sit omni parte lucrosum: Nos vobis, qui vos tam fidei puritate quam seruiciorum exigencia retribucionis premio dignos redditis, damus et conferimus libenter et liberaliter in feodum, capituli nostri accedente consensu, totam villam *Tluztemoz*, in qua sunt quindecim mansi, quorum iidem fratres predicti tres mansos sub aratro suo tenent, vnum molendinum, prata, pascua et omnem vtilitatem, que eidem nunc inest, vel inesse poterit in futurum, ita, vt omnes prefatos mansos simul et molendinum cum censu, decimis, iudicio, steuris omnibusque prouentibus et attinenciis, nullo diminuto vel excepto, per uos ac heredes vestros, filios dumtaxat et non filias, titulo feodi teneatis et possideatis, ac racione ipsius feodi *ius vasallorum Magdeburgensis* ecclesie habeatis in omnibus indistinctum, quod omnibus concedimus infeodatis a nobis, quodque heredes vestri, filii tantum, sicut premissum est, gaudeant ipso iure. Dabis eciam annis singulis in recognicionem bonorum ipsorum canonicis nostris Olomucensibus de quolibet manso, nisi de illis, quos sub vestra colitis aratura, mensuram tritici, quemadmodum infeodati ceteri dare tenentur. Ceterum statutum est per nos de consilio capituli nostri, vt quilibet vasallorum infeodatorum a nobis alia de propria pecunia bona debeant comparare, que, estimacione facta bonorum sibi collatorum ab ecclesia, terciam partem valere debeant eorundem, illaque bona comparata siue empta recipere debent a nobis et ab ecclesia nostra, et tenere similiter iure ac tytulo feodi, quemadmodum bona episcopalia. Sed ad distinccionem bonorum emptorum et episcopalium non dabunt mensuram tritici de bonis emptis predictam, illaque non solum ad filios verumeciam ad filias transferentur. Quod autem omnia premissa perpetuam obtineant firmitatem, nos ad rei memoriam sempiternam totumque capitulum nostrum, videlicet Heydolfus decanus. Herbordus prepositus. Magister Iohannes, archidiaconus Olomucenses. Allexius, prepositus in Wolframschirchen, archidiaconus Znoimensis. Albertus, prepositus Cremsirensis. Lambertus, custos Olomucensis, archidiaconus Praczouiensis, ceterique presentes, super premissis omnibus suum consensum liberaliter adhibentes, presentem paginam inde conscribi, et sigillorum nostrorum munimine iussimus roborari. Datum Olomuz. per manus notariorum nostrorum Iohannis et Arnoldi. Anno domini Millesimo ducentesimo LXX. In die sancto Pasche.

E codicibus MSS. Cremsiriensi K. VIII. n. 83. et Olomucensi chart. I. fol. 48.

XXXIX.

Decisio litis inter monasterium Tišňowicense, et plebanum in Wegmyslice de laneo agrorum et decimis ejusdem ecclesiae. Actum et dt. in Tišňowice, IV. Idus Maji, **1270.**

N. de Ebra. H. de Andreo. I. de Grvnhagen. L.(upinus) de Welherat diuina miseratione Abbates. Vniuersis presens scriptum visuris eternam in domino salutem. Accedentes ad nos cum essemus in Welherat constituti honorabiles viri archidiaconi. A. znoimensis et L. brezlaviensis obnixius rogauerint. quod venientes ad conventum dominarum de *Tvsnowiz* litem que dudum uersabatur inter ipsas ex parte vna. et H. plebanum de *Wemsliz* ex altera ne utrique parti crescant de cetero maiores labores et expense finaliter terminaremus. quod et fecimus sub hac forma. Nos dei gracia Abbatissa et Conventus sanctimonialium de Tvsnowiz hiis nostris litteris protestamur. quod ad consilium venerabilium abbatum N. de Ebra. H. de Andreo. I. de Grvnhagen. L. de Welherat. ecclesiam quam actenus habuit a nostris predecessoribus concessam dimisimus perpetuo possidendam tali conditione. quod de nostra bona voluntate habebit et consensu decimas XI. laneorum. laneus vero pro quo est lis aliquamdiu ventilata in nostram cedet partem. addentes quoque decimas IX curticularum. et quartam partem prati tali modo. quod si nobis visum fuerit in posterum aliud partum equipollens recipiat et de predicto cedat voluntarie pacis causa. In huius rei testimonium presentem cedulam abbatum memoratorum et archidiaconorum sigillis muniri fecimus ad cautelam. Actum hoc in Tvsnowiz coram abbatibus prefatis. Th. cellario. G. suppriore. F. custode de Welherat. N. sacerdote. et plebanis H. de Wemsliz. R. de pudewiz. H. de Lvkowe. et aliis quam pluribus. Datum ibidem anno domini M. CC. LXX. IIII. Idus Maii.

Ex originali monasterii Tišňowicensis — cum quinque de septem sigillis appensis superstitibus.

XL.

Otakarus, rex Boëmiae et marchio Morariae, monasterio Gradicensi privilegia, a praedecessoribus et patre suo data, in tribus aequalibus chartis transcribi facit, eaque confirmat. Dt. Pragae, XII. Kalendas Septembris, **1270.**

In nomine sancte et indiuidue trinitatis. Amen. Nos Otthakarus dei gratia Boemie Rex, Dux Austrie, Styrie et Karynthie. Marchioque Morauie, Dominus Carniole, Marchie et Egre, omnibus in perpetuum. Cvm in humanis dispositionibus nichil ad summe soliditatis culmen valeat peruenire, sed semper de gestis hominum, quamuis rationabilibus, tanquam de naui, que fluctibus est exposita, sub serenitatis tempore calumpniarum timeri oporteat tempestates, necesse est ut ea, que ex principum pia ordinatione processerunt, circa commoda subditorum, ne vetustate temporis obliuionum nebulis obfuscentur, renouationis antidoto medicari, vt ea, que uetera sunt, vultu innouationis assumpto iuuenescant, et in agnitionis lucem se erigant clariorem. Eapropter ad notitiam omnium cupimus peruenire, quod nos priuilegia inclyti ducis Ottonis *(in aliis literis: Serenissimi patris nostri Wence-*

zlai Regis Boemorum Quarti), quibus ecclesiam *Gradicensem* multis beneficiorum gratiis ac libertatibus insigniuit, renouanda et confirmanda duximus, quas uidimus in hunc modum: *(1. In nomine sancte et indiuidue trinitatis. Otto . . . Anno millesimo septuagesimo octauo. III. nonas Februarii. — Item anno MCXXVI. . . . Wencezlaus . . usque dampnetur. Vide T. I. n. CLXXXIII. et n. CCXXV.* ***2.*** *In nomine domini amen. Nos Wencezlaus . . . Dt. MCCXLIX. nono Kal. Septembris. Vide T. III. n. CXLII.* ***3.*** *In nomine sancte et indiuidue trinitatis. amen. Vencezlaus . . . Actum et datum Prage . . MCCL. Kal. Septembris. — Quod ipsum nuperrime e tenebris prolatum in T. V. excudetur.)* Nos itaque eiusdem ducis Ottonis *(in aliis literis: patris nostri predicti)* cuius fauoris gratia multipliciter effulsit, sicut euidenter colligitur in premissis, circa ecclesiam memoratam, cupientes vestigiis inherere, ut predicta ecclesia tum propter *Budiss,* uenerabilem eiusdem ecclesie abbatem, qui se propter sue deuotionis obsequia nostris reddidit asspectibus gratiosum, tum etiam propter ipsam ecclesiam in qua caritatis et alia pietatum opera non quiescunt, similiter gaudeat insigniis nostre gratie specialis, ecce prescripta priuilegia dicte ecclesie, iuxta quod premisimus, auctoritate regia confirmamus in perpetuum, precipientes sub pena que in dictis priuilegiis continetur, vniuersa iura gratias ac libertates, et metarum distinctiones, prout in ipsis priuilegiis exprimuntur, eidem ecclesie ab omnibus inuiolabiliter obseruari. Vt igitur premissa permaneant inconuulsa, presentes litteras conscribi fecimus, et sigillorum nostrorum munimine roborari. Testibus qui aderant infrascriptis. qui sunt: Andreas, et Gallus Boemie Camerarii. Hartleuus Morauie Camerarius. Diwissius dapifer. Volcmarus pincerna, Prothiwoi filius Chechonis. Stephanus de Medlowe. Sdyszlaus submarschalcus. Onso subpincerna. Cvnradus magister coquine. et alii quam plures fideles nostri. Actum Prage anno domini M. CC. LXX. XII. Kalendas Septembris. Datum ibidem Anno et die predictis per manum Magistri Petri venerabilis Wissegradensis ecclesie prepositi Cancellarii Regni nostri.

E tribus literis, quarum prima apographa in Annalibus Gradicensibus MSS.; reliquae vero autographae in archivo ejusdem monasterii cum sigillis integris reperiuntur.

XLI.

Bruno, episcopus Olomucensis, villam Pohledy (Polen) locari statuit. Dt. in Blansko, die 24. Augusti, 1270.

Bruno Dei gracia episcopus Olomucensis Heinrico iudici de Bolen et suis heredibus in perpetuum. Cum rerum rite gestarum certissima representatio sit scriptura, ideo tenore presencium constare uolumus presentibus et futuris, quod nos tibi tuisque heredibus totam sylvam nostram existentem inter *Greifendorph et Hermansdorph* villas nostras, et metas viri nobilis domini Bursonis et suorum heredum, et inter viam, que protenditur versus *Gewicz* locacionis titulo et iure hereditario contulimus videlicet isto iure, ut quotquot mansi ibidem esse poterint, tu et heredes tui ex speciali libertate quam damus decem et octo annis a recepcione presencium decimum mansum liberum habebitis libere perpetuo possidendum. Adhec unam tabernam liberam, unam rotam molendinam liberam et non plures, si vero plures tunc processu temporis nobis esse debent, et nostris successoribus censuales. Item tercium denarium totius iudicii liberum habebitis cum omnibus supradictis. Preterea in eadem villa *Bolen* ecclesiam esse volumus, quam plebanus, qui pro tempore fuerit in greifendorph semel infra quatuordecim dies in diuino officio procurabit. Communitas uero hominum ville supradicte de Bolen inter se unum mansum comparabit, ecclesie de Bolen et plebano de Greifendorf libere perpetuo serviturum. In cuius rei testimonium damus tibi et tuis heredibus presens scriptum sigilli nostri munimine roboratum. Datum Blanzk Anno domini Millesimo ducentesimo LXX. in die Sancti Bartholomei.

E copia in archivo archiepiscopali Cremsiriensi. — Vidimus privilegii ab anno 1602. judex Heinzendorfensis, Zwitaviensis dominii, asservat.

XLII.

Agnes, relicta Kadoldi de Weingen, monasterio Oslowanensi quaedam bona in „Genstrendorf“ confert. Actum in Stogice, VIII. Kal. Septembris, 1270.

Nos Agnes relicta domini Kadoldi de Weingen. Omnibus hanc litteram inspecturis ad rei memoriam. Ne hii qui cum pietate mortis sompno depressi in Christi nominis confessione dormitionem acceperunt suis fraudentur remediis que ipsorum liberatione legata fuerint ac salute eternari solent memoria litterarum. Inde est quod nostris litteris protestamur quod nobilis femina domina videlicet Demudis mater domini mei et mariti pie memorie diuinitus inspirata pro remedio anime sue et successorum suorum legauit duos laneos in *Hedrichstorf* venerabili Abbatisse et conuentui monasterii de *Osla* cysterciensis ordinis soluentes XIIII. solidos wienensium et curticulam soluentem solidum wienensium iure perpetuo et piscaturam in *Musza* pro quorum reconpensatione reddidimus venerabili Abbatisse et conuentui in villa *Genstrendorf* vnum laneum XII. solidos wienensium soluentem et curticulam II. solidos eiusdem monete annis singulis soluentem iure perpetuo recedentes ab omni iure quod in premissis videbamur habere. Preterea domine Iutte sorori domini mei felicis recordationis assignauimus duos laneos in eadem villa soluentes XXIIII. solidos wienensium annis singulis quos tantum uite sue temporibus ad usus suos libere retinebit. In huius rei testimonium et euidens argumentum presentem litteram sigillo domini mei pie memorie consigniri fecimus ad cautelam. Actum in Stoyce anno domini MCCLXX. In crastino b. Bartholomei. VIII. Kal. Septembris. Presentibus Kadoldo. Smilone. Vlrico. filiis meis. Domina Elysabet orphana relicte domini Kadoldi et ipsarum pedissequis. Domino Birchano. fratre Rudolpho conuerso dominarum de Osla plebano de Stoyce et aliis quam pluribus tunc ibidem collectis.

Ex originali ejusdem monasterii cum sigillo illaeso.

XLIII.

Otakarus, rex Boëmiae et marchio Moraviae, confirmat et auget jura et libertates civitatis Hlubčicensis (Leobschütz). Datum in „Krehnenhicz", XXVIII. Augusti, **1270.**

Otakarus, dei gratia rex Boemie, dux Austrie, Styrie, Karinthie, marchio Morauie, dominus Carniole, Marchie, Egre ac Portus naonis, omnibus in perpetuum. Regalis excellentie maiestatem petitiones fidelium congruas et honestas audire benigne decet et eas auditas benignius exaudire, sic enim equitatis exsoluit debitum, sic fideles in fide corroborat, sic alios ad sibi seruiendum allicit et inducit. Presentis igitur tenore priuilegii noscat tam presens etas, quam successura posteritas aliorum, quod nos, iustis supplicationibus vniuersorum ciuium in *Lubsiz*, fidelium nostrorum, de consueta mansuetudine annuentes, antiquatum quoddam ipsorum priuilegium et iam pre senio maceratum eis a nostris concessum predecessoribus renouari fecimus et ipsum de speciali gratia duximus confirmandum. Erat autem ipsius antiqui privilegii continentia talis. In primis statutum est ipsis ciuibus, vt de quolibet manso ipsius ciuitatis soluere teneantur dimidium fertonem argenti. Item quod de quatuor granibus frumenti, tritico scilicet, siligine, auena, et ordeo decimam in ipsis agris nobis soluere teneantur. Item, quilibet mansus debet apud eos habere triginta sex jugera. Item de qualibet curia sex denarios in festo beati Martini nobis dicti ciues quolibet anno soluent vel penam quinque solidorum luet, quicunque non dederit ipso die. Item, ut in eodem festo omnes stantes ad forum, et vendentes res super mensas, in alveolis, vel capisteriis, vel mensuris quibuscunque soluant in censu tres denarios. Item, ut quattuor molendina, civitati adiacentia, in eodem festo soluant talem censum, unum, fertonem et dimidium argenti, aliud, fertonem unum, tertium dimidium fertonem, quartum, lotonem. Item ut siluas et pascua, eidem attinentia ciuitati, ipsi cives cum omni possideant libertate. Item, ut infra miliare circa Lubsiz nullus audeat braseum preparare, vel bracseare, vel aliquod manuale officium exercere. Idem quod scolas, officium campanatoris, et pastoris pecorum cum consilio ciuium semper conferat aduocatus. In iudiciis autem hec iura teneant iudicando. Primo quidem si quis pacem dei et domini regis, et ipsius ciuitatis violando quenquam vulnerauerit (et) expurgare se non poterit, sed pocius legitimum contra se testimonium sustinebit, si lesus cum septem uiris ydoneis se lesum ab illo probauerit, ille sic conuictus debet decollari. Sin autem lesus, quod obicit, probare non poterit, reus liber erit, sed pro vulnere mettercius iurabit vel satisfaciet leso et iudici. Si quis autem eandem pacem violando, pugno, baculo, claua, cultello, vel gladio extracto cuiquam fuerit comminatus, et per tres testes ydoneos de hoc conuictus, vel manu truncabitur, vel iudici soluet penam decem talentorum, et nichilominus placare debet lesum. Si quis autem verbo probroso pacem infregerit, et de hoc legitime conuictus fuerit, soluet penam triginta solidorum. Si quis autem manu armata cuiusquam domum violenter inuaserit, et de hoc per septem vicinos ydoneos conuincitur, debet decollari. Quod si de hoc non conuincitur, et nullus ab eo fuerit vulneratus, reus se purgabit proprio iuramento. Sin autem fuerit aliquis ibi vulneratus, licet actor non possit probare, reus se tamen expurgabit iure vulnerum supradicto. Si quis autem stuprauerit virginem, vel vi oppresserit aliquam mulierem, et deprehensus fuerit in facto cum clamore stuprate, debet decollari. Sin autem effugerit, et ad mandatum iudicis vocatus non comparuerit, statim proscribetur. Sin autem comparuerit, et clamore conuictus non fuerit, propria se manu expurgabit. Si quis hominem interfecerit, et inuentum fuerit in manu eius instrumentum, per quod mortem intulit, decolletur. Sin autem apud ipsum non fuerit inuentum tale instrumentum, iure suo fruatur pars utraque. Quod si per duellum amici occisi reum negantem volunt conuincere, et peruenerunt ad annos viriles, propria manu pugnabunt. Si vero minores annis fuerint, pugilem poterunt pro se dare. Quod si amici occisi non per pugnam sed per querelam simplicem procedant contra reum, et ipse reus cum septem viris ydoneis se poterit expurgare, liber erit. Sed si defecerit, insufficienter se expurgando, decollabitur. Item si quis aliquem membro mutilauerit, et mutilatus non prouocet ad pugnam, reus se septima manu virorum ydoneorum expurgabit. In quo si defecerit, manu truncabitur, vel decem marchas exsoluet pro emenda, cuius emende due partes cedunt iudici, et tercia leso, et reus emendabit ipsi leso ad arbitrium proborum virorum. Item si vulnus inflixerit, quod est dignum pugna, vel tercia manu se reus expurgabit, vel iura vulnerum predicta pacietur. Item si quis aliquod membrum fregerit cuiusquam sine sanquinis effusione, et ipsum membrum fuerit postmodum resanatum, cum tribus viris ydoneis reus se purgabit, vel iudicem et actorem debito modo complacabit. Item si vulneratus a quocunque pre superbia non conqueritur lesionem suam in proximo iudicio post acceptum vulnus, eo ipso suam perdet in posterum accionem, et satisfaciet iudici, prout ipse lesor et reus facere debuisset conuictus. Item si quis aliquem baculauerit vel colaphizauerit, aut aliter male tractauerit sine sanquinis effusione, et lesus in primo iudicio non conqueritur, totam in posterum perdidit actionem. Item si quis aliquem ex proposita malicia debaculauerit, vel aliter male tractauerit, et actor probare non poterit, sed reus negauerit, propria manu se purgabit. Sed si conuictus fuerit a tribus ydoneis testibus, quinque talenta soluere debet iudici, et satisfaciet leso. Item in quacunque honesta causa vir aliquis vita vel rebus meruerit condempnari, tercia pars omnium bonorum suorum legitime cedet sue uxori, IV. criminibus exceptis, preda, seu incendio, homicidio et crimine falsi. Item sunt in anno tria iudicia publica, que pronuncciabuntur in ecclesia et in foro; primum post natales domini, secundum post pascha, tercium post festum sancti Michaelis. Ad que iudicia si quis non venerit, si nulla contra eum mouetur querimonia, viginti denarios dabit pro pena. Si vero aliqua contra eum querimonia fuerit, IV. solidos dabit iudici. Si quis verbis excesserit in eisdem iudiciis, VIII. solidos in penam dabit. Omnes autem pene, que dantur in istis et in omnibus iudiciis, medie relaxabuntur, et medie iudici persoluentur. Item in die forensi tanta est libertas fori publici in Lubsicz, ut quicquid emerit quisquam in hoc foro, et hoc poterit legittime comprobare, eciam si illa res inpetatur ab aliquo nomine furti vel rapine, ipsi emptori nichil ex hoc deperiet in rebus suis aut honore. Sed si in platea vel in domo extra forum aut non in die forensi quicquam emerit sub testimonio honesto, ipse quidem innocens erit in fama, si res illa inpetatur et eciam conuincatur, sed perdet res suas, quas dedit pro eadem. Si vero non probauerit, se talem rem emisse, de furto tenebitur respondere, si res euincatur, et penam legitimam sustinebit. Item si fur aliquis capitur cum re furtiua, dimidium fertonem valente vel ultra, et ille, qui furem insequitur, de ipsa sit prouincia, cum tribus viris ydoneis ipsum conuincet. Si autem de terra fuerit aliena, cum septem viris ydoneis ipsum prosequetur. De predonibus vero idem fiat. Si autem res furtiua minus quam dimidium fertonem valuerit, et reus antea non fuit infamis, non suspendetur, sed iuxta statuam in publico virgis cedetur. Si vero fur antea fuit infamis, suspendatur. Item si quis a sua hereditate discesserit, et nullam inde iusticiam fecerit, ut tenetur, si iudex eum prouocauerit, ut satisfaciat, et ipse hoc neglexerit, ad primum preceptum tenebitur iudici ad penam quinque solidorum. Si vero secundo iussus non satisfecerit, dabit VIII. solidos. Si vero nec tercio satisfecerit, triginta solidos dabit. Tandem iudex precipiet ei, venire infra annum et diem, et satisfacere, quod si neglexerit, ipsa hereditas adiudicabitur nobis, et iste cadet ab omni deinceps accione. Item si quis prosequitur equum sibi sublatum, et ipsum voluerit sentencialiter obtinere, ipsum equum usque ad septimum guaranditorem prosequetur, et tunc equum perdet, vel sentencialiter obtinebit. Item compromissio, facta per viros ydoneos et soluta, preiudicat omni iuri, dummodo contra iusticiam non fiat vel communem honestatem. Preterea ciuibus eiusdem ciuitatis de speciali gracia duximus concedendum, quod, si quando aduocatus eorum et consules, qui pro tempore ipsi prefuerint ciuitati, aliquam sentenciam tulerint de aliquo articulo, qui non sit predictis insertus, sed de nouo emerserit ex ignota causa, volumus eam sentenciam ratam et illibatam seruari, ac si superius esset scripta, dummodo eadem sentencia non sit contra iusticiam vel contra communem honestatem; alioquin si contra iusticiam fuerit vel communem honestatem, eam irritam esse volumus et inanem. In cuius renouacionis, confirmacionis et concessionis nostre testimonium et robur perpetuo valiturum, presens priuilegium fieri, et sigillis maiestatis nostre iussimus communiri. Actum et datum in Krenenbicz anno domini millesimo ducentesimo septuagesimo, V. Kalendas Septembris, IIII. indiccionis.

Tschoppe und Stenzel — Urkunden p. 371. — ex originali ejusdem civitatis.

XLIV.

Bruno, episcopus Olomucensis, monasterio Cellae sanctae Mariae Brunae decimas in Hostěradice adjudicat. Dt. apud Cremsirium, die s. Mauritii, 1270.

Bruno dei gratia Olomucensis episcopus vniuersis Christi fidelibus presentem paginam uisuris salutem in omnium saluatore. Cum plebanus de *Scheroticz* in sinodo nostro generali in Chremsir celebrata proponeret coram nobis, quod sanctimoniales *Celle sancte Marie* in Brunna ei denegarent dare decimam de villa *Hostradicz*, videlicet tria capacia de laneo secundum nostram constitutionem procurator sanctimonialium predictarum paratum se dare decimam exhibuit, dum omnes ville eidem ecclesie attinentes predictam dare decimam non negarent. Nos igitur auditis allegationibus vtriusque decreuimus et statuimus, ut iam dictus sacerdos de Scheroticz aut aliquis suorum successorum non presumat exigere decimas in villa memorata, nisi prius adiacentes ville eidem ecclesie attinentes predictam dare decimam conpellantur et nullam de neglectis huius anni decimis faciant mentionem; sed vnusquisque sacerdotum in eadem residens ecclesia contentus decima sit antiqua. Datum aput Chremsir anno domini MCCLXX. in die beati Mauricij.

E transumto Theodorici, episcopi Olomucensis, in arch. S. J. Brunensis.

XLV.

Hartlibus, camerarius Morariae, protestatur, Dětonem, virum nobilem, bona sua in Čermankowice contulisse monasterio Oslowanensi. Act. Znoymae, Idibus Decembris, 1270.

Nos Hartlibus kamerarius Moranie et purcrauius in Aychorns presencium inspectoribus et auditoribus vniuersis. Ne hiis que geruntur in tempore in posterum possit opponi calumpnia et ut tollatur litis occasio successoribus infuturum eternari solent memoria litterarum. Inde est quod nostris litteris protestamur quod dominus *Ditho* uir nobilis diuinitus inspiratus pro remedio anime sue et carorum suorum tam viuorum quam mortuorum quinque laneos et dimidium LX iugera lignorum duas partes molendini in villa que dicitur *Chermankuwicz* contulit Abbatisse et conuentui monasterii de *Osla* cysterciensis ordinis postquam viam vniuerse carnis fuerit introductus hac videlicet conditione interiecta quod si infra terminum anni vnius in quo defunctus fuerit suus filius bona superius prenotata pro decem marcis argenti redimere voluerit sine omni contradictione liberam habeat facultatem. Si uero uoluntarie uel inopia depressus a redemptione recesserit premissorum Abbatissa et conuentus pro bonis eisdem quiete possidendis XVI marcas argenti eidem assignabunt. Et ne hec protestatio et donatio a malignis malignorum hominum suggestionibus possit inmutari presentem litteram sigilli nostri munimine fecimus recipere firmamentum. Actum in Znoym Idus Decembris. Anno domini M. CC. LXX. Coram testibus subnotatis. Domino Stephano vngaro. Zukrayo Scudario. Laurentio et Wolvelino filiis Rancyrii. Alexio et fratre suo de Kudernic. et aliis quam pluribus.

Ex originali ejusdem monasterii cum sigillo illaeso.

XLVI.

Ulricus, prior, et conventus fratrum Eremitarum s. Augustini in Corona s. Mariae testantur emtionem judicii in Triebendorf. Acta 1270.

Non sine grandi consilio et deliberacione perpensa litterarum commoditas veridicis fulcita judiciis est inuenta, ut non solum per ipsam cultus pacis uigeat, quies tranquilla eniteat, uerum eciam calumniancium versucia ac omnis malignandi aditus precludatur. Nos Frater Vlricus Prior fratrum Eremitarum, ordinis sancti Augustini *in corona sancte Marie* una cum conuentu eiusdem loci notum facimus omnibus presentem paginam inspecturis, quod Petrus et Sidelmannus, frater eius, iudices medie partis uille ***Tribersdorf*** debitum uidelicet quinque marcarum pro quo nos citauerunt et traxerunt ad iudicium civile, quod tamen Chunrado dicto Surmanno, patri eorum, quondam iudici dicte uille, qui pretaxatum iudicium domui nostre nec non fratribus nostris racionabiliter et iure hereditario uendidit, fuerat utique persolutum, fecimus, quod nos non decebat, propter bonum pacis et formam concordie nostro iuri derogantes ac priuilegio, comparuimus in ***Tribouia*** ante tribunal iudicis tribus uicibus habito iudicio sentenciali et exhibito iuramento prefatis de obiectis omnibus responsuri. Sed quia sepedicti cognoscentes agnicionem ueritatis, nos indebite grauasse et iniuriose, fecerunt quod debuerunt tam ipsam sinistram opinionem temere accusacionis et omnem rancorem et controuersiam erga nos habentes pro remedio anime patris eorum antedicti nobis beneuole relaxantes. In cuius rei testimonium presens scriptum fecimus sigilli nostri ac sigilli ciuitatis Tribouiensis munimine roborari. Acta sunt hec anno domini millesimo ducentesimo septuagesimo, sub aduocato prouincie Tribouiensis Iohanne, ciuitatis uero Hamanno, et presentibus ciuibus Chunrado cutellatore, Siberio, Arnoldo, Sibotone sutore et aliis, uidelicet: Herolto iudice de Chuncendorf, iudice Hainrico de Tribersdorf, Chunrado dicto de Wya de antiqua Tribouia, Domino plebano Christiano eciam de Tribouia.

Ex analectis Horkyanis. — Originale in archivo monasterii s. Thomae Brunae asservatur.

XLVII.

Bruno, episcopus Olomucensis, confert Conrado de Landsberg villam Kowalowice in feudum. (1270).

Bruno dei gratia episcopus Olomucensis. Dilecto fideli suo Chunrado de Landesberch et suis heredibus inperpetuum. Digne agimus ac racione mouemur, dum eorum, qui se nobis et ecclesie nostre seruiles exhibent et fideles recompensamus seruicia fauore ac gratia speciali, vt feruentius nostris insistant obsequiis, dum fauorem nostrum sibi senserint affuisse. Hinc est quod inspectis sinceritatis tue seruiciis que nobis in ecclesie nostre negociis et vtilitatibus non parcendo rebus et persone promptitudine grata iam diucius impendisti, et intendas in huiusmodi persistere seruiciis incessanter, cumque benefecisse bonis et fidelibus sit omni parte lvcrosum: Nos tibi, qui te tam fidei puritate quam seruiciorum exigencia retribucionis premio dignum reddis, damus et conferimus liberaliter et libenter villam *Chowalowicz,* que continet sex laneos et vnum allodium de tribus laneis, pomerium, siluas, curticulas, pascua et cum alia vtilitate, que eidem ville nunc inest uel inesse poterit in futurum, videlicet censu, iudicio, steuris, prouentibus et attinentiis, nullo diminuto uel excepto, in feodum capituli nostri accedente consensu, ut per te ac heredes tuos filios duntaxat et non filias titulo feodi teneas et possideas, ac racione ipsius feodi *ius vasallorum Magdeburgensis* ecclesie in omnibus habeas indistinctum, quod omnibus concedimus infeodatis a nobis, quodque heredes tui filii tantum sicut premissum est gaudeant ipso iure. Dabis eciam annis singulis in recognitionem bonorum ipsorum canonicis nostris Olomucensibus de quolibet laneo mensuram tritici, quemadmodum infeodati ceteri dare tenentur. Ceterum statutum est per nos de consilio capituli nostri, vt quilibet vasallorum infeodatorum a nobis, alia de propria pecunia debeant comparare bona, que estimatione facta bonorum sibi collatorum ab ecclesia, terciam partem valere debeant eorundem. Illaque bona comparata siue empta recipere debent a nobis et ab ecclesia nostra et tenere similiter iure ac titulo feodi quemadmodum bona episcopalia, sed ad distinctionem bonorum emptorum et episcopalium non dabunt de bonis emptis mensuram tritici predictam. Illaque bona comparata siue empta non solum ad filios verum eciam ad filias transferentur. Te vero ab huiusmodi statuto exemptum fore volumus specialem in hoc consentiente capitulo nostro tibi gratiam facientes, vt nullum exinde tibi quoad dictum feodum tuum preiudicium generetur. Quod autem omnia premissa perpetuam obtineant firmitatem, nos ad rei memoriam sempiternam presentem paginam inde conscribi, nostrique sigilli iussimus munimine roborari. Et nos Olomucense capitulum super premissis omnibus consensum nostrum liberaliter adhibentes per manum Arnoldi notarii subscribimus presensque scriptum sigilli nostri munimine roboramus.

E codicibus Olomucensibus I. membr. fol. 81. et II. chart. fol. 107.

XLVIII.

Pardus de Horka testamento suo capellam sanctae Mariae, monasterium Gradicense, aliasque ecclesias condonat. Dt. feria III. post Laetare, **1271.**

In nomine domini amen. Cum actus humanos propter uolubilitatem temporis obliuione ita facile consueuit a memoria deleri, expedit eos ad robur temporum confirmari testimonio litterarum. Eapropter presentis pagine inspectores scire cupimus vniuersos tam posteros quam presentes, quod nos *Pardus,* miles *de Horka,* quamuis sani mente et corpore, inspiratione tamen diuina uolentes nobis aliqualem benedictionis memoriam comparare, pro remedio anime nostre nec non predecessorum nostrorum decem marcas argenti, sex iumenta et unum poledrum *capelle beate uirginis Marie,* nec non ecclesie sancti Stephani in *Gradisch,* domino Budis abbati et fratribus donauimus, qui ibidem in spiritu deuotionis et humilitatis nec non rigore monastice discipline sedulo domino famulantur; ita tamen, quod predicte decem marce cum omni fructu et utilitate, que de eisdem iumentis imposterum poterit prouenire, conuerti teneantur ibidem ad ampliationem et usum capelle uirginis gloriose, quousque integraliter compleatur. Perfecta autem ampliatione dicte capelle ossa nostra parentumque nostrorum defunctorum colligi debent, et reponi humiliter in eadem. Ceterum protestamur per hec scripta, quod stabili, firmo et irreuocabili testamento in capella nominata nobis eligimus sepulturam, ubicunque locorum nos decedere contingeret siue mori. Si uero extra terram propriam ingredi nos contigerit uiam carnis vniuerse, casu qualicunque mediante, amicos nostros rogauimus cum affectu, ut corpus nostrum siue ossa quererent, et quererent ad ecclesiam memoratam, et non alibi sepelirent. Iterum pateat vniuersis, quod aquam quandam, que uulgariter *Byelidlo* nuncupatur, circa Olomuz fluentem, una cum patruo nostro Bose donauimus Friderico, quondam aduocato Olomucensi, iure emphiteutico, quod uulgariter Burgrecht dicitur, ea nichilominus conditione, quod de ipsa aqua annis singulis ipse Fridericus siue sui successores persoluere teneantur tres fertones argenti ecclesie nominate. Ad hec statuimus, ut, ubicumque locorum finire nos contingeret dies nostros, dari pro offertorio ecclesie supradicte duas marcas argenti, ecclesie s. Wenceslai in castro Olomucensi duas marcas, ecclesie s. Michaelis apud predicatores duas marcas. Huius autem ordinationis ac perpetui testamenti executorem obtinuimus et statuimus dominum Benedam, Olomucensis ecclesie canonicum, dilectum compatrem nostrum. Ut autem hoc nostrum testamentum et ordinatio supradicta ab omnibus inconuulsa maneat et intacta, eam in scriptis redigentes, sigillum nostrum apponi fecimus, et petiuimus dicti domini Abbatis de Gradisch, eiusque conuentus et capituli Olomucensis fratrumque predicatorum et nostrorum sigillorum munimine roborari. Acta sunt hec anno domini M. CC. LXXI. in feria III. post dominicam Letare.

Ex Annalibus Gradicensibus MSS.

XLIX.

Otakarus, rex Boëmiae et marchio Morariae, confirmat jura et libertates monasterii Cellae s. Mariae Brunae. Dt. Brunae, XI. Kal. Aprilis, 1271.

In nomine sancte et indiuidue trinitatis. Amen. Nos Othacharus Dei gratia illustris Rex Bohemie, Marchio Morauie, Dux Austrie et Carinthie, Dominus Styrie et Carniole, Priorisse et Conuentui sacro de *Cella Sancte Marie in Bruna* collocato in perpetuum. Consueuit antiquorum ueneranda et approbanda prouidentia ea literarum mandare monumentis, que statuit habere robur et firmitatem, ne modernorum astuta ingenia, que semper gaudent nouitate, inueniant occasiones rite ac mature gesta negotia dolosis peruertere argumentis et fraudulentis racionibus infirmare. Memoria quidem humana non est diuturna, et si esset eterna, esset diuina. Ideoque necesse est, ut scriptis in quibus res geste continentur, adiuuetur, et sic quodam perpetuitatis robore tenax maneat et inconcussa. Nouerint itaque tam presentes, quam futuri, quod nos monasterio, quod Cella S. Marie virginis vocatur, in quo religiosus conuentus dominarum ordinis s. Augustini et ordinis fratrum Predicatorum cepit Deo et gloriosissime matri eius beate Marie seruire, dedimus fundum et locum in Brunna, ubi Deo in perpetuum famulentur. Nam et eundem locum dominus ac pater noster, serenissimus rex Bohemorum Wencezlaus quartus ad pias preces inclite memorie matris nostre Cunegundis regine Bohemie sua libera voluntate eisdem contulit, et sui sigilli munimine roborauit. Hunc etiam locum certis precepimus distingui limitibus ab aliis possessionibus in predicta nostra ciuitate iacentibus, ne imposterum aliqua superueniat dubitatio, unde prefatum monasterium possit gravari, vel etiam inquietari. Considerantes autem gloriosissimum patrem nostrum Wencezlaum nomine, a quo sortiti sumus originem et nomen multis interfuisse negotiis imperii uel etiam propriis, in quibus multa gessit, que sine peccato non poterant transigi, visum fuit nostre clementie pro remedendis peccatis suis ac nostris elemosinis et precipue monasterii supradicti eius noxas qualescunque releuare, quia apud clementissimum iudicem, cui proprium est misereri et parcere, nullum bonum relinquitur irremuneratum, commoditati quoque et tranquillitati loci prenominati pia solicitudine intendere cupientes, decet, ut predicte domine que Deo in eodem die ac nocte deseruiunt monasterio, eo, quod sibi non possunt ob sexus fragilitatem bene prouidere, quatenus amplis sustententur beneficiis, ut sic possint liberius domini Dei, sui conditoris vacare seruiciis. Hinc est eciam, quod omnem libertatem, quam pater noster, vir magne virtutis et fame, qui ob probitatem suam in toto orbe claruit, sua auctoritate eidem claustro contulit, nostra bona et mera voluntate ratam habemus et inconcussam, et conseruare uolumus inuiolatam. Hee sunt autem libertates claustri superius sepedicti, quod omnes possessiones iam habitas, et habendas in Moravia constitutas, cum suis hominibus ab omni genere tributorum, vectigalium, collectarum, aliarumque omnium exactionum et a Naroch, quod vocatur accusatio et a iuribus montium, que vulgariter ***Berg Recht*** appellantur et ab omni vexatione theolonii esse decreuimus absolutas, adicientes, ut nullus pro castrorum edificatione uel reedificatione, seu in vallorum effosione, siue pro aliqua ingruenti expeditione homines monasterii audeat inquietare. Ius etiam, quod datur pro capite, siue pro fure, siue pro Zwod principi uel eius inbeneficiatis, monasterio prememorato perpetuo concessimus obtinendum. Hoc statuentes de fure, si in monasterio fuerit deprehensus manens in prediis monasterii, siue rapiatur et coram iudicio conuincatur, quatenus eius bona monasterio remaneant, ipse vero secundum quod placuerit principi, puniatur. Si vero homines monasterii coram iudicio in aliquo culpabiles inueniantur, nec nobis, nec iudicibus nostris uel curialibus seu inbeneficiatis aliquid inde proueniat utilitatis, sed apud monasterium culpe perseueret satisfactio, nisi in quo tenetur satisfacere aduersario. Prohibemus insuper, sicut decreuit et statuit gloriosus dominus ac pater noster rex Bohemie, ut de ortis in ***Brunna*** et prouentibus ibidem instauratis, de omnibus etiam, que in ***Kunigsfeld*** arando, vel alias laborando excolunt, de duobus quoque laneis in ***Meneis*** et duobus in ***Pohorlicz,*** decimam vel censum, vel steuram non religiosus, non clericus, baro vel laycus nec beneficiarius in siluis, seu pratis, in pascuis et piscaturis, in molendinis et ab huiusmodi, que vtilitati claustri conueniunt, valeat extorquere. Ceterum autem, ut omnia breuiter comprehendamus, omne ius, quod spectat ad usus principum, eidem monasterio remittimus, ut Deo dicate domine inibi degentes plena, ac perfecta gaudeant libertate, nec ullus hominum ei novas condiciones audeat imponere, vel eius iura per nos concessa solenniter immutare. Acta sunt hec auctoritate patris nostri illustris Regis Bohemie in Bruna presentibus D. Rudgero abbate de Zabirdowicz. D. abbate de Welehrad. D. Abbate de Luca. D. Bochcone de Znoym, D. Bousone filio Cerhonis. D. Ienzone filio Ratiborii. d. Benessio subcamerario. preterea ciuibus Brunensibus, Bernardo iudice Alramo, Francone, Albo anno domini MCCXLV. Nos autem omnia, que prescripta sunt, nostri sigilli munimine renouamus, hoc eidem loco bannum statuentes, quod eundem in nostram suscipimus protectionem, et ab aliis inuasoribus secundum nostras vires volumus defensare. Si quis ergo septa monasterii violenter intrauerit, et ibi sanguinem fuderit, vel hominem qualicunque modo leserit, vel nostra predicta iura ausus fuerit eneruare potenter vel fraudulenter, componat in cameram nostram decem marcas auri et nostrorum successorum, deinde secundum quod iura dictauerint, predictarum inueniat gratiam Dominarum, quia quicquid umquam stabilitatis id monasterium consequi potest, ad sue tranquillitatis firmamentum, hoc est nostre voluntatis, et erit in perpetuum, ut omni prefata gaudeant libertate. Insuper rogauimus venerabilem patrem dominum Brunonem, Olomucensem episcopum, ut possessiones et omnia iura, que nostra liberalitate mera donauimus monasterio prenominato, dignaretur sui sigilli munimine confirmare. Quod et ipse ad honorem Dei et b. Marie fecit beneuole et gratanter, ut si forte, quod absit, nostri Barones et milites seu populares nostra priuilegia vellent aliquando insolenter violare et indebite, quatenus ipsos iure ecclesiastico ecclesiastica percelleret sententia, eandem auctoritatem suis successoribus relinquendo. Actum in Bruna presentibus domino Hartlibo, camerario Morauie, domino Drahozlao, domino Leone de Poleradiz, domino Stetone, et aliis Nobilibus; ciuibus quoque Brunensibus: Perslino, Swellario, Friderico de antiquo foro; et aliis quam pluribus. Datum per manus D. Petri, protonotarii Regni Boemie et prepositi Wissegradensis. anno domini MCCLXXI. Indictione XIV. epacta VII. concurrente III. XI. Kalendas Aprilis.

Ex originali in archivo c. r. aulico Vindobonae.

L.

Wilhelmus de Hustopeč (Auspitz) confert domui ordinis sancti Joannis in Hohenau silvam et pascua, quantum vallis Gembolfi tendens a fluvio March usque in rivum Swarcawa comprehendit. Dt. in Lundenburg, IV. Kal. Maji, **1271.**

In nomine domini amen. Vt acciones modernorum, ad notitiam deueniant posterorum litterali testimonio eternantur. Ad euidenciam, seu experimentum vniuersorum, quorum aspectibus presens cedula fuerit exhibita, tenore presencium cupio emanare. quod ego *Wilhalmus de Vzpetsch* dictus, de prediis, que gracia dilectorum dominorum meorum serenissimi regis Wenzezlsy, et nobilis ducis Ottachari. meorum exigentia meritorum titulo possideo feodali, pro salute anime mee, vxoris, et puerorum meorum, consensu et voluntate ipsorum, eciam omnium accedente, spacium silue et pascua, quantum conprehendit vallis *Gebolfi* tendens a fluuio *Marhe,* usque in rivvm *swartza.* Domui ordinis sancti Iohannis in *Hohenowe*, ea vice, cum nullum repugnare valeret obstaculum libere delegaui. Condicione huiusmodi interclusa, vt nullus advocatus preter me, et post decessum meum, pueri mei, post quorum finem tocius mee posteritatis propago, aliquatenus dinoscatur. Vt autem in supradicta delegacione iuste et legitime per me facta, prefate domui Hohenowe per contenciones quorumcunque, seu per iniurias, vexaciones, alique cause insurgant, ipsum factum in scripto feci redigi. et sigilli mei mvnimine roborari. Huius rei testes sunt. Dominus Albertus dapifer de Veldesperch. dominus Ditmarus de Poumgarten. dominus Heinricus de pernhartstal. dominus Hodelus de Vzpetsch. dominus Boyzlavs. dominus Wacezlaus. dominus Zvmprach de Tynch. dominus Mvtin de Tvrdenitz. dominus Vlricus de Reinprehstorf, et dominus Herbordus eiusdem filius. dominus Gotfridus de Hvetenberch, dominus Otto de Zistemdorf. dominus Vlricus de Rabenspurch. Rvemhardus et Wichardus fratres de Neusidel. Liupoldus de Lachsendorf. Otto dictus Rouber. Vlricus dictus Holzzer. Otto dictus Harlunch. et ceteri fide digni. Datum in Lontenburch, et actum Anno domini Millesimo. ducentesimo. LXX. primo. quarto Kalendas Maij. Indiccione quinta.

Ex originali in archivo Magni Prioratus Melitensium Pragae.

LI.

Stephani, Ungariae regis, tabulae articulos pacis cum Otakaro, Bohemiae rege et marchione Morariae, initae continentes. Datum in castris ad Posonium, V. Nonas Julii, 1271.

Stephanus dei gratia Ungarie, Dalmatie, Croatie, Rame, Seruie, Galicie, Ludomerie, Comanie Bulgarieque rex: uniuersis presentium notitiam habituris salutem in salutis auctore. Licet eterni regis imperio generali post celi et terre transilum teste veritate euangelica duraturo parere deceat uniuersos: specialius tamen personas sublimitate regia decoratas ipsius preceptum in pace que caritatis est vinculum obseruanda mentis sue habere continue conuenit in archiuis, subtili considerationis libramine attendendo, quod ex ea et per eam eisdem quies corporis, animi tranquillitas et subiectis votiua opulentia prebeatur; presertim cum eterni regis filius in sinum patris unde venerat regressurus, apostolici ordinis cetui, per quem orbem instrui voluit uniuersum, post salutaria precepta pacem seruandam reliquerit et tenendam, que etsi ex mandati celestis latitudine ad uniuersos et in uniuersos intensionis sue extendere soleat incrementa, tamen eo ampliori sinceritate inter eos eandem decet esse radicatam, quos multiplicis attinentie unio copulat et connectit. Proinde nouerint uniuersi, quod post longa guerrarum discrimina, que inter D. *Othaccarum* regem Boemie illustrem, ducem Austrie, Styrie, Carinthie, marchionem Morauie, dominum Carniole, Marchie, Egre ac Portus Naonis carissimum cognatum nostrum ex parte una et nos ex altera suscitata fuerant suggerente humani generis inimico, cum nos pro votiue pacis puritate reformanda dilectos fideles nostros Dominum Paulum episcopum Vesprimensem, Egidium summum camerarium aule nostre, Rolandum banum, M. Benedictum prepositum Oradiensem aule nostre vicecancellarium, barones regni nostri misissemus, dato eisdem pleno, sufficienti et legali mandato, ut conuenientes cum prelatis et baronibus regni Boemie, D. Brunone episcopo videlicet Olomucensi, fratre Hartperno min. ordinis fratrum Minorum per Austriam, Hartlibo camerario, Bohussone marschalco, Nezamizel pincerna Morauie, a predicto rege Boemie similiter cum pleno mandato destinatis, tractare, ordinare et diffinire possent omnia ad reformationem pacis facientia, que nos ipsi si presentialiter cum ipso rege Boemie conuenissemus, ordinare et diffinire possemus pro nostri quiete animi et nostrorum tranquillitate subiectorum: iidem barones nostri considentes cum predictis baronibus regni Boemie ordinauerunt et assumpserunt iuxta mandati traditi sibi formam, ut decetero perpetua pax inter nos et ipsum regem Boemie debeat obseruari, nec eidem regi vel suis turbationes vel molestias inferemus, vel inferri per nostros patiemur, includentes eidem paci et eadem vallantes regna nostra videlicet Ungariam, Dalmatiam, Croatiam, Ramam, Seruiam, Galiciam, Lodomeriam, Comaniam, Bulgariam, totumque ducatum Sclauonie, cum omnibus attinentiis eorundem, secundum signa, distinctiones et metas antiquas, prout etiam progenitores nostri et antecessores reges Ungarie usque tempus vite D. Bele gloriose memorie patris nostri possederunt et tenuerunt. Verum si termini hinc inde fuissent auulsi vel mutati, venerabiles patres D. Archiepiscopus Strigoniensis et . . episcopus Olomucensis, deum et iustitiam habentes pre oculis, super ipsis terminis et limitibus cognoscent, et id quod legitime diffiniuerint, per censuram ecclesiasticam partes facient obseruare; hoc adiecto, ut occasione terminorum seu limitum de quibus dicti archiepiscopus et episcopus cognoscent, pacis puritas inter regem Boemie et nos non turbabitur, nec nos cum eodem rege relabemur in guerrarum discrimina recidiua. Pace igitur huiusmodi inter nos et ipsum regem reformata et cautionibus tam literarum authenticarum quam iurisiurandi religione firmata, ut eadem robore subsistere valeat firmiori, infra terminum inter illustrem regem Boemie et nos statuendum pro pacis multiplici firmitate eidem regi Boemie dari procurabimus et faciemus literas magnifici D. Karuli illustris regis Sicilie, ducatus Apulie, principatus Capue et comitatus Forqualquerii, nec non literas D. Heinrici inclyti ducis Bawarie presenti paci ex parte nostra inclusorum, super eo, quod iidem paci conuentioni seu compositioni nunc factis per nos et nostros barones adhibebunt consensum, conniuentiam et opitulationem omnimodam inuiolabiliter obseruandam; eo expressim cauto tam in literis regis Sicilie quam Heinrici ducis Bawarie predictorum, ut si nos pacem contingat, quod absit, infringere vel turbare, extunc iidem rex et dux nobis non assistent auxilio, consilio vel fauore, sed se a nobis penitus separabunt. Rex autem Boemie sub eadem seu consimili forma nobis dari faciet literas magnificorum virorum D. Heinrici Misnensis et D. Ottonis Brandenburgensis inclytorum marchionum, cognatorum et amicorum suorum sub ea forma, si rex Boemie aliquid contra pacem fecerit vel attentarit, violando seu infringendo eandem ex tunc iidem marchiones a societate et amicitia regis Boemie se penitus retrahentes, eidem contra nos non impertientur consilium, auxilium et fauorem, et hoc expressim continebitur in eorundem marchionum patentibus literis sigillis eorum authenticis pendentibus consignatis, que ut dictum est infra terminum per D. regem Boemie et nos moderandum nobis debent similiter assignari. Ceterum quedam castra intra limites regni nostri constituta, quorum principale dominium ad nos pertinet, Kuzeg videlicet, de monte S. Viti, Slomule, Perstan, de Chertus ac castrum Farcasii de Zaguria, que Henricus et duo castra Stago vocata que Iohannes filius eiusdem Henrici, ac castrum Dobra quod Nicolaus et Stephanus filii Pauli, et castrum Rou vocatum, quod Merch filius Gianur, qui a nobis transfugientes, se ad regem Boemie transtulerunt, detinent occupata, iuxta ordinationem baronum nostrorum et ipsius regis Boemie recuperanda et habenda de sua bona voluntate deseruit rex predictus, adiiciendo et expresse cauendo, quod detentores predictorum castrorum nec per Teutonicos nec per Boemos idem D. Rex Boemie iuuabit vel iuuari permittet palam vel occulte, et nominatim non patietur eos iuuari contra nos in ipsis castris detinendis per homines quos ipsis Henrico scilicet et Iohanni filio eiusdem, Nicolao et Stephano filiis Pauli et Laurentio filio Petri concessit, postquam se a nobis ad ipsum Regem Boemie cum ipsis castris transtulerunt; promittendo firmiter iuxta eorundem baronum ordinationem, quod de Regis Boemie castris nullum nocumentum hominibus regni Ungarie inferri patietur rex predictus per supradictos Henricum, Iohannem filium eiusdem, Nicolaum et Stephanum filios Pauli et socios eorundem ac adherentes eisdem, hoc expresse declarato, quod si iidem damna, iniurias, insultus vel depredationes aliquas hominibus regni nostri quolibet ingenio, fraude vel machinamento inferre presumserint, et super hoc regi Boemie per Hartlibum camerarium, qui secundum formam compositionis inpresentiarum facte ad inuestigandum et inquirendum hominem suum, cui super premissis credi debet, transmittere tenetur, facta fuerit certa fides, extunc eosdem omnibus possessionibus in quacunque parte regni sui vel terrarum suarum ab ipso D. rege Boemie concessis et datis spoliabit et priuabit, nullo regressu ipsis ad possessiones easdem reseruato; et ut expresse appareat eosdem per ipsum regem Boemie in sua malitia non foueri, ipsos sic priuatos predictis possessionibus ubicunque ab eodem rege Boemie datis et concessis de regni et ducatuum suorum et terrarum sibi adherentium partibus excludere tenebitur, utpote pacis necessarie turbatores. Promittimus etiam secundum ordinationem predictorum baronum, quod non recipiemus in gratiam nostram Henricum, Iohannem, Stephanum, Nicolaum et Laurentium filium Petri ac complices eorundem supradictos cum castris et munitionibus ab eodem rege Boemie eisdem traditis et concessis in regno et terris suis, vel in posterum concedendis. Sane quia per infideles et transfugas huc illucque inter mundi principes discurrentes seminari solent postifera, pacis turbantia puritatem, que interdum ipsis principibus non tam temporalis tranquillitatis commodum quam vite future subsidia per guerrarum discrimina adimunt opportuna, promittimus iuxta ordinationem predictam non receptare infideles ex parte ipsius regis Boemie ad nos transfugientes, nec eis subsidium vel benignitatem aliquam impertiemur, sed ipsos potius tamquam male meritos excludemus, nec per amicos nostros vel subditos receptari vel foueri aliquatenus patiemur. Porro quia multiplex tam consanguinitatis quam affinitatis affectio ad correlatiuum amorem nos possunt et debent mutuo incitare, pro obseruatione pacis nunc facte et in posterum durature promittimus et assumimus, ut si aliqua temporum processibus successiuis contingeret suboriri hinc inde que turbare possent pacis et concordie unionem, pace eadem nunc facta in suo robore permanente super grauioribus que ex parte hominum nostrorum contra homines regis Boemie attentata fuerint siue facta, . . Strigoniensis archiepiscopus tam ex ordinaria iurisdictione quam ex ipsius iurisdictionis in eos, qui eidem archiepiscopo subiecti non sunt prorogatione nunc facta cognoscet, et que iudiciaria maturitate seruata inuenerit perperam attentata seu facta in preiudicium regis Boemie et hominum suorum, prolata diffinitiua sententia reformabit postquam de cause meritis cognouerit ut est iuris, et que diffiniuerit, per censuram ecclesiasticam faciet obseruari, cum id et nostri et ipsius regis Boemie barones ordinauerint iuxta traditam sibi formam, et nos ac ipse rex Boemie assumserimus, approbauerimus et emologauerimus premissa omnia et singula spontanea voluntate. Si vero aliqua grauiora per homines regis Boemie vel barones eiusdem attentata fuerint siue facta, per que nobis et hominibus regni nostri posset preiudicium generari, super his venerabilis pater D. Bruno episcopus Olomucensis ex ordinaria iurisdictione, quam omnes barones et homines regni Boemie in se prorogauerunt cognoscet iuxta formam articuli proximo expressi; et quod diffiniuerit, executioni mandabit, contradictores per censuram ecclesiasticam districtius compescendo; et in huiusmodi cognitionibus, diffinitionibus et executionibus causarum procedent iidem archiepiscopus et episcopus, deum et iustitiam habentes pre oculis, postpositis gratia, timore, odio et fauore. Iidem quoque archiepiscopus et episcopus in personam regis Boemie atque nostram singuli singillatim promulgandi excommunicationis sententiam plenam habeant facultatem, cum nos et ipse in premissis subiecerimus personas nostras iurisdictionibus eorundem. In minoribus vero causis, que hinc inde inter nostros et ipsius regis homines emerserint circa confinia *Morauie* duo ex parte nostra, videlicet comes Posoniensis et comes Nitriensis, ex parte regis Boemie camerarius Morauie et purchrauius de Brumowe, circa confinia *Austrie* ex parte nostra comites Supruniensis et Musuniensis, ex parte regis Boemie . . castellanus de Haslar et . . castellanus Noue ciuitatis iudices prouinciales, circa confinia *Styrie* ex parte nostra comites Castri ferrei et . . de Zala, ex parte regis Boemie . . capitaneus et . . notarius Styrie, circa confinia *Karinthie, Carniole, Marchie* ex parte nostra banus totius Sclauonie, ex parte regis Boemie capitaneus Karinthie, Carniole deputabuntur, qui querelantibus hinc inde iustitie facient complementum, et id quod fecerint, tam ipsius regis Boemie quam nostra auctoritate facient obseruari. Quod si aliqui ex ipsis fuerint diem functi, successores ipsorum dignitatis hereditarii vel per alterutrum regum substituti fungentur vice et partibus eorumdem. Item si inter amicos regis Boemie et nostros aliqua fuerit discordia suscitata, pro causa huiusmodi contra pacem promittimus non venire, sed discordantes studebimus si poterimus ad pacem et concordiam reuocare. Alioquin causa inter nos et ipsos discordantes exorta, archiepiscoporum et episcoporum iudicio vel ordinationi relinquetur, quam ipsi recipient et eidem parebunt siue stabunt. Quodsi amici nostri hec renuerint adimplere, nullum consilium et auxilium eisdem impendemus contra regem Boemie supradictum; si vero quod absit rex Boemie pacis violator ex quacunque causa propria vel amicorum suorum ac hominum terre sue inuentus fuerit vel turbator, ipso facto incidet in sententiam excommunicationis, quam exnunc venerabiles patres Patauiensis, Olomucensis et Pragensis episcopi tulerunt in scriptis solenniter; et quod eadem sententia teneat et astringat violatorem pacis et concordie cum effectu, ipse rex Boemie subiecit se iurisdictioni ipsorum episcoporum, non obstantibus aliquibus literis, indulgentiis seu priuilegiis a sede apostolica impetratis vel in posterum impetrandis. Preterea ut multiplicatus funiculus pacem faciat pleniorem, archiepiscopi et episcopi regni nostri iurauerunt quantum in eis est pacem presentem inter nos et ipsum regem ordinatam tenere ac seruare et nos inducere iuxta promissionis a se facte formam ad eandem mutuo obseruandam et tenendum ea que in presentiarum promisimus et promittimus, spopondimus et spondemus, sicut in ipsorum literis plenius continetur. Promiserunt etiam per idem iuramentum et promittunt, quod si nos quod absit pacem infringere contingeret, vel ea que in presens placitum sunt deducta violare, iidem archiepiscopi et episcopi et nostri regni barones nos deserent et regi Boemie adherebunt ex debito prestiti iuramenti. Verum si regem Boemie pacem vel ea que in placitum deuenerunt infringere contigerit vel turbare, episcopi terrarum suarum et barones eiusdem iuxta formam presentis compositionis et ordinationis eum deserent et nobis adherebunt similiter ex debito prestiti iuramenti, sicut in ipsorum patentibus literis continetur. Item archiepiscopus Strigoniensis, qui ordinarius noster existit, et archiepiscopus Colocensis aule nostre cancellarii et suffraganei eorundem et baronum nostrorum voluntate exnunc sententiam excommunicationis promulgarunt, quam si nos quod absit pacem transgredi contigerit, ipso facto incurremus et nihilominus iidem archiepiscopi et episcopi totum regnum nostrum ecclesiastico subiicient in suis diocesibus interdicto; non obstantibus literis seu indulgentiis impetratis vel inposterum impetrandis. Electus etiam Salzburgensis et venerabiles patres Patauiensis, Vrisingensis, et alii prelati regni et terrarum suarum consimilem excommunicationis sententiam in scriptis solenniter tulerunt, quam ipse rex Boemie ipso facto incurret, si transgressor pacis exstiterit vel turbator. Et si in hac parte archiepiscopi et episcopi predicti tam regnorum nostrorum quam suorum negligentes in exequendis premissis exstiterint vel remissi, punientur a dominis cardinalibus, quorum iurisdictioni se in hac parte subiecerunt, tamquam iuramenti prestiti transgressores. Barones insuper regni nostri, Mois videlicet palatii comes Supruniensis et iudex Comanorum, Egidius summus camerarius aule nostre comes Simigiensis, Ioachinus banus totius Sclauonie, Matheus woywoda Transiluanus et comes de Sonuz et Laurentius banus de Zeurino et comes de Doboca, Rolandus banus, Petrus magister dapiferum nostrorum, comes de Sweke, Albertus magister agazonum nostrorum comes Stibiniensis, Philippus magister pincernarum nostrorum, Ernerius banus comes Worosdiensis, Porach banus comes Zaladiensis, Michael comes Nitriensis, Paulus banus comes Bachiensis, Dionysius comes de Morocha, Magister Andreas comes de Reuche et Petrus comes de Zana et alii quamplures iurauerunt quantum in eis est pacem nunc factam fideliter obseruare et nos inducere iuxta posse bona fide ad promissa nostra et sua seruanda, suis super hoc regi Boemie literis traditis et concessis. Adhec ut concordie et amoris dulcedo inter ipsum regem Boemie et nos propagines suas faciat largiores, ordinatum exstitit a predictis baronibus regis Boemie et nostris ad tractatum presentis pacis specialiter deputatis ut idem rex Boemie Lombardum Stephanum nepotem marchionis Estensis et nos Philippum electum Aquilegensem excludere a nostra societate et amicitia deberemus. Nos itaque iuxta placita et ordinationem baronum nostrorum iuramento firmata excludimus et exclusimus a nostra societate et amicitia omnimodis eundem Philippum, non obstantibus literis concessis eidem et promissionibus sibi factis; eidem itaque non assistemus consilio, auxilio et fauore, cum idem rex Boemie Stephanum predictum similiter excluserit de sua societate, familiaritate et amicitia, et penitus remouerit, seu omnino et specialiter assumserit non receptare vel fouere eundem in suis et amicorum suorum finibus siue terris, promittens eum excludere et excludi facere de eisdem. Exclusimus etiam et excludimus Wilhelmum de Scharfenberch et Nicolaum de Lebenberch a nostro seruitio, gratia et fauore, promittentes in defendendis et detinendis castris ipsorum eos contra regem Boemie et suos non iuuare. Item renuntiamus iuri et actioni, quod et que videbantur nobis competere seu etiam competebant in ducatibus Styrie, Karinthie et dominiis Carniole, Marchie, nullam decetero nostro vel heredum nostrorum nomine contra ipsum regem et suos heredes moturi materiam questionis. Renuntiamus insuper iuri et actioni nobis et nostris heredibus competentibus de insigniis regalibus, corona videlicet, gladio, monili, sella, scutellis et aliis clenodiis ac thesauro delatis per D. Annam in regnum Boemorum. Item predicte ordinationi et paci includi volumus et includimus excellentes dominos Philippum Francorum et Karulum Sicilie reges illustres, Karulum iuniorem primogenitum ipsius regis Karuli generum nostrum, Michaelem Angelum Paleologum imperatorem Grecorum, Andronicum iuniorem imperatorem Grecorum generum nostrum, Bouzlaum Crocouie et Sandomerie, Boizlaum maioris Polonie, Heinricum Bawarie inclytos duces generos nostros, Belam ducem de Machow et de Bozna fratrem nostrum, Vrossium regem Seruie et Stephanum filium eius iuniorem regem Seruie generum nostrum, Swetizlaum imperatorem Bulgarorum et Leonem generum nostrum Rutenorum ducem, Mitizlaum fratrem eiusdem et Wazulem filium Wazule ducis Rutenorum aliosque fideles fautores et familiares nostros cum filiis omnibus, terris, regnis, ducatibus, iuribus ac possessionibus eorumdem. Insuper promisimus et promittimus iuxta ipsorum baronum nostrorum ordinationem, quod a dominis cardinalibus vacante nunc Sede apostolica obtinebimus transmissis nostris nuntiis confirmationem pacis nunc facte, hoc adiecto, quod nostri et ipsius regis Boemie nuntii circa festum S. Michaelis nunc venturum iter arripient, et in festo Omnium Sanctorum proximo subsequenti se dominorum cardinalium conspectui presentabunt, et confirmationem nostris sumtibus et expensis obtentam faciemus ipsi regi Boemie assignari. Idem autem rex per suos proprios nuntios impetrabit consimiles confirmationis literas suis expensis et sumptibus nobis dandas. Creato vero papa, confirmationem eandem sub simili vicissitudine alterutri nostrum dandam faciemus largiente domino impetrari. Damna autem illata hinc inde compensatione mutua sunt sublata, iuxta ordinationem sepius memoratam. Ut igitur premissa uniuersa et singula per nos inuiolabiliter obseruentur, nec successiuorum temporum mutatione infringi valeant vel aliqualiter vacillare, iurauimus et iuramus tactis corporaliter sacrosanctis euangeliis, multorum sanctorum reliquiis et uiuifice crucis ligno; adiicientes, ut transgressor premissorum preter infamie notam, quam ex transgressione iuramenti incurret, diuine acrimoniam sentiat ultionis, et cum Chore, Datan et Abiron recipiat portionem, dei omnipotentis et gloriosissime virginis ac sanctorum omnium suffragiis destitutus. In cuius rei testimonium et perpetuam memoriam ac munimen presentes concessimus literas, duplicis sigilli nostri munimine roboratas. Datum et actum in castris apud Pozonium, anno domini M. CC. LXXI. regni autem nostri anno secundo, V. nonas Iulii.

Ex autographo Regesto Gregorii papae X. lib. I. epist. 6. in tabulariis Vàticanis. — Excusum incompletius apud Raynaldum, Balbinum, Féjer et alios.

LII.

Otakarus, rex Boëmiae et marchio Morariae, articulos pacis cum Stephano, Ungariae rege, initae ratos habet. Datum Pragae, II. Idus Julii, 1271.

Otacharus dei gratia rex Boemie, dux Austrie, Styrie, Carinthie, marchioque Morauie, dominus Carniole, Marchie, Egre et Portus Naonis: uniuersis presentium notitiam habituris salutem in salutis auctore. Licet eterni regis imperio generali post celi et terre transilum teste veritate euangelica duraturo parere deceat uniuersos: specialius tamen personas sublimitate regia decoratas ipsius preceptum in pace que caritatis est vinculum obseruanda mentis sue habere continue conuenit in archiuis, subtili considerationis libramine attendendo, quod ex ea et per eam eisdem quies corporis, animi tranquillitas et subiectis votiua opulentia prebeatur; presertim cum eterni regis filius in sinum patris unde venerat regressurus, apostolici ordinis cetui, per quem orbem instrui voluit uniuersum, post salutaria precepta pacem seruandam reliquerit et tenendam, que etsi ex mandati celestis latitudine ad uniuersos et in uniuersos intensionis sue extendere soleat incrementa, tamen eo ampliori sinceritate inter eos eandem decet esse radicatam, quos multiplicis attinentie unio copulat et connectit. Proinde nouerint uniuersi, quod post longa guerrarum discrimina, que inter dominum *Stephanum* Regem Ungarie illustrem, Dalmatie, Croatie, Rame, Seruie, Galicie, Lodomerie, Cumanie et Bulgarie, ducem totius Sclauonie, carissimum cognatum nostrum ex una parte, et nos ex altera suscitata fuerant suggerente humani generis inimico, cum nos pro votiue pacis puritate reformanda dilectos fideles nostros, D. *Brunonem* venerabilem episcopum Olomucensem, fratrem Hartpernum ministrum ordinis fratrum Minorum per Austriam, Hartlibum camerarium, Bubulchonem (sic) marschalcum, Noczamizlonem (sic) pincernam Morauie, barones regni nostri misissemus, dato eisdem pleno, sufficienti et legali mandato, ut conuenientes cum prelatis et baronibus regni Ungarie, D. Paulo venerabili episcopo Vesprimiensi, Egidio summo camerario, Rolando bano et M. Benedicto preposito Oradiensi vicecancellario a predicto rege Ungarie similiter cum pleno mandato destinatis, tractare, ordinare et diffinire possent omnia ad reformationem pacis facientia, que nos ipsi si presentialiter cum ipso rege Ungarie conuenissemus, ordinare et diffinire possemus pro nostri quiete animi et nostrorum tranquillitate subiectorum: iidem barones nostri considentes cum predictis baronibus Regni Ungarie ordinauerunt et assumpserunt iuxta mandati traditi sibi formam, ut decetero perpetua pax inter regem Ungarie ac nos debeat obseruari, nec eidem regi vel suis turbationes vel molestias inferemus, vel inferri per nostros patiemur, includentes eidem paci et eadem vallantes regnum nostrum *Boemie terrasque nostras Austriam, Stiriam, Karinthiam, Morauiam, Karniolam, Marchiam, Egram et Portum Naonis,* cum omnibus attinentiis eorundem, secundum signa, distinctiones et metas antiquas, prout etiam progenitores nostri Reges Boemie et marchiones Morauie, nec non antecessores nostri duces Austrie, Styrie, et Karinthie, domini Carniole, Marchie, Egre ac Portus Naonis usque tempus vite D. Bele inclyte recordationis patris dicti D. Stephani regis Ungarie possederunt et tenuerunt. Verum si termini hinc inde fuissent auulsi vel mutati, venerabiles patres D. Archiepiscopus Strigoniensis et . . episcopus Olomucensis, deum et iustitiam habentes pre oculis, super ipsis terminis et limitibus cognoscent, et id quod legitime diffiniuerint, per censuram ecclesiasticam partes facient obseruare; hoc adiecto, ut occasione terminorum seu limitum de quibus dicti archiepiscopus et episcopus cognoscent, pacis puritas inter regem Ungarie et nos non turbabitur, nec nos cum eodem rege relabemur in guerrarum discrimina recidiua. Pace igitur huiusmodi inter ipsum regem et nos reformata, et cautionibus tam literarum authenticarum quam iurisiurandi religione firmata, ut eadem robore subsistere valeat firmiori, infra terminum inter illustrem regem

Ungarie et nos statuendum seu moderandum pro pacis multiplici firmitate eidem regi Ungarie dari procurabimus et faciemus literas magnificorum virorum D. *Henrici Misenensis* et D. *Ottonis Brandburgensis* inclytorum marchionum, cognatorum et amicorum nostrorum, presenti paci ex parte nostra inclusorum, super eo quod iidem conuentioni seu compositioni nunc factis per nos et nostros barones adhibebunt consensum, conniuentiam et opitulationem omnimodam inuiolabiliter obseruandam; eo expressim cauto tam in literis Marchionis Heinrici Misenensis quam D. Ottonis marchionis Brandburgensis predictorum, ut si nos pacem contingat, quod absit, infringere vel turbare, extunc iidem marchiones nobis non assistent auxilio, consilio vel fauore, sed se a nobis penitus separabunt. Rex autem Ungarie sub eadem seu consimili forma nobis dari faciet literas magnifici D. *Caroli* illustris regis Sicilie, ducatus Apulie, principatus Capue et comitis Fulcalquerii, nec non literas D. *Heinrici* inclyti ducis Bawarie, amicorum suorum, sub ea forma, ut si rex Ungarie aliquid contra pacem fecerit vel attentarit, violando seu infringendo eandem, extunc iidem rex et dux a societate et amicitia regis Ungarie se penitus retrahentes, eidem contra nos non impertientur consilium, auxilium et fauorem, et hoc expressim continebitur in eorundem regis et ducis patentibus literis sigillis eorum authenticis pendentibus consignatis, que ut dictum est infra terminum per D. Regem Ungarie et nos moderandum nobis debent similiter assignari. Ceterum quedam castra intra limites regni Ungarie constituta, quorum principale dominium ad ipsum regem pertinet, Keuwzeg videlicet, de monte S. Viti, Zloymuk, Pernstæyn, de Kertus ac castrum Farcasii de Zaguria, que Henricus et duo castra Strigo vocata que Iohannes filius eiusdem Henrici, ac castrum Dobra quod Nicolaus et Stephanus filii Pauli, et castrum Row vocatum, quod Merk filius Gyanwr, qui a rege Ungarie transfugientes, se ad nos transtulerunt, detinent occupata, iuxta ordinationem baronum nostrorum et ipsius regis Ungarie recuperanda et habenda de nostra bona voluntate deseruimus; adiiciendo et expresse cauendo, quod detentores predictorum castrorum nec per Teutonicos nec per Boemos iuuabimus, nec iuuari aliquatenus permittemus palam vel occulte, et nominatim non patiemur eos iuuari contra regem Ungarie in ipsis castris detinendis per homines quos ipsis Henrico scilicet et Iohanni filio eiusdem, Nicolao et Stephano filiis Pauli et Laurentio filio Petri concessimus, postquam se a rege Ungarie ad nos cum ipsis castris transtulerunt; promittendo firmiter iuxta eorundem baronum ordinationem, quod de castris nostris nullum nocumentum hominibus regni Ungarie inferri patiemur per supradictos Henricum, Iohannem filium eiusdem, Nicolaum et Stephanum filios Pauli et socios eorundem ac adherentes eisdem, hoc expresse declarato, quod si iidem damna, iniurias, insultus vel depredationes aliquas hominibus regni Ungarie quolibet ingenio, fraude vel machinamento inferre presumserint, et super hoc nobis per Hartlibum camerarium nostrum, qui secundum formam compositionis inpresentiarum facte ad inuestigandum et inquirendum hominem suum, cui super premissis credi possit transmittere tenetur, facta fuerit certa fides, extunc eosdem omnibus possessionibus in quacunque parte regni nostri et terrarum nostrarum a nobis concessis et datis spoliabimus et priuabimus, nullo regressu ipsis ad possessiones easdem reseruato; et ut expresse appareat eosdem per nos in sua malitia non foueri, ipsos sic priuatos predictis possessionibus ubicunque a nobis datis et concessis de regni et ducatuum nostrorum terrarumque nobis adherentium partibus excludere tenebimur, utpote pacis necessarie turbatores. Promisit etiam rex Stephanus sepedictus secundum ordinationem predictorum baronum, quod non recipiet in gratiam suam Henricum, Iohannem, Stephanum, Nicolaum et Laurentium filium Petri ac complices eorundem supradictos cum castris et munitionibus a nobis eisdem traditis et concessis in regno et terris nostris, vel in posterum concedendis. Sane quia per infideles et transfugas huc illucque inter mundi principes discurrentes seminari solent pestifera, pacis turbantia puritatem, que interdum ipsis principibus non tam temporalis tranquillitatis commodum quam vite future subsidia per guerrarum discrimina adimunt opportuna, promittimus iuxta ordinationem predictam non receptare infideles ex parte ipsius regis Ungarie ad nos transfugientes, nec eis subsidium vel benignitatem aliquam impertiemur, sed ipsos potius tamquam male meritos excludemus, nec per amicos nostros vel subditos receptari vel foueri aliquatenus patiemur. Porro quia multiplex tam consanguinitatis quam affinitatis affectio ad correlatiuum amorem nos possunt et debent mutuo incitare, pro obseruatione pacis nunc facte et in posterum durature promittimus et assumimus, ut si aliqua temporum processibus successiuis contingeret suboriri hinc inde que turbare possent pacis et concordie unionem, pace eadem nunc facta in suo robore permanente super grauioribus que ex parte hominum nostrorum contra homines regis Ungarie attentata fuerint siue facta, episcopus Olomucensis tam ex ordinaria iurisdictione quam ex ipsius iurisdictionis in eos, qui eidem episcopo subiecti non sunt prorogatione nunc facta cognoscet, et que iudiciaria maturitate seruata inuenerit perperam attentata seu facta in preiudicium regis Ungarie et hominum suorum, prolata diffinitiua sententia reformabit postquam de cause meritis cognouerit ut est iuris, et que diffiniuerit. per censuram ecclesiasticam faciet obseruari, cum id ipsius regis Ungarie et nostri barones ordinauerint iuxta traditam sibi formam, et ipse rex Ungarie ac nos assumserimus, approbauerimus et emologauerimus premissa omnia et singula spontanea voluntate. Si vero aliqua grauiora per homines regis Ungarie vel barones eiusdem attentata fuerint siue facta, per que nobis et hominibus regni terrarumque nostrarum posset preiudicium generari, super his venerabilis pater D. Ph. Strigoniensis archiepiscopus ex ordinaria iurisdictione, quam omnes barones et homines regni Ungarie in se prorogauerunt cognoscet iuxta formam articuli proximo expressi; et quod diffiniuerit, executioni mandabit, contradictores per censuram ecclesiasticam districtius compescendo; et in huiusmodi cognitionibus, diffinitionibus et executionibus causarum procedent iidem archiepiscopus et episcopus, deum et iustitiam habentes pre oculis, postpositis gratia, timore, odio et fauore. Iidem quoque archiepiscopus et episcopus in personam regis Ungarie atque nostram singuli singillatim promulgandi excommunicationis sententiam plenam habeant facultatem, cum ipse et nos in premissis subiecerimus personas nostras iurisdictionibus eorundem. In minoribus vero causis, que hinc inde inter ipsius regis et nostros homines emerserint circa confinia *Morauie* duo ex parte ipsius regis Ungarie videlicet comes Posoniensis et comes Nitriensis, ex parte nostra camerarius Morauie et purchrauius de Brumowe, circa confinia Austrie ex parte regis Ungarie comites Supruniensis et Musuniensis, ex parte nostra . . castellanus de Haselowe et . . castellanus Noue ciuitatis iudices prouinciales, circa confinia Styrie ex parte regis Ungarie comites castri ferrei et . . de Zala, ex parte nostra . . capitaneus et . . notarius Styrie, circa confinia Karinthie, Carniole, Marchie ex parte Regis Ungarie banus totius Sclauonie, ex parte nostra capitaneus Karinthie, Carniole, deputabuntur qui querelantibus hinc inde iustitie facient complementum, et id quod fecerint, tam ipsius regis Ungarie quam nostra auctoritate facient obseruari. Quod si aliqui ex ipsis fuerint diem functi, successores ipsorum dignitatis hereditarii vel per alterutrum regum substitutum fungentur vice et partibus eorumdem. Item si inter amicos regis Ungarie et nostros aliqua fuerit discordia suscitata, pro causa huiusmodi contra pacem promittimus non venire, sed discordantes studebimus si poterimus ad pacem et concordiam reuocare. Alioquin causa inter ipsos discordantes exorta, archiepiscoporum et episcoporum iudicio vel ordinationi relinquetur, quam ipsi recipient et eidem parebunt siue stabunt. Quodsi amici nostri hec renuerint adimplere, nullum consilium et auxilium eisdem impendemus contra regem Ungarie supradictum; si vero quod absit rex Ungarie pacis violator ex quacunque causa propria vel amicorum suorum ac hominum regni sui inuentus fuerit vel turbator, ipso facto incidet in sententiam excommunicationis, quam exnunc venerabiles patres archiepiscopi Strigoniensis et Colocensis eorumque suffraganei episcopi Ungarie tulerunt in scriptis solenniter; et quod eadem sententia teneat et astringat violatorem pacis et concordie cum effectu, ipse rex Ungarie subiecit se iurisdictioni ipsorum archiepiscoporum et episcoporum non obstantibus aliquibus literis, indulgentiis seu priuilegiis a sede apostolica impetratis vel in posterum impetrandis. Preterea ut multiplicatus funiculus pacem faciat pleniorem, venerabiles patres . . . electus Salzeburgensis, . . Patauiensis, . . Frisingensis, . . Ratisponensis, . . Pragensis, . . Olomucensis et . . Secouiensis episcopi regni terrarumque nostrarum iurauerunt quantum in eis est pacem presentem inter ipsum regem et nos ordinatam tenere ac seruare et nos inducere iuxta promissionis a se facte formam ad eandem mutuo obseruandam et tenendum ea que inpresentiarum promisimus et promittimus, spopondimus et spondemus, sicut in ipsorum literis plenius continetur. Promiserunt etiam per idem iuramentum et promittunt, quod si nos quod absit pacem infringere contingeret, vel ea que in presens placitum sunt deducta violare, iidem Salzeburgensis electus ecclesie et episcopi nominati regnique nostri barones nos deserent et regi Ungarie adherebunt ex debito prestiti iuramenti. Verum si regem Ungarie pacem vel ea que in placitum deuenerunt infringere contigerit vel turbare, archiepiscopi et episcopi regni sui et barones ac comites eiusdem iuxta formam presentis compositionis et ordinationis eum deserent et nobis adherebunt similiter ex debito prestiti iuramenti, sicut in ipsorum patentibus literis continetur. Item electus Salzeburgensis, et venerabiles patres . . Patauiensis, . . Frisingensis, . . Ratisponensis, . . Pragensis, . . Olomucensis et . . Secouiensis episcopi de nostra et baronum nostrorum voluntate exnunc sententiam excommunicationis promulgarunt, quam si nos quod absit pacem transgredi contigerit, ipso facto incurremus et nihilominus iidem electus et episcopi totum regnum terrasque nostras ecclesiastico subiicient in suis diocesibus interdicto: non obstantibus literis seu indulgentiis impetratis vel inposterum impetrandis. Archiepiscopus etiam Strigoniensis, qui ordinarius regis Ungarie existit, et archiepiscopus Colocensis ipsius cancellarius ac suffraganei eorumdem prelati regni Ungarie consimilem excommunicationis sententiam in scriptis solenniter tulerunt, quam ipse rex Ungarie ipso facto incurret, si transgressor pacis existeret vel turbator. Et si in hac parte archiepiscopi et episcopi predicti tam regnorum regni Ungarie quam regni nostri et terrarum nostrarum negligentes in exequendis premissis exstiterint vel remissi, punientur a dominis cardinalibus, quorum iurisdictioni se in hac parte subiecerunt, tamquam iuramenti prestiti transgressores. Barones insuper regni nostri, videlicet Andreas camerarius Boemie, Yeroschius de Vvhsberch, Iarozlaus de Lewnberch, Borscho de Lisemburch (sic), Ziwizlaus (sic) purchrauius Pragensis, Iaurbo (sic) de Waldemberch, Dytricus subcamerarius Boemie, Rowarus de Stratawiz (sic), Hymko de Luhtemburch, Stembo (sic) frater Zmylonis, Zlabko filius Borschonis, Hartlibus camerarius Morauie, Bohusch mareschalcus, Bnezta (sic) dapifer, Nezamizlaus pincerna Morauie, Milota frater Benesii, Chuno frater Zmizlonis (sic), Otto de Haselowe, Otto de Perhtoltstorf, Heutef de Howuelde (sic) et alii quam plures iurauerunt quantum in eis est pacem nunc factam fideliter obseruare et nos inducere iuxta posse bona fide ad promissa nostra et sua seruanda, suis super hoc regi Ungarie literis traditis et concessis. Adhec ut concordie et amoris dulcedo inter ipsum regem Ungarie et nos propagines suas faciat largiores, ordinatum exstitit a predictis baronibus regis Ungarie et nostris ad tractatum presentis pacis specialiter deputatis, ut idem rex Ungarie Philippum electum Aquilegensem, et nos Stephanum Lombardum nepotem marchionis Estensis excludere a nostra societate et amicitia deberemus. Nos itaque iuxta placita et ordinationem baronum nostrorum iuramento firmata excludimus et exclusimus a nostra societate et amicitia omnimodis eundem Stephanum, promittentes eum non receptare nec fouere in nostris et amicorum nostrorum finibus siue terris, sed excludere et excludi facere penitus de eisdem, cum rex Ungarie Philippum electum similiter excluserit de sua societate, familiaritate et amicitia omnimodis, non obstantibus literis concessis eidem et promissionibus sibi factis, imo plenitus remouerit, et omnino et specialiter assumserit non receptare vel fouere eundem in suis et amicorum suorum finibus siue terris, promittens eum excludere et excludi facere de eisdem. Exclusit etiam rex Ungarie supradictus Wilhelmum de Scharfenberch et Nicolaum de Leumberch terrarum nostrarum profugos a suo seruitio, gratia et fauore, promittens in defendendis et detinendis castris ipsorum eos contra nos et nostros homines non iuuare. Insuper D. Stephanus rex Ungarie renuntiauit omni iuri et actioni, quod et que sibi videbantur competere seu etiam competebant in ducatibus Styrie, Karinthie et dominiis Carniole, Marchie, nullam decetero suo vel heredum suorum nomine contra nos et heredes nostros super illis moturus materiam questionis. Renuntiauit etiam rex Stephanus Ungarie sepedictus iuri et actioni sibi et suis heredibus competentibus de insigniis regalibus, corona videlicet, gladio, monili, sella, scutellis et aliis clenodiis ac thesauro delatis per D. Annam socrum nostram in regnum Boemie. Item predicte ordinationi et paci includi volumus et includimus excellentes dominos et illustres . . regem Hispanie, . . regem Anglie, D. Riccardum fratrem regis Anglie, electum Romanorum in imperatorem, cum filiis eorumdem; venerabiles patres dominos . . archiepiscopum Maguntinum cum suis suffraganeis, . . archiepiscopum Magdeburgensem cum suis suffraganeis, . . archiepiscopum Salzeburgensem cum suis suffraganeis, D. Ludeuicum comitem palatinum Rheni, D. Henricum marchionem Misnensem, D. Ducem Saxonie cum fratribus et filiis suis, . . . ducem Brunsuicensem et fratrem suum, . . D. Ducem Brabantie, . . D. Ducem de Limpurch, D. Albertum lantgrauium Turingie, D. Theodericum marchionem de Lantsperch, D. Ottonem marchionem de Brandburch cum fratribus suis, carissimis auunculis nostris, filios D. Iohannis marchionis, videlicet D. Iohannem marchionem Brandburgensem cum fratribus et filiis suis, D. Wolezlaum ducem Slesie et suum ducem (sic) Henricum ac alios filios suos, D. Chunradum ducem Slesie cum pueris suis, D. Henricum filium ducis Henrici de Wratislauia, D. Lezkonem et fratrem eius duces Cuiauie, aliosquo fideles fautores et familiares nostros cum filiis omnibus, terris, regnis, ducatibus, iuribus ac possessionibus eorumdem. Insuper promisimus et promittimus iuxta ipsorum baronum nostrorum ordinationem, quod a dominis cardinalibus vacante nunc Sede apostolica obtinebimus transmissis nostris nuntiis confirmationem pacis nunc facte, hoc adiecto, quod ipsius regis Ungarie et nostri nuntii circa festum S. Michaelis nunc venturum iter arripient, et in festo Omnium Sanctorum proximo subsequenti se dominorum cardinalium conspectui presentabunt, et confirmationem nostris sumtibus et expensis obtentam faciemus ipsi regi Ungarie assignari. Idem etiam rex per suos proprios nuntios impetrabit consimiles confirmationis literas suis expensis et sumptibus nobis dandas. Creato vero papa, confirmationem eandem sub simili vicissitudine alterutri nostrum dandam faciemus largiente domino impetrari. Damna autem illata hinc inde compensatione mutua sunt sublata, iuxta ordinationem sepius memoratam. Ut igitur premissa uniuersa et singula per nos inuiolabiliter obseruentur, nec successiuorum temporum mutatione infringi valeant vel aliqualiter vacillare, iurauimus et iuramus tactis corporaliter sacrosanctis euangeliis, multorum sanctorum reliquiis et viuifice crucis ligno; adiicientes, ut transgressor premissorum preter infamie notam, quam ex transgressione iuramenti incurret, diuine acrimoniam sentiat ultionis, et cum Chore, Datan et Abiron recipiat portionem, dei omnipotentis et gloriosissime virginis ac sanctorum omnium suffragiis destitutus. In cuius rei testimonium et perpetuam memoriam ac munimen presentes concessimus literas, duplicis sigilli nostri munimine roboratas. Datum et actum Prage, anno domini M. CC. LXXI., coronationis nostre anno decimo, II. Idus Iulii.

Ex eodem Regesto epistola 4. — Excusum ibidem.

LIII.

Giselbertus, quondam judex de Hlusowice, protestatur, se tres laneos ibidem sibi a monasterio Gradicensi concessos sub censu tenere. Acta die 17. Augusti, 1271.

Nouerint vniuersi tam presentes quam posteri, quod ego Giselbertus, quondam iudex in Hlussouicz, hodie confiteor et protestor per hec scripta, me grauiter deliquisse et peccasse in eo, quod hereditatem S. Stephani in *Gradisch,* uidelicet tres laneos, quos in *Hlussouicz* a domino Roberto, pie memorie predecessore nunc domini mei, usque ad extremum uite mee diem liberos tenendos suscepi, iure hereditario filio meo coram iudicio Oppauiensi dare promiseram, et dederam me defuncto; et quia in hoc facto contra dominum meum iniuste me egisse confiteor et peccasse, hodie coram iuratis et ciuibus vniuersis tam Olomucensibus quam Oppauiensibus, que feci, cum omnibus, qui tunc temporis mihi affuerunt, integraliter reuocato et retracto; et ideo quidquid dominus meus mecum egit in hoc facto siue fecit, et per uiros idoneos comprobauit, iusto iudicio mihi fecit. Propterea cum uxore mea et pueris meis omni iurisdictioni, que de predictis laneis tribus ad me spectat, hodie in iudicio Olomucensi et Oppauiensi cedo, et fateor integraliter me carere. Attamen cum dominus meus tam in persona mea quam in hereditate plenarium ius habuerit, gratiam mihi tamen et misericordiam fecit specialem in eo, uidelicet quod predictos tres laneos usque ad finem uite mee mihi contulit iterato libere possidendos, excepto eo, quod ad expeditionem cum equo falerato de eisdem laneis domino meo abbati seruire tenear sicut prius, et soluere similiter lapidem cere annuatim. Post mortem autem meam, cuicunque dedero siue uendidero laneos antedictos, in eisdem residere debet personaliter et manere; eundem nichilominus censum, quem predicte uille rustici soluunt annuatim secundum consuetudinem dicte uille et fundationem, in perpetuum soluere teneatur. In cuius rei testimonium hoc presens scriptum petii, et feci ciuium Olomucensium et Oppauiensium sigillorum munimine roborari; testibus, qui interfuerunt, infra scriptis, qui fuerunt: Wynandus, iudex Olomucensis. Stephanus, Ottho, Bertholdus, Altmannus, Hansel, Walterus, Rusel, iurati Olomucenses. Bertoldus, Arleboem, Meingoltus, Goblinus, ciues Olomucenses. Snypir, aduocatus Oppauiensis. Wilhelmus, Christianus, Rapota, Mainhardus, Stesno, iurati Oppauienses, et alii quam plurimi. Acta sunt hec et data anno domini M. CC. LXXI. Feria III. post assumptionem beate Marie uirginis.

Ex Annalibus Gradicensibus MSS.

LIV.

Otakarus, rex Boëmiae et marchio Morariae, civibus Opariensibus relaxat depositionem plumbi Brodae ad trium dierum terminum, et concedit usum montanorum Benešowii. Dt. Wratislariae, VIII. Kalendis Decembris,

1271.

Othakarus, Dei gratia Boemie Rex, Dux Austrie, Styrie, Karinthie, Marchioque Morauie, Dominus Carniole, Marchie, Egre ac portus Naonis omnibus in perpetuum. Cum obliuio sit mater calumpnie, nouerca pacis et licium suscitatrix, necesse est ea, que ex principum beneplacito disponuntur circa commoda subditorum, ut obliuionum nebulis non tendantur, scriptis autenticis commendare, ut ex scripture testimonio rei geste aquiratur memoria, et relinquatur euidens indicium veritati. Eapropter ad noticiam omnium cupimus peruenire, quod ciuibus nostris in *Opauia* ad emendationem et profectum ciuitatis eiusdem, gratiose duximus indulgendum, quod currus eorum plumbum deferentes in Brod circa metas Ungarie, tribus diebus tantummodo stare debeant, abinde quarto die, siue plumbum venditum fuerit, siue non, versus Ungariam vel quocunque ipsis placuerit, processuri. Item volumus, quod dilectus nobis Hartlebus Camerarius Morauie eisdem ciuibus de *sylua circa Gredz* ad usus ciuitatis predicte debeat quadraginta laneos assignare, et quod iidem ciues a montibus argentifodinis circa *Benessow* laneos habeant, qui Sepfenlehen vulgariter nominantur. Quod eciam ipsis omnia iura, que apud Iglauiam circa montes huiusmodi fieri consueuerunt, prefatis ciuibus diligentius obseruentur, ipsis similiter concedimus, ex Regie maiestatis munificentia speciali. In cuius rei testimonium et euidentiam clariorem presentes literas conscribi fecimus, et sigillorum nostrorum munimine roborari. Testes vero, qui presentibus interfuerunt, sunt hii: Andreas camerarius Bohemie. Purcardus marschalcus Bohemie. Dytricus subcamerarius Boemie. Dywissius dapifer. Zmylo de Brumow. Zmilo de Belcow, et alii fideles nostri. Actum Vratislauie. Anno Domini MCCLXXI., VIII. Kalendas Decembris. Datum ibidem per manus Magistri Petri de Verens. (?) Vissegradensis prepositi, cancellarii Regni nostri. Anno et die predictis. Coronationis nostre anno undecimo. Indictione quintadecima.

E codice privilegiorum Opaviensium in museo ibidem — fol. 3.

LV.

Bruno, episcopus Olomucensis, confirmat monasterio Cellae sanctae Mariae Brunae emtionem praedii Starchandi ante Brunam. Datum Cremsirii, pridie nonas Decembris, **1271.**

Nos Bruno dei gratia Olomucensis episcopus Notum esse cupimus vniuersis, tam presentibus, quam futuris, quod nos priuilegium sigillo ciuium oppidi Brunnensis sigillatum, datum per Starchandum, filium Peregrini vidimus, legimus, tenuimus, non cancellatum, non abolitum, nec in aliqua sui parte vitiatum, quod pro cautela sub sigilli nostri munimine rescribi fecimus penitus in hec uerba: *(Ego Starchandus . . 1258. Vide n. CCLXVIII. T. III.)* Nos igitur attendentes hanc conuentionem siue emptionem rite et rationabiliter factam, ipsam auctoritate ordinaria in nomine patris et filii et spiritus sancti confirmamus et ratificamus celle superius memorate. Et ne cuiquam super hoc aliquod dubium oriatur, presentem conscribi fecimus paginam, nostri sigilli munimine roboratam. Datum aput Chremsyr anno domini Millesimo CCLXX primo Pridie Nonas Decembris.

Ex originali in archivo S. J. Brunensis.

LVI.

Hartliebus de Myslibořice procedens in expeditionem Hungaricam suum testamentum ordinat. **1271.**

Svboriri solet multa calumpnia in multis factis hominum, nisi lingva bonorum testium robur adhibeat aut scriptura. Quapropter ego Hartliebus de miszelboriz. volens errorem futurum deuitare; notum facio vniuersis presentem paginam inspecturis testamentum ob salutem anime mee cum in vngariam ad expedicionem procederem coram vxore mea in hunc modum me ordinasse. Primo ecclesie in *Hosla* quatuor laneos in *Drozkewiz* perpetuo ordinaui. Item sorori mee Dymodi in eadem ecclesia deo famulanti, in eadem uilla duos laneos uidelicet Drozkewiz delegaui ad vsus eius tali pactu; quod idem duo lanei post obitum sororis mee ad predictam ecclesiam debeant perpetuo omni iure subiugari. Item vxori mee. si uirum alium duxerit C.L. marcas argenti delegaui. quod argentum videlicet super villam *Mirslawz* debet requirere et quandocunque pueri mei eandem villam exsoluere poterint dominam de prenotata pecunia expediant, et uilla pueris meis deseruiat; quamdiu vero alium uirum non duxerit omnes hereditates mee eius obediant voluntati, et ipsa pueris meis et suis prouideat ut fides maternalis eam compellit. Item ecclesie in *mizelboriz* ordinaui vnum laneum in eadem ad opus ecclesie tali conditione si pueri mei eum soluere voluerint IIII. marcas argenti eidem ecclesie reddant. Item siluulam eidem ecclesie dispono. Item notum facio vniuersis quod frater meus ecchardus dum sanus esset uiua et libera voce ecclesiam drozkewiz. cenobio in Hosla post mortem sacerdotis presentis ordinauit et contulit libere et quiete. Item omnibus seruientibus meis quibus equos uel arma aut argentum dedi, ordino ut nullus amicorum meorum eos debeat perturbare et si vxori mee seruire noluerint, recedendi quocumque uelint habeant plenam libertatem. Item scolari meo chunrado si domine mee seruire noluerit ordino IIII. marcas argenti. Item ecclesie in *gri grrhew.* (sic) ad opus ecclesie duas marcas argenti. Item in *Retschize.* ad opus ecclesie duas marcas argenti. Hec sunt debita mea. Primo teneor perhtoldo mercatori in ygla II. marcas argenti, et ditmaro mercatori ibidem I maram. Item chunrado in znoym IIII marcas argenti. Item ad librum matutinalem in Mizelboriz I marcam argenti. Hvius rei testes sunt Gvndackerus sacerdos in mizelboriz vlricus sacerdos Wieston de mizelboriz. domina Zvdna. soror Dymodis. Acta sunt autem hec anno dominice incarnacionis millesimo CC. LXXI.

Ex originali in archivo monasterii Oslowanensis cum sigillo illaeso.

LVII.

Otakarus, rex Boëmiae et marchio Moravie, confert civibus Iglaviensibus Seifenlehen et jura in montibus in Auslj. Datum Pragae, III. Nonas Januarii, 1272.

Nos Othakarus, dei gratia Boemie Rex, Dux Austrie, Styrie et Karinthie, Marchioque Morauie, Dominus Carniolie, Marchie Egre ac Portus Naonis. Tenore presentium protestamur, quod, cum ciues *Iglauienses* nobis pro eo suam contulerunt pecuniam, quod eisdem conferre *Seiphen lehen in awsk* gratiosius deberemus, nos ipsorum promotionibus ex affectu beneuolo intendentes eadem iura in *montibus*, qui in *awsk* sunt inuenti, et qui adhuc inter Iglauienses et Awskenses inuenti fuerint, eisdem fauorabiliter duximus conferenda, ut tam ipsi quam ipsorum heredes ea in perpetuum valeant percipere libere et quiete, uolentes, ut idem ciues in percipiendis iuribus memoratis a quoquam non debeant molestari. In cuius rei testimonium et euidentiam clariorem pretactis ciuibus presentes literas dari mandauimus, sigillorum nostrorum munimine roboratas. Actum et datum Prage. Anno domini Millesimo Ducentesimo Septuagesimo Secundo. Tertio Nonas Ianuarij. Coronationis nostre anno undecimo.

Ex originali civitatis Iglaviae.

LVIII.

Idem concedit fratribus hospitalis sancti Joannis, ut eorum homines solum Pragae juri stare, et ad judicium evocari debeant. Datum Pragae, XIV. Kalendas Februarii, 1272.

In nomine sancte et indiuidue trinitatis amen. Nos Othakarus dei gracia Boemie rex dux Austrie Stirie et Karinthie marchioque Morauie, dominus Carnyole. Marchie. Egre ac Portusnaonis. Scire cupimus uniuersos presentes litteras inspecturos. quod *fratribus hospitalis S. Iohannis baptiste Iherosolymitani* per Boemiam constitutis, propter deuocionis merita, quibus se frater Heynricus magister ordinis eiusdem per Boemiam nostre celsitudini reddidit graciosum et pro nostrorum remedio peccatorum fauorabiliter duximus indulgendum. vt homines ipsorum per totum regnum Boemie, nusquam iuri, nisi Prage stare debeant, vel ad iudicium euocari. vbi coram beneficiariis Pragensibus, omnibus qui de ipsis querimonias deposuerint, respondebunt. Vt etiam circa eosdem fratres amplior nostre liberalitatis gracia elucescat. homines ipsorum a testimonio, quod Ozada vulgariter nuncupatur, liberos esse uolumus et solutos. Et ne ab eisdem huiusmodi testimonium decetero requiratur, districtius inhibemus. In cuius rei testimonium et robur perpetue firmitatis, presentes literas confici fecimus et sigillorum nostrorum munimine roborari. Testibus qui presentibus aderant infrascriptis. Qui sunt dominus Iohannes venerabilis Pragensis episcopus. Andreas camerarius Boemie. Burchardus marschalkus Boemie. Hartlebus camerarius Morauie. Dytricus camerarius. Zmylo de Brumow. Wolkmarus pincerna. Dyuissius dapifer. Zbyzlaus burgrauius Pragensis. Ierko de Waldemberch burgrauius Egrensis. Bawarus de Ztraconyz. Nezamyzl pincerna Morauie burgrauius Olomucensis. Bznata dapifer Morauie. Myztidruh camerarius domine Ch. inclite regine Boemie carissime coniugis nostre. Onso subpincerna. Chvnradus magister coquine. et alij quam plures fideles nostri. Actum Prage anno domini MCCLXXII. quarto decimo Kalendas Februarij. Data ibidem per manus magistri Petri venerabilis Wissegradensis prepositi, cancellarii nostri anno et die predictis coronationis anno undecimo.

Ex originali in archivo M. Prioratus Melitensium Pragae. — Excus. dedit Pelzel — Karl IV. I. Urk. 193.

LIX.

Gregorius papa X. confirmat privilegium Otakari I. ab anno 1207. super libertates ecclesiae Olomucensis. Dt. apud urbem veterem, X. Kalendas Februarii, 1272.

Gregorius episcopus seruus seruorum dei. Venerabili fratri Brunoni Olomucensi episcopo salutem et apostolicam benedictionem. Cum a nobis petitur, quod iustum est et honestum, tam uigor equitatis quam ordo exigit rationis, ut id per sollicitudinem officii nostri ad debitum perducatur effectum.

Eapropter uenerabilis in domino frater tuis iustis postulationibus grato concurrentes assensu dispositionem et ordinationem quas de bonis per tuam industriam *Olomucensi ecclesie* acquisitis, ad opus cottidianarum distributionum ipsius ecclesie et quorundam anniuersariorum et pro aliis piis vsibus de consensu Olomucensis capituli te fecisse proponis, prout in literis inde confectis tuo et ipsius capituli ac carissimi in Christo filii nostri Boemorum Regis Illustris sigillis munitis plenius continetur ratas et gratas habentes eas sicut pie ac prouide, canonica moderatione seruata, facte sunt, et in alicuius preiudicium non redundant, auctoritate apostolica confirmamus et presentis scripti patrocinio communimus, tenorem ipsarum literarum de uerbo ad uerbum presentibus inseri facientes, qui talis est: *(In nomine sancte et indiuidue trinitatis amen. Ego Premysl . . MCCVII. Vide n. XXXI. T. II.)* Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostre confirmationis infringere, uel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attemptare presumpserit, indignationem omnipotentis dei et beatorum apostolorum Petri et Pauli eius se nouerit incursurum. Datum aput vrbem veterem. X. Kalendas Februarii. Pontificatus nostri anno primo.

E codice Olomucensi chart. I. fol. 159.

LX.

Idem pacem inter reges Ungariae et Boëmiae initam confirmat. Datum Laterani, III. Nonas Maji, **1272.**

Gregorius episcopus seruus seruorum dei. Carissimo in Christo filio *Stephano,* illustri Regi Ungarie, salutem et apostolicam benedictionem. Lecta nobis Serenitatis petitio continebat, quod cum inter te et carissimum in Christo filium nostrum *Othacharum* illustrem Regem Boemie grauium guerrarum periculosa discrimina seductor humani generis seminasset, diuina tandem clementia desuper inspirante, tu et ille bonis viris mediantibus de assensu prelatorum et baronum utriuslibet pacem perpetuam iniistis, confectis super hoc literis et interpositis iuramentis, ac de utriusque beneplacito per certos ordinarios, quorum in vos iurisdictionem prorogare curastis, in utrumque vestrum fuerunt in scriptis excommunicationis sententia promulgate, eo inter cetera expresse in tractatu pacis eiusdem habito, quod terra illius, qui violauerit pacem ipsam, per eosdem ordinarios interdicto ecclesiastico supponatur, quodque barones illius qui pacem ipsam violauerit, ab ipsius auxilio et defensione discedant, et assistentes eidem qui pacem seruarit predictam, ipsum contra pacis violatorem adiuuent et defendant; potioribus nihilominus ex ipsis baronibus se ad hoc de tuo et ipsius regis mandato astringentibus per proprium iuramentum; acto etiam in eadem pace, ut eam uterque vestrum procuret per sedem apostolicam confirmari, prout in predictis literis plenius dinoscitur contineri. Nos igitur attendentes, quod nonnisi in pace colitur pacis auctor, tam tuis quam eiusdem regis Boemie precibus inclinati, pacem ipsam prout salubri consilio et deliberatione prouida inita est, auctoritate apostolica confirmamus et presentis scripti patrocinio communimus; tenorem literarum ipsarum, qui nobis sub sigillis authenticis tam ex parte tua quam eiusdem regis Boemie fuit exhibitus, de verbo ad verbum presentibus inseri facientes. Qui talis est: *(Othacharus . . . Dt. Pragae II. Idus Julii MCCLXXI. Vide n. LII.)* Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostre confirmationis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attemptare presumpserit, indignationem omnipotentis dei et beatorum Petri et Pauli apostolorum eius se nouerit incursurum. Datum Laterani, III. nonas Maii. Pontificatus nostri anno primo.

In eundem modum verbis competenter mutatis Otakaro, regi Boëmiae.

Ex autographo Regesto Gregorii X. anni I. epist. 4. et 6. in tabulariis Vaticanis.

LXI.

Idem episcopis Pragensi et Olomucensi mandat, ut pacem eandem faciant observari. Dt. Laterani, III. Nonas Maji, **1272.**

Gregorius episcopus seruus seruorum dei. Venerabilibus fratribus . . *Pragensi* et . . *Olomucensi* episcopis salutem et apostolicam benedictionem. Lecta nobis carissimi in Christo filii nostri *Stephani* illustris regis Ungarie petitio continebat, quod cum inter ipsum et carissimum in

Christo filium nostrum *Otacharum* illustrem regem Boemie grauium guerrarum periculosa discrimina seductor humani generis seminasset, diuina tandem clementia desuper inspirante, iidem reges bonis viris mediantibus de assensu prelatorum et baronum utriuslibet pacem perpetuam inierunt, confectis super hec literis et interpositis juramentis, ac de utriusque beneplacito per certos ordinarios quorum in se jurisdictionem prorogare curarunt, in utrumque ipsorum in scriptis excommunicationis sententiis promulgatis, eo inter cetera expresse in tractatu pacis eiusdem habito, quod terra illius, qui violauerit pacem ipsam, per eosdem ordinarios interdicto ecclesiastico supponatur, quodque barones illius qui pacem ipsam violauerit, ab ipsius auxilio et defensione discedant, et assistentes eidem qui pacem seruarit predictam, ipsum contra pacis violatorem adiuuent et defendant; potioribus nichilominus ex ipsis baronibus se ad hoc de ipsorum regum mandato astrigentibus per proprium iuramentum; acto etiam in eadem pace, ut eam uterque ipsorum procuret per Sedem apostolicam confirmari, prout in predictis literis plenius dinoscitur contineri. Nos igitur attendentes, quod nonnisi in pace colitur pacis auctor, eorumdem regum precibus inclinati pacem ipsam prout salubri consilio et deliberatione prouida inita est, auctoritate apostolica duximus confirmandam. Quocirca de utriusque regis assensu fraternitati vestre per apostolica scripta mandamus, quatenus vos vel alter vestrum per vos vel alios seu alium pacem ipsam per penas et ea que in ipsius tractatu pro illius obseruatione noscuntur expressa, faciatis auctoritate nostra inuiolabiliter obseruari, contradictores auctoritate nostra appellatione postposita compescendo. Et omnes quos pro eiusdem pacis violatione laqueo excommunicationis inuolui contigerit cuiuscunque dignitatis, ordinis vel preeminentie fuerint, singulis diebus dominicis et festiuis pulsatis campanis et candelis accensis in omnibus locis quibus expedire videbitis, excommunicatos solenniter nuntiando ac faciendo per ecclesiarum et monasteriorum prelatos et clericos ac alios nuntiari. Datum Laterani, III nonas Maii. Pontificatus nostri anno primo.

In eundem modum archiepiscopo Strigoniensi et episcopo Waciensi.

Ibidem — epist. 5 et 7.

LXII.

Idem regem Boëmiae hortatur, ut cum Ladislao, rege Ungariae, pacem servare studeat. (1272.)

Gregorius episcopus seruus seruorum dei. Carissimo in Christo filio . . *Regi Boemie* illustri, salutem et apostolicam benedictionem. Paternum ad tue celsitudinis incrementa morem gerimus, dum te ad ea que saluti expediunt et honori tuo congruunt sollicitis monitionibus inuitamus. Persuasiones itaque nostras deuota mente suscipias, ad ea que tibi suggerimus apertos habiturus oculos et aures illis adhibiturus intentas, ut in rationis deducta secretum et ipsius examinata scrutinio admittantur deuotius et pressius imprimantur admissa et impressa fructificent, germinatura pacem et productura quietem precidendo inimicitiarum causas, et amicitias augmentando. Nosti fili carissime, quod post varia et grauia guerrarum discrimina, quas inter te ac clare memorie Stephanum regem Ungarie inimicus humani generis pacis impatiens excitauit, post graues ex eis hinc inde personarum strages, grandiaque rerum secuta dispendia, disponente pacis actore inter te ac regem eundem reformata concordia, firmata sunt federa iuramenti et penarum adiectione, confirmationis nostre ad tuam et ipsius instantiam, ac aliarum firmitatum robore confirmata, que idem rex toto vite sue tempore dicitur obseruasse. Ceterum memorato regi carissimus in Christo filius *Latizlaus rex Ungarie* ut tua nouit sublimitas in regno successit, qui cum sit adhuc etatis innocentis, de nulla contra te potest offensa notari. Et cum ipsum filiis tuis uniat sicut accepimus sanguinis unitas, contra eum nulla tibi de futuro verisimilis potest esse suspicio, quam naturalis potius non solum excludere debet omnino coniunctio, sed et suspicantium corda ponere in tranquillo. Ad obseruanda igitur illi cum memorato genitore ipsius inita federa tanto efficacius tuam debet excellentiam horum consideratio inuitare, quanto iudicium est de preterito certius ea per ipsum non esse hactenus violata, et de futuro verisimilius credi potest, ne (sic) inposterum violanda. Adiicit autem ad seruande a te huiusmodi obseruationis instantiam. quia si quis in eodem genitore vel eius subditis forsan argui posset excessus, idem rex L. ad emendationem cum debite satisfactionis promptitudine iuxta conuentiones in federibus predictis adiectas dicitur esse votiuus. Et quia nec gloriosum foret celsitudini regie, nec glorie regali magnificum in pupillum insurgere, aut etatem tam teneram impugnare. Ideoque serenitatem regiam monemus, rogamus et hortamur in domino Iesu Christo, in remissionem tibi peccatorum suadentes, quatenus predictas conuentiones diligenter obseruans, ab omni memorati regis L. suorumque offensa et iniuria studeas penitus abstinere, in hoc non solum eiusdem regis L. et carissime in Christo filie nostre Isabellis consortis ipsius, nate carissimi in Christo filii nostri . . regis Sicilie illustris etati deferens, sed ad eundem regem Sicilie, virum quidem tante excellentie ac virtutis, cui celsitudini tue utile fore credimus in sinceritate caritatis uniri, prout te decet attendens, nostrisque monitionibus, que honorem etiam tuum respiciunt, cum tue magnitudini congruat premissa seruare taliter aquiescens, quod ad tua commoda memorati Regis Sicilie animum attrahas, et apud nos proinde augmentum tibi fauoris acquiras.

E Regesto Berardi de Neapoli epist. 149. in tabulariis Vaticanis.

LXIII.

Bruno, episcopus Olomucensis, permutationis titulo tradit Heinrico de Přjlep villam Čepy pro Zubřj juxta Kelč. Dt. Olomucii, VIII. Kal. Junii, **1272.**

Bruno dei gratia episcopus Olomucensis. Vniuersis hanc paginam inspecturis et audituris salutem in auctore salutis. Quoniam omnium habere memoriam et in nullo peccare, diuinitatis est pocius, quam humanitatis; bene quidem et utiliter, antiquorum prudentia statutum est, ut gesta mortalium memoriter retinenda scriptis autenticis, que in se redacta firmiter retinent; et uerborum seriem non inmutant uel diminuunt, per ordinem annotentur. Nouerit igitur presens hominum etas et in Christo successura posteritas; quod nos de consilio et consensu capituli nostri, villam de *Zepy;* que spestabat ecclesie nostre, que sita est aput Holzowe, pro alia uilla de *Zubricij*, que *Henrico laico de Pryelep,* iure pertinebat hereditario aput Ghelcz sita, ratione montis qui est in terminis dicte ville, in quo pro ecclesia nostra castrum bonum et necessarium construitur, decreuimus permutare; et hoc perduximus ad effectum. Sed quia villa de Zepy; cum attinentiis suis maior est et latior, quam uilla que fuerat dicti laici, ipse nobis in eadem permutatione de consilio fidedignorum taxatione prehabita, superaddidit viginti octo marcas argenti, quas per ipsum nobis plene ponderatas, numeratas, recognoscimus et solutas, easque in utilitatem ecclesie totaliter conuertimus. aliam uillam *Polon* scilicet, sub eodem castro sitam, habentem preter agros siluam latam et magnam, que domine Katerine Narradi filie iure spectabat hereditario, pro quadraginta marcis argenti, emptionis titulo comparando. Quod autem prefatus Henricus laicus, suique successores et heredes dictam villam de Zepy cum omnibus suis attinentiis pacifice possideant et quiete. dictaque permutatio, a successoribus nostris inconuulsa semper et illibata seruetur. presentem paginam ad rei memoriam sempiternam inde conscribi et sigilli nostri iussimus munimine roborari. Et nos Olomucensis ecclesie capitulum. Heydolfus decanus. Albertus prepositus. magister Iohannes archidiaconus. Alexius prepositus et archidiaconus. Lampertus custos et archidiaconus, ceterique canonici, dictam permutationem, super qua plenius requisiti sumus, ratam tenentes, eique consensum nostrum adhibentes, ad maiorem rei firmitatem, sigilla ecclesie nostre appendi fecimus huic scripto. Actum Olomuz. Anno domini Millesimo. ducentesimo. septuagesimo secundo. VIII. Kalendas Iunii. Datum per manum Conradi notarii nostri. canonici Olomucensis. die ac loco prefatis.

Ex originali in archivo archiepiscopali Cremsiriensi. — Apographum in codice Olomuc. chart. I. pag. 55.

LXIV.

Idem Helmboldo, Ottoni et Gunthero, fratribus de Weljn, feudum in villa Bèla confert. Dt. Olomucii, VII. Kalendas Julii, **1272.**

Bruno dei gratia Episcopus Olomucensis. *Helmboldo. Ottoni. et Gunthero. fratribus, dictis de Welyn,* famulis suis dilectis et heredibus ipsorum imperpetuum. Equitati proximum et rationi non dissonum arbitramur, ut ad fideles nostros qui nobis et ecclesie nostre non parcentes rebus et personis, fideliter seruiunt et constanter, retributionis manum liberaliter extendamus. ut in eisdem possint efficacius persistere seruiciis, ipsorumque erga nos et ecclesiam nostram, deuotio et fidelitas exardescat. Hinc est quod nos gratanter inspectis fidelitatis vestre seruiciis que nobis ad augmentum honoris nostri et ecclesie nostre profectum incessanter et gratuito impendistis, pro quibus ut condecet vos remunerare volumus quod fructuosus appareat labor uester, et quod fidelitas vestra magis erga nos et ecclesiam nostram per huiusmodi retributionis premium accendatur, damus et conferimus libenter ac liberaliter vobis et heredibus uestris iure feodali triginta mansos in villa de *Bela,* cum omnibus suis pertinentiis et iuribus. censu. decimis. iudicio. steura. et omnibus aliis seruiciis debitis et consuetis nullo diminuto penitus uel excepto; per uos ac heredes uestros, perpetuo possidendos. Damus et concedimus insuper uobis, cum plures sint mansi preter vestros in eadem villa, quod iudex dicte uille qui pro tempore fuerit, quique ratione iudicii quinque mansos habet liberos, molendinum vnum, tabernam vnam; et tercium de iudicio denarium per uillam totam principaliter vester sit, et ad uos tanquam ad dominos suos, respectum habeat, pleneque uobis intendat. Permittimus eciam et gratum habemus, si bona vestra predicta ad vtilitatem uestram infra terminos suos poteritis in aliquo emendare. Hoc autem de consilio canonicorum nostrorum statuimus et ordinauimus quod vassallus quilibet ecclesie nostre, qui per nos de bonis episcopalibus infeodatus fuerit, comparare debeat alias hereditates et bona, que medietatem ualeant bonorum episcopalium sibi collatorum, et eadem ecclesie nostre dare libere ac solute, et in feodo a nobis recipere bona similiter comparata; qui uult perpetua feodi sui ab ecclesia, stabilitate et firmitate gaudere. In recognitionem uero bonorum episcopalium que uobis contulimus, dabitis annis singulis canonicis nostris mensuram vnam tritici continentem modium vnum Opauiensem, de manso siue de laneo quolibet; et de mansis dumtaxat censualibus uobis, de allodio vestro, de zluhonibus; et de mansis iudicis, mensuram non dabitis prenotatam. Item de bonis comparatis vt premissum est, quod ab aliis discerni possint, similiter nil soluetis. Nam bona episcopalia, que vobis collata sunt, ad heredes uestros tantum filios transferentur; et numquam ad filias. sed emticia bona iure successionis tam ad filios quam ad filias transferentur. De predictis bonis omnibus tam emptis quam episcopalibus in necessitatibus, in quibus adesse tenemur domino nostro Regi Boemorum illustri, ad honoris sui et terre sue defensionem; et in propriis necessitatibus nostris; successorum nostrorum et ecclesie nostre seruicia facietis militaria in armis uidelicet et dextrariis, quandocunque per nos aut successores nostros fueritis requisiti. et heredes uestri in predictis bonis succedentes vobis, ad similia seruicia tenebuntur. Quod autem omnia premissa tam nobis, successoribus nostris, et ecclesie nostre, quam uobis et heredibus vestris rata seruentur et firma, semperque maneant inconuulsa, nec ullius temporis euo aliquatenus inmutentur; sed perpetuum irreuocabiliter sortiantur effectum. hanc paginam inde confectam, ad sempiternam rei memoriam sigilli nostri iussimus munimine roborari. Et nos Olomucense capitulum propriis huic carte subscribentes nominibus, predictam infevdationem factam uobis et heredibus uestris per venerabilem patrem, dominum nostrum, Brunonem Episcopum Olomucensem videntes ipsam nostre ecclesie vtilem, necessariam et honestam, gratam habemus et ratam; et consensum nostrum vnanimiter adhibemus, annotatum presentibus et expressum. Et quod super hoc nullus futuris temporibus dubietatis uel calumpnie possit oriri scrupulus, hanc etiam paginam ad firmiorem rei stabilitatem sigilli nostri fecimus appensione muniri. Ego Heydolfus decanus. ego Albertus prepositus. ego magister Iohannes archidiaconus Olomucensis. ego Alexius prepositus de Vvlframskirken archidiaconus Znoemensis. Ego Lampertus custos. archidiaconus Willeradensis. et nos ceteri Olomucensis ecclesie canonici, per manum Conradi, dicti domini nostri episcopi notarii, canonici et confratris nostri, huic carte subscribimus, et premissis omnibus pro nobis et nostris successoribus, canonicis Olomucensibus, voluntarie ac fauorabiliter consentimus. Actum et datum Olomuz. Anno domini MCCLXXII. VII. Kalendas Iulii.

Ex originali in archivo archiepiscopali Cremsiriensi.

LXV.

Gregorius papa X. recipit monasterium Zarense in protectionem, omnesque ejus possessiones confirmat. Dt. apud Urbem veterem, III. Kal. Augusti, **1272.**

Gregorius episcopus seruus seruorum dei. Dilectis filiis . . Abbati et Conuentui Monasterii de *Sare*, Cisterciensis Ordinis, Pragensis diocesis, Salutem et apostolicam benedictionem. Sacrosancta Romana ecclesia deuotos et humiles filios, ex assuete pietatis officio propensius diligere consueuit, et ne prauorum hominum malitiis agitentur, eos tanquam pia mater sue protectionis munimine confouere. Eapropter dilecti in domino filii uestris iustis postulationibus grato concurrentes assensu, personas uestras et locum, in quo diuino estis obsequio mancipati, cum omnibus bonis que in presentiarum rationabiliter possidet, aut in futurum iustis modis prestante domino poterit adipisci, sub beati Petri et nostra protectione suscipimus. Specialiter autem terras, possessiones, redditus, domos, et omnia bona uestra, sicut ea omnia iuste ac pacifice possidetis, uobis et per uos uestro Monasterio auctoritate apostolica confirmamus, et presentis scripti patrocinio comunimus. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostre protectionis et confirmationis infringere, uel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attemptare presumpserit, indignationem omnipotentis dei, et beatorum Petri et Pauli apostolorum eius se nouerit incursurum. Datum apud Urbem ueterem III. Idus Augusti. Pontificatus nostri anno primo.

Ex originali ejusdem monasterii. — Excusum apud Steinbach — II. 29.

LXVI.

Decisio litis inter monasterium Lucense et civitatem Znoymensem ratione piscaturae et pascuorum. Dt. Znoymae, die 1. Septembris, 1272.

Cum omnia, que geruntur in tempore, ne simul labantur cum tempore oportet ea sigillis et testibus efficaciter communire. Hinc est quod Nos Radozlaus de Heroltitz Castellanus Znoymensis, Suscicray zudarius eiusdem loci a serenissimo domino nostro rege Boemie, iudices constituti inter dominum abbatem ecclesie *Lucensis* et ciues *Znoymensis* ciuitatis tam per iudicium quam per arbitrium eo quod vtraque pars in nos tanquam arbitros suos consensit, inuenimus et promulgauimus id esse de iure ecclesie Lucensis, quod ciues supradicte ciuitatis vsque ad montem *sancti ypoliti* ad riuulum qui dicitur *grædniz* nullam nauem vel piscationem ibidem habere tenentur, nisi tantum hamo in medio aque, que est in superiori parte grædniz. Pecora etiam ciuitatis in nulla silua ecclesie Lucensis. nec uirgultis nec in uineis cultis uel incultis sed solum in campis desertis pascentur. id tamen non de iure sed gracia speciali, quia ex iure scimus predictam ecclesiam a primis fundamentis taliter habuisse. Simili etiam modo pecora uille *Scillaspiz* in campo ciuium predictorum quod dicitur *Bruckerewelt* pascentur. Pena quoque illius qui contra iura predicta et nostrum arbitrium predicto monasterio dampnum hactenus facere presumpserit, scilicet in predictis piscationibus, siluis, uirgultis, vineis cultis uel incultis, primo pro contumatia domino abbati, et prenotate ecclesie quinque talenta usualis monete soluere tenebitur. Insuper de dampno illato secundum quod eius quantitas estimabitur satisfactione plenaria emendabit. Item quicunque terminos agrorum quos homines ecclesie Lucensis contiguos habent cum ciuibus, iniuriose transultauerit vel dearando subtraxerit, predicte pene quam statuimus subiacebit. Super ista omnia dominus abbas de consilio nostro pro longeuitate illustris domini nostri Regis Boemie lignum per quod homines predictam aquam transeant indulsit non tamen hoc aliquo iure exigente sed gracia speciali. Igitur quecunque parcium his que arbitrati sumus contradixerit nobis et parti aduerse in X. talentis tenebitur morauiensis ponderis et monete. Et ut ista rata permaneant atque firma, sigillo domini abbatis et sigillis nostris, et sigillo ciuitatis placuit roborari. Datum in Znoym. Anno domini M. CC. LXXII. In die Beati Egidij abbatis presentibus Ranocerio quondam Zudario. filio suo Lupo. Iarozlao de Kneniz. Conrado Murcerio. Friderico quondam Lantrichterio. Buhossone. Nagrado. Rissone. Cvnzone de vitis. Doberlone ciuibus de Znoym et aliis quam pluribus.

Ex originali monasterii Lucensis cum tribus sigillis, abbatis videlicet, Radoslai et Cuzkragi appensis.

LXVII.

Bruno, episcopus Olomucensis, monasterio Tišňovicensi renovat suam confirmationem juris patronatus ecclesiarum s. Petri Brunae, in Budějowice et Biteš. Dt. Olomucii, III. Kalendas Octobris, **1272.**

Bruno dei gracia Olmucensis episcopus dilectis in Christo Abbatisse et conuentui Sanctimonialium in *Tusnowiz* . . *usque roboratas. (Vide T. III.*

n. CCLXXXII.) Datum Olomucii in festo b. Michaelis anno domini MCCLXXII. III. Kalendas Octobris. Nos etiam Heydolfus decanus Albertus prepositus archidiaconus Brunnensis totumque capitulum videlicet Cyrus archidiaconus Olomucensis Alexius prepositus de Wolwramskirchen archidiaconus Znoymensis Lampertus custos archidiaconus prezzlauiensis Chunradus scholasticus Bartholomeus Woyzlaus Iohannes de Homburch Theodericus de Wlinstein Thomas Petratus magister Theodericus notarius yglauie canonici Olomucenses graciam concessionis et confirmacionis per venerabilem patrem et dominum nostrum episcopum antedictum supradicto monasterio pie factam gratam et ratam habentes ipsamque firmamento sigilli capituli nostri dignum duximus roborandam. Datum loco et termino prenotatis.

Ex originali ejusdem monasterii cum sigillis illaesis.

LXVIII.

Otakarus, rex Boëmiae et marchio Moraviae, civitati Huno-Brodensi jura civitatis Hlubčicensis et jus depositionis mercium concedit. Datum apud Brunam, IV. Kalendas Novembris, **1272.**

In nomine sancte et indiuidue trinitatis amen. Othakarus, dei grâtia Boemie Rex, dux Austrie, Stirie, Karinthie, Marchio Morauie, dominus Carniole, Marchie, Egre ac Portus Naonys. Omnibus in perpetuum. Vt ea, que rationabiliter ex mere liberalitatis munificentia Regie maiestatis subditis necessitatis et utilitatis obtentu gratiosius concedantur, obliuionis labirinthum non incidant, calumpnie morsu et rubigine uetustatis oppressa, scriptorum autenticorum sustentaculis fulciuntur, ad geste rei memoriam sempiternam. Vniuersis igitur et singulis nostre ac future etatis hominibus liqueat euidenter, quod deuotorum ciuium nostrorum de *Broda* profectui et commodo flagrantius intendentes, ipsis fauorabiliter, vt eo *iure,* quod habet ciuitas nostra *Lubchicz,* gaudere ualeant, nunc et in euum duximus indulgendum. De super habundanti ad hec eis gratia singularis commoditatis promotionisque omnimode interuentu ius depositionis mercium seu mercimoniorum ibidem concurrentium hinc et inde, quod vulgo *Niderlage* dicitur, concedentes, huiusmodi sub pretextu, quod ciues de terris nostris octo diebus, et ciues aliarum terrarum duabus ebdomadis ad plenum cum suis mercibus inibi moram trahere teneantur, abinde postmodum et non prius libere cum suis mercibus vlterius processuri. In cuius rei euidentiam clariorem presens priuilegium ipsis dari mandauimus, sigillorum nostrorum munimine roboratum. Testibus, qui prefatis interfuerunt, inferius annotatis, videlicet Chirnino Camerario. Nezamizlone pincerna. Besnata dapifero Morauie. Smilone de Brumow. Vlrico de Durrenhoncz, Capitaneo Karinthie, et aliis quam pluribus dilectis nostris fidelibus fide dignis. Acta sunt hec aput Brunnam sub anno dominice incarnationis M. CC. LXXII. IIII. Kalendas Nouembris. Coronationis nostre diuina fauente clementia anno XI. Datum ibidem per manum magistri Petri, venerabilis prepositi Wissegradensis, cancellarii Regni nostri. anno et die predictis.

Ex originali ejusdem civitatis.

LXIX.

Albertus de Lešan villam Towěř a se occupatam restituit monasteriis Gradicensi et sancti Jacobi Olomucii. Datum et actum in Litovia, XIV. Kalendas Januarii, **1272.**

In nomine dei eterni amen. Nos Albertus de Lessan vniuersis Christi fidelibus tam presentibus quam futuris, quibus patuerit presens scriptum, salutem in domino sempiternam. Tenore presentium fideliter protestamur, quod nos uillam *Towirz* dictam, in districtu Olomucensi sitam, quam occupaueramus, de nostra bona uoluntate cedendo ecclesiis, uidelicet beati Stephani in *Gradisch* ordinis Premonstratensis, et *beati Iacobi in ciuitate Olomucensi,* cum omnibus pertinentiis et iuribus, ad eandem uillam spectantibus, possidendam iure hereditario perpetuo assignamus, pari seu equali nichilominus et iusta portione inter duas ecclesias diuidendam, sicut domina Sabina, relicta domini Nezamisl felicis reminiscentie, quondam Purgrauii in Olmucz, prenotatis ecclesiis de suo patrimonio olim legauerat iuste et rationabiliter, sicut in ipsius domine testamento et instrumento plenius continetur. Et ne super his alicui ambiguitas imposterum oriatur, presentes fieri fecimus, sigilli nostri munimine roborantes. Testes huius rei sunt: Dominus Onscho camerarius. Chenlinus, qvondam Olomucensis Purgrauius. Lutherus, czudarius Olomucensis. Koyata de Drnouicz. Pardus de Horka. Weliz de Lizouicz. Veliz de Lazan. Woyslaus de Tessnowicz, et quam plures alii ad hoc uocati et rogati. Datum et actum in Luthouia. Anno domini M. CC. LXXII. XIV. Kalendas Ianuarii.

Ex Annalibus Gradicensibus MSS.

LXX.

Otakarus, rex Boëmiae et marchio Morariae, ecclesiae in Rauchowany villam Přjzwice confert. Dt. XIII. Kalendas Maji, **1273.**

Ottacharus dei gratia, rex Boemorum, dux Austrie, Styrie et Karinthie, marchioque Morauie, dominus Carniole, Marchie et Egre ac Portus Naonis; omnibus inperpetuum. Attestantur hoc temporalia, non in vno statu manencia, quod gesta hominum transitoria, a memoria hominum labencia processibus temporum successiuis, sint scripture testimonio commendanda. Quapropter tam presentibus quam futuris, uolumus fore notum; quod villam que vulgariter *Priswize* nuncupatur, que ex morte Marchwardi ad nos iure patrie, cum sine heredibus decesserit, esse noscitur deuoluta, Ecclesie sancte Marie in *Ruchowan,* ob nostre ac nostrorum progenitorum remedium animarum, et in magistri Wernheri eiusdem ecclesie rectoris, dilecti capellani nostri premium meritorum, conferimus et contulimus sine diminucione qualibet iure hereditario perpetuo possidendam. Hanc sibi nichilominus gratiam concedentes, vt in villa predicta causas quaslibet debeat iudicare, nullo alio sibi vendicante iudicium de hominibus dicte ville. In causis uero criminalibus que membrorum mutilationem requirunt seu uite priuationem, iudex eiusdem rectoris, associato sibi iudice loci, in qua sita est ecclesia tanquam assessore, causam cum eodem, fine debito terminabit. Illo tamen adhibito moderamine, quod ex officio assessorio idem iudex, nichil sibi iuris, in culpis huiusmodi vendicabit. Et ut premissa donatio et collatio robur obtineat perpetue firmitatis, presentes literas nostrorum fecimus sigillorum munimine communiri. Presentibus testibus subnotatis. Videlicet Schyrnino camerario Morauie. Andrea et Ditrico camerariis Boemie.

Purchardo marschalco Boemie. Zmilone de Strelik. Gregorio camerario domine regine. Schetsone. ac aliis quampluribus fidedignis. Actum et datum. Anno domini Millesimo, ducentesimo, septuagesimo, tercio. XIII. Kalendas Maii.

Ex originali in curia Brunensi cum sigillo venustissimo bilaterali.

LXXI.

Bruno, episcopus Olomucensis, confert Meingotto, civi Olomucensi, villam Krakowice et allodium in Mošany jure feudali. Actum et datum Idibus Maji, **1273.**

Bruno dei gratia Episcopus Olomucensis. Dilecto sibi *Mengoto* ciui Olomucensi. suisque heredibus in perpetuum. Censemus conueniens et honestum, ac pium eciam arbitramur, vt eorum qui se nobis et ecclesie nostre obsequiosos exhibent et fideles, cum benefecisse bonis sit omni parte lucrosum, recompensemus liberaliter seruicia, beneficiis specialibus et gratia singulari. Hinc est quod nos gratanter inspectis obsequiis multiplicibus per bone memorie quondam Henricum ciuem Olomucensem, patrem tuum fideliter nobis impensis. quodque tu ad instar dicti patris tui similia nobis exhibes et inpendis seruicia fide plena et sollicitudine indefessa. concedimus et conferimus liberaliter tibi et heredibus tuis iure feodali villam de *Kracowiz,* quatuor mansos habentem, et allodium de *Mossan* habens duos mansos, cum censu. decimis, iudicio, steuris. pratis, rubetis et omnibus attinentiis; necnon iuribus et terminis suis plenis, per te ac heredes tuos legitimos, masculos tantum perpetuo possidenda. capituli nostri ad hoc requisito consensu pariter et obtento, cui dabis in recognitionem dictorum bonorum mensuram tritici de manso quolibet annis singulis, quemadmodum vasalli nostri et ecclesie nostre, infeodati de bonis episcopalibus, dare tenentur. nobisque et nostris successoribus, tu et heredes tui talia fideliter inpendetis seruicia sicut predictus pater tuus nobis exhibere consueuit. Quod autem premissa omnia tam nobis, successoribus nostris et capitulo nostro, quam tibi et heredibus tuis firmiter et inuiolabiliter obseruentur, presentem paginam ad rei memoriam sempiternam inde conscribi, et sigilli nostri iussimus munimine roborari; cui et sigillum capituli nostri similiter est appensum. Actum et datum Olomuz anno domini M. CC. LXXIII. Idus Maii. presentibus et consentientibus dominis, Alexio decano. Alberto preposito. Cyro archidiacono. Conrado scolastico. Bartholomeo. Woyzlao. Lamberto custode. Petro, Thoma Romano. Iohanne de Hompurch, Theoderico de Fulmensteyn. Magistro Theoderico de Yglauia. Vlrico domini Razlai filio. Budizlao. et Hartmanno. canonicis Olomucensis ecclesie.

Ex originali in arch. archiepiscopali Cremsiriensi. — Apographum in codice Olomucensi I. membr. fol. 82. et Cremsir. G. IV. n. 95.

LXXII.

Budiš, abbas Gradicensis, novam plantationem villae Stěpanow et exstirpationem silvae adjacentis ordinat. Dt. in Hradišť, die 15. Junii, 1273.

In nomine domini amen. Ea, que geruntur in nostra audientia, conscribi facimus, ut scripture testimonio rei geste memoriam habeamus. Igitur tam futuris quam presentibus memoriter innotescat, quod nos Budis, dei gratia abbas ecclesie Gradicensis, nouam plantationem quandam, nomine *Stephanow,* et siluam adiacentem ad latitudinem quinquaginta laneorum, iure noue ciuitatis iudici de Stephansdorff et pueris suis extirpandam et plantandam de consensu fratrum nostrorum contulimus, et dedimus pacifice et quiete possidendam, ita tamen, quod finita libertate et termino antedicto quilibet laneus fertonem argenti, . . udonem unum tritici alium siliginis, duos auene, et tres honores, uidelicet in natiuitate domini quatuor pullos, in festo Pasche quadraginta oua, in Pentecoste quatuor caseos, et pro nostra uoluntate uiginti denarios dare nobis singulis annis teneatur; domino episcopo sex denarios decimales, et sex similiter ad reparationem pontium circa Olomucz persoluere annis singulis teneatur; equum otiosum, bene expeditum domino regi, si necesse fuerit, semiliter ducere sit paratus; communes steuras seu exactiones domini nostri Regis, una cum pauperibus uel hominibus suis, tanquam alii pauperes residentes in bonis abbatie similiter soluere teneatur, quandocunque fuerit requisitus. Preterea tres laneos liberos dicto iudici et pueris suis perpetuo dedimus habendos; et si ultra numerum quinquaginta laneorum plures extirpauerit, similiter decimus suus erit; habebit etiam molendinum unum liberum, et tabernam, et tertium denarium dicte uille. Habebit etiam fabrum et pistorem, bancum carnificis, et sutorem. In cuius testimonium presentem litteram sibi dari fecimus, sigillo nostro firmiter communitam. Acta sunt hec anno domini MCCLXXIII. Datum in Gradisch in die S. Viti Martyris.

Ex Annalibus Gradicensibus MSS.

LXXIII.

Bruno, episcopus Olomucensis, monasterio Lucensi renovat et confirmat literas episcopi Roberti super decimis et jure patronatus ecclesiarum ejusdem. Dt. apud Znoymam, XIII. Kalendas Julii, **1273.**

Bruno, dei gratia Episcopus Olomucensis. Dilectis in Christo Abbati et conuentui monasterii *Lucensis,* Premonstratensis ordinis, Olomucensis diocesis, Salutem et sinceram in domino caritatem. Exhibita nobis uestra petitio continebat, quod priuilegium, a uenerabili in Christo patre, pie memorie domino Roberto, quondam episcopo Olomucensi, predecessore nostro, uobis et per uos monasterio uestro concessum, ipsius episcopi et capituli ecclesie Olomucensis sigillorum appensione munitum, iam in tantum sit lapsu temporis antiquatum, et uetustate nimia consumptioni uicinum, ut renouacionem ex necessitate requirat. Quare super eo uobis et monasterio uestro prouideri a nobis humiliter postulastis. Nos autem uobis et monasterio uestro prefato paterna uolentes in hac parte, ut conuenit, sollicitudine prouidere, presertim cum ea, que in eodem continentur priuilegio, per felicis recordationis dominum Honorium papam tertium sint uobis et monasterio uestro, sicut uidimus, confirmata: dictum priuilegium, quod diligenter perspeximus, et uidimus non abolitum, non cancellatum, nec in aliqua parte sui uiciatum, cui prefati domini Roberti et capituli Olomucensis ecclesie erant appensa sigilla, de uerbo ad uerbum nihil addentes uel minuentes, per quod ipsius priuilegii tenor seu uerborum series immutetur, transcribi fecimus ad cautelam. Est autem ipsius priuilegii tenor talis. *(In nomine sancte et induidue trinitatis. Ego R.(obertus) etc. . . 1220. Vide n. CXI. T. II.)*

Quia igitur ipsum autenticum ex necessitate uidimus renouandum, et in scriptum aliud redigendum, nos presens eius transcriptum ad euidentem cautelam et firmitatem ampliorem nostri et capituli nostri ecclesie Olomucensis sigillorum fecimus munimine roborari. Datum apud Znohem. Anno domini M. CC. LXX. III. XIII. Kalendas Iulij.

E copia vidimata ejusdem monasterii.

LXXIV.

Otakarus, rex Boëmiae et marchio Moraviae, poenas pecuniarias subditis Zarensibus imponendas cedit monasterio Zarensi. Dt. Brunae, IV. Nonas Julii, **1273.**

Othakarus dei gracia Rex Boemie, dux Austrie, Stirie et Karinthie Marchioque Moravie, dominus Carniole, Marchie Egre ac portus naonis, omnibus in perpetuum. Dignum et iustum est et consentaneum racioni, ut, quociens per suorum petitiones fidelium que tamen ab equitatis tramite non discordent Regia maiestas requiritur, eis annuens debeat sue benignitatis oculo arridere, eoque maxime quo pia causa exigit et merita postulant personarum. Inde est quod cum Winricus abbas et conuentus monasterii in *Scar* nostre celsitudini humiliter supplicarint vt omnes culpas et mulctas siue penas pecuniarias in quibus ipsius monasterii in Scar homines per singulos beneficiarios terrarum Boemie et Moravie in iudiciis legittime condempnantur, ipsi monasterio ad sustentacionem fratrum et conuentus ibidem, ob diuine retributionis meritum, largiri misericorditer dignaremur: Nos ipsius abbatis et conuentus prefati monasterii fidem puram et deuocionem sinceram considerantes, quam ad nostre gerunt superheminenciam dignitatis, plura etiam grata et utilia deuocionis obsequia que nobis prestiterunt hactenus, prestant ad presens, et in futurum prestare poterint attendentes, quin insuper solerti meditacione pietatis Actori hoc fore placiturum pensantes, dictorum abbatis et conuentus benigne precibus annuentes, ipsi abbati et conuentui prefati monasterii omnes culpas et mulctas sive penas pecuniarias, in quibus homines ipsius monasterii per singulos beneficiarios terrarum Boemie et Moravie vel aliquos ex ipsis in iudicio fuerint condempnati, cum pietati conueniat presentis tenore priuilegii ualituri perpetuo, pro melioracione, et subsidio monasterii prefati damus et concedimus ex certa nostra consciencia et de gracia speciali. hoc expresso et adiecto quod homines prelibati monasterii ad citationes beneficiariorum nostrorum iudicio astare debeant et parere. Vniuersis beneficiariis terrarum Boemie et Moravie dantes districtius in mandatis, quatenus a sepedicti monasterii hominibus si qui per ipsos in aliqua pena pecuniaria in iudicio fuerint condempnati, nullam pecuniam exigere uel recipere audeant, sicut grauem indignacionis nostre aculeum uoluerint euitare. Ad cuius rei memoriam et robur perpetuo duraturum presens priuilegium fieri et sigillis maiestatis nostre iussimus communiri. Actum Brunne anno domini Milesimo ducentesimo septuagesimo tercio, quarto Nonas Iulii. Datum ibidem anno et die predictis per manum Iohannis aule nostre notarii. Coronacionis nostre anno XI. Indictionis prime.

E copia vidimata et collata cum autographo in archivo c. r. aulico Vindobonae, cui sigillum laesum appendet. — Excusum apud Steinbach — II. pag. 30.

LXXV.

Bruno, episcopus Olomucensis, Hermanno laico vendit hereditarie judicium civitatis Mohelnice (Müglitz) et villarum adjacentium. Dt. in Kelč, die b. Catharinae, 1273.

Bruno, dei gratia episcopus Olomucensis, Hermano laico, presentium exhibitori, et suis heredibus in perpetuum. Fuga temporis et mutabilitas facta hominum abolent, ut, quasi non fuerint, ignorentur. Perutili prouisum est consilio, ut, quod dignum agitur memoria, scriptis et testibus memorie commendetur. Hinc est, quod scire volumus presentes pariter et futuros, quod nos tibi vendidimus iure hereditario iudicium ciuitatis nostre *Miglicz* cum duabus mansis liberis, pertinentibus ad ipsam ciuitatem, quatuor macellis, videlicet duabus carnium, duabus panum, et una stuba balneali, similiter liberis, in eadem ciuitate, et uillarum, quarum nomina scribuntur, videlicet *Lubyn, Lukawecz, Smola, Schiczendorff, Reyssiel magnum et paruum, Galicz, Hudkendorff paruum, Gestrzeb, Quilein, Kirchlebs, Crymoiczow,* *Stebnicz, Zadlawicz,* et etiam tertium denarium iudicii ciuitatis et villarum omnium predictarum, ita ut istud tuum iudicium hereditarium successionis iure tuos libere transeat ad heredes, ad nulla prorsus seruitia a nobis vel a nostris successoribus compellaris, nec aliqui tuorum heredum, imo ipsum iudicium cum attinentiis prenotatis libere possidendum. Ut autem hec uenditio nostra iudicii antedicti rata permaneat et inconcussa tibi et heredibus tuis dari fecimus presens scriptum, sigilli nostri munimine roboratum, cum testibus annotatis, quorum nomina sunt hec: Conradus, scholasticus ecclesie nostre. Ioannes et Arnoldus, curie nostre notarii. Ioannes de Phulstein, dapifer noster. Theodoricus Stange, marschalcus noster, et quam plures alii fide digni. Datum in Keltsch per manum Gysconis, anno domini millesimo ducentesimo septuagesimo tertio, in die Sancte Catharine.

E confirmatione privilegiorum ejusdem civitatis.

LXXVI.

Idem confert Joanni Vrolenwezensi, famulo suo, feudum in Keťři (Katscher.) Dt. in Katscher, die s. Nicolai, **1273.**

Bruno, dei gratia episcopus Olomucensis, dilecto fideli Iohanni Vrolenwezensi famulo suo, in perpetuum. Dignum esse censemus et consonum rationi, ut eos, qui se nobis et ecclesie nostre obsequiosos exhibent et paratos, ampliori quodammodo et speciali dilectionis studio prosequamur. Hinc est, quod notum esse volumus presentibus et futuris, quod nos tibi et tuis heredibus pretextu seruitiorum tuorum, que nobis et ecclesie nostre exhibuisti, et intendis imposterum exhibere, X mansos, sitos in villa nostra *Keltschir,* quos soror tua deuota, matrona dilecta nobis, relicta quondam Alberti Stangonis, militis nostri bone memorie, a nobis et ab ecclesia nostra in feodum tenet temporibus vite sue conferimus liberaliter et libenter iure feodi perpetuo possidendos. Ita tamen, quod non prius habeas aliquam iurisdictionem in eisdem laneis, nisi prius predicta soror tua disponente domino clauserit dies suos. Vt autem hec nostra donatio tibi tuisque heredibus rata permaneat et inconuulsa, presens scriptum tibi dari fecimus, sigilli nostri munimine roboratum. Huius rei testes sunt: Conradus scolasticus, Theodoricus de Fullenstein, ecclesie nostre canonicus. Iohannes de Keltschir. Iohannes notarius capituli nostri, Herbordus de Fullenstein, dapifer noster, et Iohannes, filius eius, Ticzmannus Stange, marschalcus noster, Herbordus et Waltherus, fratres de Fullenstein, et alii quam plures. Datum in Keltschir, anno domini MCCLXXIII. in die beati Nicolai.

E codice Olomucensi chart. I. fol. 56.

LXXVII.

Idem fundationem duarum vicariarum de reditibus in Kozlow (Kösling) ex Joannis, plebani in Holzemplotz et canonici Olomucensis, legato factam confirmat. Actum Olomucii, 1273.

Bruno dei gratia Olomucensis episcopus, A. decanus, Alexius prepositus, Cyrus archidiaconus, totumque capitulum eiusdem ecclesie dilecto sibi in Christo *Iohanni de Homburc,* confratri suo et canonico, salutem et sinceram in domino caritatem. Quod scimus, loquimur, et quod pro certo didicimus, presentibus confitemur, qualiter bone memorie magister Iohannes, plebanus de Hoczenploz, nostre Olomucensis ecclesie et Cremsiriensis canonicus, tunc in studio generali Padue existens, circa sua extrema (?) dum et aliqua de bonis suis legasset, inter quosdam in reliquis te et magistrum Iohannem de Noua ecclesia, et dominum Henricum de Merin (suos) fidei commissaros fecit ac eciam ordinauit, vestre fidei recomittens taliter de hiis agendum, prout anime sue magis posset expedire. Tu autem predictorum confidei comissariorum tuorum tibi in hac parte annuente consensu persolutis legatis de rebus predicti magistri Iohannis iam defuncti de superfluo eatenus prouidisti. Comparasti etenim pro septuaginta duobus marcis argenti in villa *Coselow* ultra nemus octo laneos cum omnibus suis pertinentiis, iudiciis videlicet atque steuris, qui preter hec iura singuli singulas marcas soluent octo marcas annuatim. Horum quoque laneorum quatuor cum omnibus suis iuribus pro vna vicaria in nostra Olomucensi ecclesia, et aliorum quatuor pro altera in Cremsirensi habenda deputasti, intendens de huiusmodi duabus prebendulis in sacerdotali ordine duos vicarios prebendari, qui in ministerio sui officii diuini numinis cultum adaugeant.

In vtraque ordinasti eciam, vt, postquam de nostro consensu vice prima contuleris et de ea prouideris persone alicui, quocienscunque deinceps vicaria predicta vacauerit, ordinacio eius ad capitulum nostre Olomucensis ecclesie debeat pertinere. Verum quoniam vicariorum acceptacio a nobis de ratione requiritur ac cofirmacio desideratur, quod in hac parte laudabiliter intentum et effectum existit, acceptum gerimus ac etiam confirmamus, statuentes et ordinantes, vt predicte vicariales prebendule inter alias vicarias nostre Olomucensis et Cremsiriensis ecclesie reputentur. Et qui pro eis diuini officii ministri extiterint, pro vicariis et vicariorum nomine censeri debeant ac eciam nuncupari, eis locum et stallum inter alios vicarios designando. Ad hec statuimus, vt qui, pro aliqua prebendularum huiusmodi in prefata nostra Olomucensi ecclesia vicarius fuerit, quolibet die dominico, sabbato et feria sexta et quibuslibet diebus aliis, qui extra dies iam dictos feriales occurrerint in officio, quod dici competierit, missam dicere teneatur. Insuper in quolibet mense semel peragendo memoriam predicti magistri Iohannis missam vnam dicere pro defunctis, debeatque cunctis horis psallendis in nostra ecclesia cum aliis vicariis interesse; pro loco autem, vbi execucionem sui officii deo persoluat, quodlibet altare in ipsa Olomucensi ecclesia, quod tunc temporis aptum et ad hoc vacare poterit, deputamus. Ne autem de prehabitis cuiquam questio uel dubium valeat suboriri, presentem paginam nostro et capituli nostri sigillo fecimus roborari. Actum et datum Olomucii in capitulo pro electione decani aliisque expediendis nostre ecclesie negotiis, secunda feria post quasi modo geniti indicto et continuato vsque in proximam tertiam subsequentem. Anno domini MCCLXXIII.

E codice Olomucensi I. membr. fol. 41., et cod. II. fol. 25.

LXXVIII.

Otakarus, rex Boëmiae et marchio Moraviae, indulget, ut episcopus Olomucensis cum capituli sui consensu bona episcopalia in feudum conferre possit. Dt. Pragae, VI. Idus Januarii, **1274.**

Otakarus dei gratia Boemie rex quintus, dux Austrie. Stirie. Karinthie. Marchio Morauie. dominus Carniole. Marchie. Egre ac Portusnaonis.

Omnibus presentem paginam inspecturis, in perpetuum. Pium est et honestum ac consentaneum rationi, ut quorum deuotionis constancia, fideique puritas tam probabilibus argumentis, quam ueris experiri potest indiciis, eorum speciali prerogatiua fauoris et gratie coronetur fidelitas, ut ubi fides est per operis euidentiam ibi remunerationis dignissime premium sit paratum, ceterique ipsorum exemplo ad deuotionis et fidelitatis constantiam fortius inuitentur. Cum igitur venerabilis in Christo pater dominus *Bruno episcopus Olomucensis* ad honorem et utilitatem ecclesie sue indefessa sollicitudine diligenter intendens, statum eius quibus potest promotionibus erigendo, militibus et famulis suis, qui tam nobis in defensione terrarum nostrarum, et ad resistendum inimicis nostris, quam eciam ipsi domino episcopo, nobis semper exposito et parato, iam multis retroactis temporibus non sine magnis laboribus et personarum periculis fideliter seruierunt et seruiunt incessanter, de bonis et possessionibus episcopalibus, unicuique iuxta suorum exigentiam obsequiorum, nomine feodi bona duxerit aliqua conferenda, pleno capituli sui accedente consensu; Nos considerantes et plenius aduertentes, quod eidem ecclesie Olomucensi non modicus in hoc facto profectus et honor accrescit, quodque dominus Bruno episcopus tam per industriam suam, quam per nostram eciam largitionem Olomucensi ecclesie, cui libenter et liberaliter, diuine remunerationis intuitu, sueque deuotionis et fidelitatis obtentu, contulimus et donauimus oppidum de *Hullyn* cum omnibus suis pertinentiis ut in alio priuilegio inde confecto continetur, plenius, temporibus suis bona plurima conquisiuit. Tales etiam qui militaria nobis prestent obsequia pro defensione terrarum nostrarum et ad resistendum aduersariis nostris ut temporis condicio presentis exposcit, volentes habere mansione stabili infra dominii nostri rete, consensum nostrum super infeodationibus huiusmodi fauorabiliter et liberaliter adhibemus. Et ut prefati milites ac famuli, necnon et heredes sui dictorum feodorum prout in priuilegiis episcopi et capituli Olomucensis, sibi concessis, plenius est expressum, stabili et perpetua gaudeant firmitate ipsique et eorum posteri, qui in bonis eisdem feodalibus de iure successerint, episcopo qui pro tempore fuerit et ecclesie Olomucensi obsequiis militaribus perpetuo sint astricti, Nos adicientes celsitudinis nostre robur, quod per eundem dominum Brunonem episcopum et capitulum suum in hac parte factum est, ratum habentes et gratum, id potestate regia confirmamus, inhibentes districte ac firmiter ex nostre plenitudine potestatis, ne quis dictam infeodationem, pie ac prouide factam, presumat infringere, uel ei aliqualiter contraire. Siquis autem hoc attemptare presumpserit indignacionem regiam se nouerit grauiter incursurum. Datum Prage per manum magistri Petri Wissegradensis prepositi regni nostri cancellarii. Anno domini Millesimo ducentesimo LXXIIII. VI. Idus Ianuarii. Indictione secunda.

Ex originali in archivo capituli Olomucensis. — Apographum in codice Olomucensi I. fol. 58. et Cremsiriensi K. III. n. 77.

LXXIX.

Idem Heinrico de Iwanice, civi Olomucensi, confert judicium in Týnec jure Teutonico observandum. Dt. III. Kalendas Februarii, 1274.

Othakarus dei gratia rex Boemie, dux Austrie et Stirie et marchio Morauie fideli suo *Heinrico* ciui Olomucensis ciuitatis dicto *de Iwaniz* gratiam suam et omne bonum. Quum, que provide et rationabiliter fuerint ordinata, non solum inuiolabilis confirmationis munimine stabili, verum etiam perhenni debent memoria declarari, fidelis nostri Petri quondam villici in Olomucensi prouincia ordinationem rationabiliter super uilla nostra *Tynez* confirmantes ad instantiam petitionum fidelium nostrorum ciuium Olomucensis ciuitatis, Ottonis et Friderici, tue discretionis fidelitatem commendantium, te in eadem uilla iudicem constituimus perpetuum, ut ipsa Bohemici iuris conditione mutata in omnibus, que ibidem iudicanda seu ordinanda fuerint, *ius Teutonicum* studeas conseruare. Et ut iusticie et profectui uille eiusdem et hominum ibidem manentium melius ualeas intendere, unum laneum ad dicte uille iudicium pertinentem et thabernam et molendinum et stubam balneariam absque alicuius census exactione tibi et heredibus tuis iure concedimus feodali, ita ut ad tuos et tuorum heredes posteros huiusmodi concessio deuoluatur. Super omnibus itaque causis et culpis faciendi iudicii et iustitie in prefata uilla tibi plenam conferimus potestatem. Causas ergo siue culpas furti, adulterii, siue stupri et homicidii iudicabit noster specialis nuntius uel noster uillicus per Olomucensem prouinciam te presente iudiciorum etiam questus pro culpis minoribus prouenientes tibi ex integro conferentes; pro culpis maioribus iudiciorum questus partem tertiam tantummodo tibi uolumus prouenire, sed duas partes eorundem nostre camere adsignari. In cuius rei euidentiam presentes literas nostri sigilli munimine decreuimus communiri. Datum anno domini M. CC. LXXIV. III. Kalendas Februarii.

E codice Olomucensi chart. I. fol. 35.

LXXX.

Bruno, episcopus Olomucensis, Mrawjkoni, militi suo, et Annae, uxori ejus villam „Murizt" in feudum confert. Dt. Cremsirii, dominica Esto mihi, **1274.**

Bruno. dei gratia Olomucensis episcopus, Dilecto fideli suo Mrawichoni. militi in perpetuum. Quoniam dubitationis scrupulus rite gestam multociens opprimit veritatem, huic morbo humana succurrens discretio, consueuit ueritatis processum ad noticiam perducere futurorum. Hinc est quod scire uolumus posteros et presentes, quod nos tibi ob seruiciorum tuorum merita et fidelitatis, nobis, et ecclesie nostre exhibita, et ut dum vixeris exhibenda, villam *Murizt* cum omnibus suis pertinentiis uidelicet agris, nemoribus, cultis pariter et non cultis, aquis, riuulis, pratis, pascuis, piscationibus conferimus iure feodi cum omni vtilitate, que eidem ville nunc est, uel inesse poterit in futurum, libere possidendam, temporibus uite tue. Hec adicientes de gratia speciali, quod si uxor tua superuixerit diem tuum extremum, ipsa eandem villam cum omnibus iuribus prenotatis, usque ad finem uite sue nomine datalicie inuiolabiliter et libere possidebit. Vt autem hec nostra collatio facta tibi et vxori tue, domine Anne. rata permaneat et inconuulsa, super ea presentem paginam conscribi fecimus de fauore et consensu. Alexii decani. Alberti prepositi. Cyri archidiaconi. Woyzlai. Bartholomei. Iohannis de Hamburch. Theoderici de Wlmenstein, et aliorum canonicorum ecclesie nostre, nostri et eiusdem capituli nostri sigillorum munimine roboratam. Datum Cremser, anno domini MCCLXXIIII. dominica qua cantatur, Esto michi.

Ex originali in arch. archiepiscopali Cremsiriensi. — Apographum in codice Olomucensi chart. I. pag. 57.

LXXXI.

Idem vendit capitulo Olomucensi villam Kozlow in provincia Opaviensi. Dt. Olomucii, Nonis Martii, 1274.

Nos Bruno dei gratia episcopus Olomucensis Tenore presentium contineri et earum intuitu cunctis deducere intendimus in publicam noticionem; ad rei memoriam sempiternam, quod cum villam *Cozelowe* in Opauiensi prouincia sitam pro nostra peccunia emissemus, nobis quippe alias aduenticia quam de rebus ecclesie conquisita prospicientes in ipsa nostra Olomucensi ecclesia quandam repositam peccuniam quam pro creando in eadem cuiusdam certi et honesti ministerii cultu quidam iam defuncti. canonici legarant eidem; vnde superstitibus canonicis in tendentibus hac mediante peccunia, pro disponendis priuatis vtilitatibus nostre sedis, de communicato eorumdem nostrorum canonicorum consilio pariter et consensu; in predicta villa duodecim mansos, cum censu, decimis. pratis. steuris. iudiciis. et aliis omnibus pertinenciis suis nec non iurisdictione perfecta, eisdem vendidimus pro centum et octo marcis argenti, tradidimusque ad possidendum et disponendum, prout ex disposicione predictorum defunctorum, quorum hec erat pecunia, quidam ex ipsis superstibus canonicis, pie ac prouide disponere habuerunt. et nos huiusmodi peccuniam sic receptam, in vsum et utilitatem nostre sedis conuertimus econuerso. In cuius rei testimonium presentes sigilli nostri iussimus munimine roborari. Et nos Olomucense capitulum. videlicet, Ego Alexius decanus; Ego Albertus prepositus. Ego Cyrus archidiaconus Olomucensis. Ego Lambertus custos. Ego Conradus notarius. Ego Bartholomeus; Ego Woyzlaus. Ego Ditricus. Ego Petrus. Ego Iohannes dehomburch. Et nos ceteri canonici Olomucenses, premissis omnibus consensum nostrum presentibus expressum liberaliter adhibentes, sigillum nostrum ad maiorem euidenciam appendi fecimus huic scripto. Actum. et datum Olomuz. Anno domini Millesimo. ducentesimo. LXXIIII. Nonas Marcii.

Ex originali in arch. capituli Olomucensis. — Apographum in codice Olomucensi I. membr. fol. 25., et chart. pag. 65. — Item in codice Cremsiriensi fol. K. I. n. 71.

LXXXII.

Idem confirmat fundatam ab Heydolfo decano vicariam cum prouentibus in Studený dol et in Kozlow. Acta Olomucii, Nonis Martii, **1274.**

Nos Bruno dei gratia Olomucensis episcopus scripturam testamentariam bone memorie *Heidolfi* decani perlegentes hoc ipsum inter cetera sue vltime voluntatis decreta potissimum comperimus statuisse: Inprimis hic etenim profitendo ad se spectare villam *Studendol*, seque habere redditus vnius et dimidie marce in *Cossolaw* vltra nemus et vnum ortum humularium circa Olomuc, qui sic disposuit, sic eciam ordinauit, vt de predictis bonis constituatur et habeatur vicaria in ipsa nostra Olomucensi ecclesia, et Ortholphus scolaris suus, quam cito sacerdos esse poterit et efficietur, redditus et vtililitates eius percipiat de eis ac pro eis ad honorem ipsius ecclesie et in anime sue remedium in ipsa ecclesia more vicarii officium impleturus. Et idem Ortholphus et quicunque successor vicarius singulis annis in vigilia beate Katherine talentum denariorum inter vicarios et scolares chorales, plus dando vicariis et scolaribus minus, distribuere teneantur. Habens ad hoc, quod ipsius H. decani disposicione vineam quandam in *Pustemir* sibi pro media parte dispositam, reliqua parte cedente ad illuminacionem parrochie quondam sue, ibidem in Pustemir situate. Huius autem disposicionis et voluntatis nos idem H. executorem et testamentarium fidelem accipiens nobis pro fide et nostra consciencia recommisit singula ad implenda. Qui igitur non solum ex nostri officii debito, quam ex speciali fidei recommisso cunctis astringimur exequendis tam pii testatoris propositum sic cupientes perficere, vt ne de contingentibus aliquid obmittamus, de requisito et obtento consensu nostri capituli acceptamus de bonis pro ipsa superius designatis vicaria et ei locum exstandi in prefata nostra ecclesia Olomucensi beniuole indulgemus, cedentes de villa predicta Studendol et omnibus iuribus, que nobis in ea competerent, quam cuius ad nos spectante dominio quidam a nobis tenebat; sed prefatus H. decanus suis denariis redemit eandem, et adicientes ipsam ad opus huiusmodi vicarie ordinamus eciam et de communicata nostra et nostri capituli auctoritate statuimus, vt prefatus Or. et quicunque alius successor suus, qui pro ea vicarius extiterit, pro vicario et vicarii nomine censeri debeat et eciam nuncupari, ei locum et stallum inter alios ipsius nostre ecclesie vicarios designando, qui ordine sacerdotali deseruiens cunctis horis psallendis debeat interesse. Indulgentes et permittentes pro voto et disposicione ipsius Hei. erigi altare circa locum sue sepulture in honore beate virginis Katherine. Ibique debeat idem Or. et suus successor, quanto frequencius potest, salua honestate sua et debita deuocione missarum sollempnia celebrare. Ordinabitque de huiusmodi, cum vacauerit, vicaria decanus cum consilio et consensu sui capituli de persona tali, que apta videbitur pro singulis, que conueniunt, adimplendis. In cuius itaque nostre concessionis, confirmacionis et ordinacionis veridicum testimonium presentes nostri sigilli munimine fecimus roborari. Et nos Olomucense capitulum: Ego Alexius decanus, ego Albertus prepositus, ego Cyrus archidiaconus, ego Lambertus custos, Conradus notarius, ego Barsco, ego Woyslaus, ego Tilmannus, ego Iohannes de Hamburc et nos ceteri canonici Olomucenses nostrum consensum et consilium accommodantes presentibus expressum nostrum ad sui euidenciam appendi huic scripto. Acta sunt Olomucii, Nonas Marcii, Anno domini MCCLXXIIII.

E codice Olomucensi I. membr. fol. 24. et chart. fol. 60.

LXXXIII.

Idem Heidenrico de Domašow, militi suo, feudum in Bjlowice et Biskupice confert. Dt. Cremsirii, dominica Reminiscere, 1274.

Bruno dei gracia episcopus Olomucensis, *Heydenrico de Domatsow,* militi suo dilecto et heredibus suis inperpetuum. Digne agimus et racione mouemur dum eorum qui se nobis et ecclesie nostre seruiles exhibent et fideles recompensamus seruicia fauore ac gracia speciali vt feruencius nostris insistant obsequiis dum fauorem nostrum sibi senserint affuisse. Hinc est quod inspectis sinceritatis tue seruiciis que nobis in ecclesie nostre negociis. et vtilitatibus non parcendo rebus et persone promptitudine grata iam diucius impendisti, et intendas in huiusmodi persistere seruiciis incessanter, cumque benefecisse bonis et fidelibus sit omni parte lucrosum. Nos tibi qui te tam fidei puritate quam seruiciorum exigencia retribucionis premio dignum reddis, damus et conferimus libenter in feodum capituli nostri accedente consensu, villas *Beleviz* et *Pyschopyz*, cum omnibus iuribus eorundem videlicet siluis, pratis, pascuis, piscacionibus, censu, iudiciis, sturis et omnibus prouentibus qui supradictis villis iam insunt uel inesse poterunt in futuro nullo diminuto uel excepto per te ac heredes tuos, filios duntaxat et non filias titulo feodi teneas et possideas, ac ratione ipsius feodi *ius vassallorum Magdeburgensis* ecclesie in omnibus habeas indistinctum. quod omnibus concessimus infeodatis a nobis, quodque heredes tui filii tantum sicut premissum est gaudeant ipso iure. Dabis eciam annis singulis in recognitionem bonorum ipsorum canonicis nostris Olomucensibus de quolibet manso mensuram tritici, quemadmodum infeodati ceteri dare tenentur. Ceterum statutum est per nos de consilio capituli nostri, vt quilibet vasallorum infeodatorum a nobis, alia de propria pecunia debeat comparare bona, que estimatione facta, bonorum sibi collatorum ab ecclesia, terciam partem valere debeant eorundem. Te vero ab huiusmodi statuto exemptum fore volumus specialem in hoc consentiente capitulo nostro tibi gratiam facientes. vt nullum exinde quo ad dictum feodum tuum tibi preiudicium generetur. Quod autem omnia premissa perpetuam obtineant firmitatem, nos ad rei memoriam sempiternam, presentem paginam inde conscribi, nostrique sigilli iussimus munimine roborari. Et nos Olomucense capitulum Ego Allexius decanus, Albertus prepositus, Cyrus archidiaconus, Conradus scolasticus Lampertus custos, Bartolomeus, Woizlaus, Iohannes de Honbergh, Theodericus de Wlmenstein. Petracus. Thomas. Budizlaus. et alii quam plures super premissis omnibus consensum nostrum liberaliter adhibentes subscribimus presensque scriptum sigilli nostri munimine roboramus. Datum in Cremser anno domini M. CC. LXXIIII. dominica qua cantatur Reminiscere miserationum tuarum domine.

Ex originali in arch. archiepiscopali Cremsiriensi. — Apographum in codice Olomucensi II. chart. fol. 106.

LXXXIV.

Idem Hermanno de Wertinghausen feudum in „Byserliz", in Zálesj, et circa Cremsirium confert. Dt. Cremsirii, dominica Oculi, 1274.

Bruno dei gratia Episcopus Olomucensis, dilecto sibi *Hermanno de Wertinghehusen,* et heredibus suis in perpetuum. Digne etc. . . . . . .

consensu villam integram *Byserliz*, in villa nostra *Sals* duos laneos, item duos laneos *in monte circa Cremser* exstirpandos, et piscinam vnam sub eodem monte sitam, quorum laneorum et piscine medietas tua est, et alia medietas Ghiseconis, capellani nostri, cum attinentiis earundem, videlicet siluis, pratis, pascuis, piscationibus, censu, decimis, iudicio, steuris, omnibusque prouentibus, qui supradictis bonis ad presens insunt, vel . . . . dare tenentur. Ceterum statutum est per nos de consilio capituli nostri, ut quilibet vasallorum nostrorum infeodatorum a nobis alia de propria pecunia debeat comparare bona, que, estimatione facta bonorum sibi collatorum, ab ecclesia, tertiam partem valere debeant eorundem; te vero ab huiusmodi statuto exemptum fore volumus, specialem in hoc, consentiente capitulo nostro, tibi gratiam facientes, ut nullum exinde quoad feodum tuum tibi preiudicium generetur. Quod autem omnia premissa perpetuam obtineant firmitatem, nos ad rei memoriam presentem paginam inde conscribi nostrique sigilli iussimus munimine roborari. Et nos Olomucense capitulum: Ego Allexius decanus, Albertus prepositus, Cyrus archidiaconus, Conradus scolasticus, Lambertus custos, Bartolomeus, Iohannes de Honburgh, Theodericus de Wlmensteyn, Petracus, Vlricus, Budizlaus, Hartmannus, et alii quam plures super premissis omnibus consensum nostrum liberaliter adhibentes, per manum Arnoldi notarii subscribimus, presensque scriptum sigilli nostri munimine roboramus. Datum Cremser, anno domini MCCLXXIIII. dominica qua cantatur: Oculi mei semper ad dominum.

E codice Olomucensi membr. I. fol. 76.

LXXXV.

Idem Heinrico et Gunthero de Brandýs villas Mošnice, Řikowice, Štolbach, et dimidiam villam Unšice in feudum confert. Dt. Cremsirii, dominica Laetare, 1274.

Bruno, dei gracia Episcopus Olomucensis. Dilectis fidelibus suis, *Henrico et Gunthero de Brandeyz* fratribus et eorum heredibus inperpetuum. Digne agimus et ratione mouemur, dum eorum qui se nobis et ecclesie nostre seruiles exhibent et fideles recompensamus seruicia fauore ac gracia speciali, ut feruencius insistant nostris obsequiis, dum fauorem nostrum sibi senserint affuisse. Hinc est, quod, inspectis sinceritatis vestre seruiciis, que nobis in ecclesie nostre negociis et vtilitatibus, non parcendo rebus et persone, promptitudine grata iam diucius inpendistis, et intenditis in huiusmodi persistere seruiciis incessanter, cumque benefecisse bonis et fidelibus sit omni parte lucrosum: Nos vobis, qui vos tam fidei puritate quam seruiciorum exigencia retributionis premio dignos redditis, damus et conferimus liberaliter et libenter in feodum, capituli nostri accedente consensu, in solidum villas *Mosniz*, et ibidem ius patronatus ecclesie *Richowiz*, *Stolbach*, et mediam villam *Vnsilz*, cum attinenciis earumdem, videlicet siluis, nemoribus, pratis, pascuis, piscacionibus, censu, decimis, iudiciis, steuris omnibusque prouentibus, qui supradictis villis siue bonis ad presens insunt, vel inesse poterunt in futurum, nullo diminuto vel excepto, per vos ac heredes vestros, filios dumtaxat et non filias, tytulo feodi teneatis et possideatis, ac racione ipsius feodi *ius vasallorum Magdeburgensis* ecclesie habeatis in omnibus indistinctum, quod et aliis concessimus infeodatis a nobis, quodque heredes vestri, filii tantum, sicut premissum est, gaudeant ipso iure. Dabitis eciam annis singulis in recognicionem bonorum ipsorum canonicis nostris Olomucensibus de quolibet manso mensuram tritici, quemadmodum infeodati ceteri dare tenentur. Ceterum statutum est per nos de consilio capituli nostri, vt quilibet vasallorum nostrorum infeodatorum a nobis alia de propria pecunia debeat comparare bona, que, existimacione facta bonorum sibi collatorum ab ecclesia, terciam partem valere debeant eorumdem. Illaque bona comparata siue empta recipere debeant a nobis et ab ecclesia nostra, et tenere similiter iure et tytulo feodi, quemadmodum bona episcopalia, sed ad distinctionem bonorum emptorum et episcopalium non dabunt de bonis emptis mensuram tritici predictam, illaque non solum ad filios verumeciam ad filias transferentur. Quod autem omnia premissa perpetuam obtineant firmitatem, nos ad rei memoriam sempiternam presentem paginam inde conscribi, nostrique sigilli iussimus munimine roborari. Et nos Olomucense capitulum: Ego Allexius decanus, Albertus prepositus, Cyrus archidiaconus, Conradus scolasticus, Lampertus Custos, Woyzlaus, Bartholomeus, Iohannes de Honburch, Thidericus de Wllmensteyn, Petracus, Vlricus, Budizlaus, Hartmannus et alii quam plures super premissis omnibus consensum nostrum liberaliter adhibentes, subscribimus, presensque scriptum sigilli nostri munimine roboramus. Datum in Cremser. Anno domini Millesimo Ducentesimo Septuagesimo quarto. Dominica, qua cantatur letare.

Ex originali in arch. archiepiscopali Cremsiriensi. — Apographum in codicibus Olomuc. I. membr. fol. 77. et Cremsiriensi G. II. n. 93., necnon in transumto Pauli de Praga, vicarii in spiritualibus, ab anno 1423. in eodem archivo.

LXXXVI.

Idem Achilli de Hemenhusen villam Sádek et allodium in villa Matthaei confert in feudum. Dt. Cremsirii, dominica Laetare, **1274.**

Bruno dei gratia Olomucensis episcopus, Dilecto sibi, *Achilli de Hemenhusen* militi suo suisque heredibus in perpetuum. Digne agimus et ratione mouemur, dum eorum, qui se nobis et ecclesie nostre seruiles exhibent et fideles, recompensamus seruicia de gratia speciali ut eo feruencius nostris insistant obsequiis dum fauorem nostrum sibi senserint affuisse. Hinc est quod inspectis sinceritatis tue seruiciis, que nobis in ecclesie nostre negociis et vtilitatibus non parcendo rebus et persone promptitudine grata iam diucius inpendisti, et intendas in huiusmodi seruiciis persistere incessanter. Cumque benefecisse bonis et fidelibus sit omni parte lucrosum, nos tibi qui te tam fidei puritate quam seruiciorum exhigentia retributionis premio dignum reddis damus et conferimus liberaliter et libenter in feodum capituli nostri accedente consensu. villam integram in *Shadic.* Item in *villa Mathei,* allodium vnum et quartum medium mansum in ipsa villa cum omnibus iuribus eorundem, videlicet siluis, pratis, pascuis, piscationibus, censu, iudicio, sturis omnibusque prouentibus qui supradicte ville et laneis ad presens insunt vel inesse poterunt in futuro nullo diminuto vel excepto per te et heredes tuos filios dumtaxat et non filias titulo feodi teneas et possideas ac ratione ipsius feodi *ius wasallorum Magdeburgensis* ecclesie habeas in omnibus indistinctum. quod et aliis concessimus infeodatis a nobis, quodque heredes tui filii tantum sicut premissum est gaudeant ipso iure. Dabis eciam annis singulis in recognitionem bonorum ipsorum canonicis nostris Olomucensibus, de quolibet manso mensuram tritici quemadmodum ceteri infeodati dare tenentur. Ceterum statutum est per nos de consilio capituli nostri vt quilibet wassallorum nostrorum infeodatorum a nobis alia de propria pecunia debeat comparare bona que existimatione facta bonorum sibi collatorum ab ecclesia terciam partem valere debeant eorumdem. Illaque bona comparata siue empta recipere debeant a nobis et ab ecclesia nostra et tenere similiter iure et titulo feodi quemadmodum bona episcopalia, sed ad distinctionem bonorum emptorum et episcopalium, non dabunt de bonis emptis mensuram tritici predictam, illaque non solum ad filios verum eciam ad filias transferentur. Te vero ab huiusmodi statuto exemptum fore volumus, specialem, in hoc consenciente capitulo nostro, tibi gratiam facientes, vt nullum exinde quoad dictum feodum tuum tibi preiudicium generetur. Quod autem omnia premissa perpetuam obtineant firmitatem, nos ad rei memoriam sempiternam presentem paginam inde conscribi, nostrique sigilli munimine iussimus roborari. Et nos Olomucense capitulum super premissis omnibus consensum nostrum adhibentes, videlicet ego Alexius decanus, Albertus prepositus, Cyrus archidiaconus, Conradus scolasticus, Lambertus custos, Bartholomeus, Woizlaus, Iohannes de Homburgh, Theodricus de Volmstein, Petracus, Vlricus, Budizlaus, Hartmannus et alii quam plures subscribimus presensque scriptum sigilli nostri munimine roboramus. Datum in Cremser anno domini M. CC. LXXIIII.

Ex originali in arch. archiepiscopali Cremsiriensi. — Apographum in codice Cremsiriensi L. IV. n. 40. et Olomuc. I. membr. fol. 80.

LXXXVII.

Idem Franconi et Alberto fratribus, dictis Stockfisch, feudum in Želetice, Kostelec, Pracow et Modřice confert. Dt. apud Modřice, XII. Kalendas Aprilis, 1274.

Bruno dei gracia Olomucensis Episcopus. Dilectis sibi. Franconi et Alberto fratribus dictis *Stokrisch.* ac heredibus eorum in perpetuum. Digne agimus ac racione mouemur. dum eorum, qui se nobis et ecclesie nostre seruiles exhibent et fideles. recompensamus seruicia fauore et gracia speciali. vt feruentius nostris insistant seruiciis. dum fauorem nostrum sibi senserint affuisse. Hinc est quod inspectis sinceritatis vestre seruiciis que nobis in ecclesie nostre negociis et vtilitatibus. non parcendo rebus et personis promptitudine grata iam diucius inpendistis. et intendatis in huiusmodi persistere seruiciis incessanter. cumque benefecisse bonis et fidelibus. sit in omni parte lucrosum: Nos vobis, qui vos tam fidei puritate. quam seruiciorum exigentia retribucionis premio dignos redditis damus et conferimus liberaliter et libenter in feodum. capituli nostri accedente assensu. villam in *seletiz.* que XXIIII. laneos dicitur obtinere et X curticulas, cum omnibus iuribus, attinentiis et vtilitatibus. que eidem ville nunc insunt, vel inesse poterunt in futurum. Preterea damus et conferimus vobis et heredibus vestris iure feodi et pleno iure. villam episcopalem in *Cozteliz.* que XVI. laneos et XIIII. curticulas habere dinoscitur. et allodium. quod ipsi colere dicimini aratro vestro. vt omnia predicta. simul cum censu, decimis, iudicio, stewris, omnibusque prouentibus ac pertinentiis. nullo diminuto vel excepto, per vos ac heredes vestros. filios dumtaxat et non filias. titulo feodi teneatis, et possideatis in omnibus pleno iure. Damus etiam et conferimus vobis decimam nostram in *Pratzowe.* quam decimam nos habere dinoscimur. duas videlicet partes decimarum. tertiam plebanus loci iure simili obtinebit. Idem de vineis si ex eis aliquid contigerit prouenire, vobis conferimus liberaliter et libenter. Conferimus etiam vobis simili iure racione custodie castri nostri in *Modriz.* quod ibi ambo vel vnus vestrum ad minus residentiam faciatis, in eadem villa. quatuor laneos et quatuor curticulas et vnum molendinum. quod inquam molendinum nobis molere debet, quantumcunque ad nostram curiam indigemus. et racione eius quod nobis molere debet, de merica nostra, ad dictum molendinum. recipiet ligna nostra. pro suo libitu voluntatis. et etiam ad curiam suam ad castrum tantummodo ligna nostra recipiet pro igne. et aliis necessariis. preter ligna quercina. que omnimodis prohibemus. Statuimus etiam et volumus. vt racione ipsius feodi. *ius vasallorum ecclesie Maydburgensis* in omnibus habeatis indistinctum quod omnibus concedimus infeodatis a nobis. quodque heredes vestri filii tantum gaudeant ipso iure. Dabitis enim in recognicionem bonorum ipsorum annis singulis canonicis nostris Olomucensibus de quolibet manso vobis seruiente. mensuram tritici. quemadmodum ceteri infeodati dare tenentur. Ceterum statutum est per nos. de consilio capituli nostri. vt quilibet vasallorum nostrorum infeodatorum a nobis. alia de propria pecunia bona debeat comparare. que, existimacione facta bonorum sibi collatorum ab ecclesia. terciam partem valere debeant eorundem. Vobis vero talem facimus graciam. quod tantummodo pro triginta duabus. marcis alia bona debeatis vestra pecunia comparare. et ab ecclesia Olomucensi recipere titulo feodali. Sed ad distinccionem bonorum emptorum et episcopalium. non dabitis de bonis emptis mensuram tritici predictam. Illa quoque bona empta. siue comparata non solum ad filios verumetiam ad filias transferentur. Non dabitis etiam mensuram tritici de agris illis. sev laneis. quos ad vsus vestre agriculture aut famulorum vestrorum duxeritis deputandos. Quod autem omnia premissa perpetuam obtineant firmitatem. nos ad rei memoriam sempiternam presentem paginam inde conscribi. nostrique sigilli iussimus munimine roborari. Et nos capitulum Olomucense Ego Alexius decanus. Ego Albertus prepositus. Ego magister Iohannes archidiaconus Olomucensis. Ego Lambertus custos Olomucensis. Conradus scolasticus Olomucensis. Et nos ceteri presentes. Woyzlaus. Bartholomeus. Petrus. Thomas. et alii quam plures, super premissis omnibus consensum nostrum liberaliter adhibentes. presens scriptum sigilli capituli nostri munimine roboramus. Actum et datum apud Modriz. anno domini Millesimo. CC. LXX. quarto. XII. Kalendas Aprilis.

Ex originali in arch. archiepiscopali Cremsiriensi. — Apographum in codice Olomucensi I. membr. fol. 75. et chart. fol. 62.

LXXXVIII.

Idem confirmat literas, quibus monasterium Lucense Alšjkoni militi de Kowernjk decimam vini de monte in Kowernjk contulerat. Datum apud Znoymam, VIII. Kalendas Aprilis, 1274.

Bruno, dei gratia Episcopus Olomucensis. Dilectis in Christo Theoderico Abbati totique conuentui *Lucensis* monasterii, premonstratensis ordinis salutem et sinceram in domino caritatem. Porrecte nobis petitionis vestre series continebat, quod vos attendentes deuotionis affectum, quem Alsico miles ad vos et monasterium vestrum gerit, eidem decimam vini in Monte ville de *Kovernik,* que spectat ad monasterium vestrum, liberaliter contulistis vite sue temporibus possidendam, ita tamen, quod de ipsa decima in recognitionem decem vrnas uini annis singulis monasterio vestro soluat, et quod post ipsius obitum dicta decima libere ac integraliter ad vestrum monasterium reuertatur, quemadmodum in litteris inde confectis plenius continetur, cuius tenorem de uerbo ad uerbum presentibus inseri fecimus ad rei notitiam pleniorem. Tenor autem litterarum talis est. *(Vide n. XXIII.)* Quare supplicastis nobis, ut factum huiusmodi curaremus ex nostre auctoritatis officio confirmare. Cum igitur rebus iustis et honestis nihil debeat difficultatis afferri, quod per uos in hac parte factum est, ratum habentes et gratum, id auctoritate ordinaria confirmamus, et presentis scripti testimonio communimus. Datum apud Znoym. Anno domini M. CC. LXXIV. VIII. Kalendas Aprilis.

E copia simplici in registratura c. r. Gubernii Moravici.

LXXXIX.

Idem Berchtoldo de Ronberg, militi suo, feudum in „Chochow" concedit. Dt. Cremsirii, pridie Kalendas Aprilis, 1274.

Bruno, dei gratia Olomucensis Episcopus, dilecto sibi *Berhtoldo de Ronberch,* militi suo, et heredibus suis in perpetuum. Digne agimus, et ratione mouemur, dum eorum, qui se nobis et ecclesie nostre seruiles exhibent et fideles, recompensamus seruicia fauore et gratia speciali, vt feruentius insistant nostris seruitiis, dum fauorem nostrum sibi senserint affuisse. Hinc est, quod, inspectis sinceritatis tue seruitiis, que nobis in ecclesie nostre negotiis et vtilitatibus non parcendo rebus et persone promptitudine grata iam diutius impendisti, et intendis in huiusmodi persistere seruitiis incessanter, cumque benefecisse bonis sit in omni parte lucrosum: Nos tibi, qui te tam fidei puritate quam seruiciorum exigentia retributionis premio dignum reddis, damus et conferimus liberaliter et libenter in feodum, capituli nostri accedente consensu, in villa nostra in

Chochow decem et nouem laneos siue mansos, cum omnibus iuribus et attinentiis eorundem laneorum, videlicet siluis, nemoribus, pratis, pascuis, piscationibus, censu, decimis, iudiciis, steuris, et omnibus pertinentiis, que supradictis laneis insunt ad presens, vel inesse poterunt in futuro, nullo diminuto vel excepto, per te ac heredes tuos, fiios dumtaxat et non filias, titulo feodi teneas ac possideas, ac ratione ipsius feodi *ius vasallorum Magdeburgensis* ecclesie habeas in omnibus indistinctum, quod et aliis concessimus infeodatis a nobis, quodque heredes tui filii tantum, sicut premissum est, gaudeant ipso iure. Dabis etiam singulis annis in recognitionem bonorum ipsorum canonicis nostris Olomucensibus de quolibet manso mensuram tritici, quemadmodum infeodati ceteri dare tenentur. Non dabis etiam mensuram tritici de agris seu laneis, quos ad usus agriculture tue ac famulorum tuorum duxeris deputandos. Quod autem premissa perpetuam obtineant firmitatem, nos ad rei memoriam sempiternam presentem paginam inde conscribi, nostrique sigilli iussimus munimine roborari. Et nos Olomucense capitulum, ego Alexius decanus, Albertus prepositus, Cyrus archidiaconus, Woyslaus scolasticus, Lambertus custos, Bartolomeus, Iohannes de Homberch, Theodoricus de Wlinsteyn, Vlricus, Petracus, Thomas, Budislaus, et alii presentes canonici super premissis omnibus consensum nostrum liberaliter adhibentes, presens scriptum sigilli nostri munimine roboramus. Datum in Cremsyr per manum Iohannis notarii, anno ab incarnatione domini MCCLXXIV. pridie Kalendas Aprilis.

E codice Olomucensi I. membr. fol. 75.

XC.

Gregorius papa X. confirmat fundationem scholasteriae Olomucensis. Dt. Lugduni, II. Idus Maji, 1274.

Gregorius episcopus seruus seruorum dei. Dilectis filiis . . decano, et capitulo ecclesie *Olomucensis;* Salutem, et apostolicam benedictionem. Cum a nobis petitur quod iustum est, et honestum, tam uigor equitatis, quam ordo exigit rationis, ut id per sollicitudinem officii nostri ad debitum perducatur effectum. Sane petitio uestra nobis exhibita continebat quod venerabilis frater noster B.(runo) Olomucensis episcopus ad honorem ecclesie uestre Olomucensis feruenter aspirans, in ea *scolastriam* auctoritate ordinaria de nouo creauit, certos et competentes redditus de consensu uestro sibi de bonis per predicti episcopi acquisitis industriam deputando. prout in patentibus litteris inde confectis ac eiusdem episcopi sigillo munitis plenius dicitur contineri. Nos itaque uestris supplicationibus inclinati, quod super hoc ab eodem episcopo prouide factum est, ratum et firmum habentes, id auctoritate apostolica confirmamus, et presentis scripti patrocinio communimus. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostre confirmationis infringere, uel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attemptare presumpserit, indignationem omnipotentis dei et beatorum Petri et Pauli apostolorum eius se nouerit incursurum. Datum Lugduni II. Idus Maij Pontificatus nostri anno tercio.

Ex originali in arch. capituli Olomucensis. — Apographum in codice Olomucensi I. membr. fol. 29.

XCI.

Otakarus, rex Boëmiae et marchio Moraviae, monasterio Gradicensi permutationis titulo pro villa Roštjn assignat villam Zugice post mortem Hermanni de Letowice ad se spectantem. Actum et datum Brunae, V. Kalendas Junii, 1274.

In nomine sancte trinitatis. amen. O.(tàkarus) dei gratia Boemie rex. dux Austrie, Styrie et Karynthie, marchio Morauie, dominus Carniole, Marchie et Egre, Portusquenaonis, omnibus inperpetuum. Cvm inter humane nature commoda, nichil queat memoria dignius reperiri, eo quod mentes hominum alleniet, humane sollicitudini quietem preparet, et res gestas in robore sui status foueat et conseruet, expedit ut contractibus rationabiliter celebratis, qui non nunquam per obliuionem indubietatis sollent deduci scrupulos per scripture testimonium perhennis memoria acquiratur. Eapropter ad noticiam omnium volumus peruenire, quod cum venerabili. B.(udis) abbati *Gradycensi*, de communi fratrum suorum consilio et assensu, contractum permutationis, de villis infra nominatis, iniuimus sub hac forma, quod uidelicet predictus abbas, nomine monasterii sui villam *Rochcyn,* cum omnibus suis usibus et pertinentibus ad eandem, iure nobis hereditario possidendam, omni iuri renuncians, quod in ea monasterium habere dinoscitur liberaliter resignauit, et nos, uillam *zugitz* Hermanni de Lethowitz, ad nos post mortem ipsius Her.(manni) de iure spectantem titulo commutationis inter nos habito hinc et inde, predicto abbati nomine sui monasterii post tempora uite predicti Her.(manni) perpetuo possidendam iure proprietatis econtra libere assignamus, volentes ut prefata uilla, eadem que et cetere uille alie monasterii predicti, gaudeat libertate, protestantes etiam quod si idem abbas cum predicto Her.(manno) de Lethowizt taliter poterit ordinare, ut ad huc tempore uite sue idem. Her. predictam uillam, eidem monasterio assignet, id pro grato recipimus et plurimum placet nobis, assignationem huiusmodi auctoritate presencium confirmantes, ordinatione commutationis predicte, in suo robore duratura. Vt autem omnia predicta in sua durent stabilitate rite facta, presentem paginam fecimus nostrorum sigillorum munimine roborari, Testibus qui presentibus aderant subnotatis, Qui sunt. C. camerarius morauie, Sathcyet cum fratribus suis. Hartleuus frater Iensonis, Sbnatha dapifer. Bohusso marschalcus, Hartmannus frater suus, Woocko, Mylota, et alii fratres eorum, Seborius filius Egidii cum fratre, Iarozlaus de Sternenberch cum fratre, et alii quam plures, fideles regni nostri. Acta sunt hec Brunne, Anno domini **M. CC. LXXIIII.** V. Kalendas Iunii. Datum ibidem per manus Henrici, aule nostre notarii, anno et die predictis, Indictione secunda.

Ex originali in archivo capituli Olomucensis. — Apographum in Annalibus Gradicensibus MSS.

XCII.

Gregorius papa X. decano Olomucensi mandat, ut restitutionem detentorum fratribus hospitalis s. Joannis in Austria redituum procuret. Dt. Lugduni, V. Kalendas Julii, **1274.**

Gregorius episcopus seruus seruorum dei. Dilecto filio . . decano ecclesie *Olomucensis* salutem et apostolicam benedictionem. Significarunt nobis dilecti filii . . prior et fratres *hospitalis Ierusalem in austria* quod nonnulli iniquitatis filii quos prorsus ignorant redditus census decimas instrumenta et legata que ipsi hospitali exhibere tenentur, ac terras, possessiones et nonnulla alia bona eiusdem hospitalis malitiose occultarunt et occulte detinere presumunt in animarum suarum periculum et eiusdem hospitalis non modicam lesionem. Quare dicti prior et fratres humiliter petebant a nobis, ut prouidere super hoc eidem hospitali paterna sollicitudine curaremus. Quocirca discretioni tue per apostolica scripta mandamus, quatenus omnes huiusmodi occultos detentores reddituum, censuum, decimarum et aliorum predictorum bonorum publice in ecclesiis coram populo per te uel per alium moneas, ut infra competentem terminum, quem illis ad hoc prefixeris ea dictis priori et fratribus a se debita manifestent ac debitam de hiis satisfactionem impendant, alioquin ex tunc in eos si infra alium terminum peremptorium competentem quem eis ad hoc duxeris prefigendum, huiusmodi monitis parere contempserint, generalem excommunicationis sententiam proferas faciens eam ubi et quando expedire uideris usque ad satisfactionem sollempniter publicare. Datum Lugduni V. Kal. Iulii. Pontificatus nostri anno Tertio.

Ex originali in archivo M. Prioratus Melitensium Pragae.

XCIII.

Idem Brunoni, episcopo Olomucensi, indulget, ut villam suam Kozlow in Opaviensi provincia suo capitulo vendere possit. Dt. Pragae, III. Nonas Julii, 1274.

Othakarus, dei gracia Boemorum rex quintus, dux Austrie, Stirie, Karintie, marchio Morauie. dominus Carniole, Egre ac Portusnaonis, omnibus imperpetuum. Decet excellencie regie dignitatem, vota fidelium suorum diligenter attendere, et ea sic effectu prosequente complere, quod et principis exhibita gracia et fidelium deuocio manifesta sit presentibus ad gaudium, et posteris gracie in exemplum. Hinc est, quod nos, attendentes fidei puritatem quam venerabilis pater, dominus *Bruno,* episcopus Olomucensis, ad excellenciam nostram indefessa sollicitudine habere dinoscitur, de habundancia benignitatis nostre, quam generaliter extendimus ad omnes deuotos et bene meritos nostros, iam dicti domini episcopi iustis postulacionibus grato concurrentes assensu ipsi presenti regali pagina concedimus et indulgemus, ut villam *Cozelowe*, in Opauiensi prouincia sitam, quam iam dudum emisse dinoscitur, ex nostra superuenienti licencia et assensu, licet empcionis titulo comparasse potuerit, et iam emptam pro se et sua ecclesia perpetuo possidere; damus nichilominus eidem permittentes vendendi, donandi predictam villam uel quomodolibet aliter de ea disponendi pro suo et ecclesie sue honore, cultu et vtilitate, plenariam facultatem, et quodcunque eatenus de ea faciendum prospexerit, seu iam fecisse decreuerit, ratum habemus et gratum, et perpetua volumus esse firmitate subnixum. Dantes et confirmantes ipsi plenam et perfectam iurisdiccionem in villa predicta, precipientes eciam, ut nec iudex prouincialis, camerarius nec aliquis officialis noster prefatum dominum B.(runonem) Olomucensem episcopum, seu quemcunque alium possessorem, ad quem secundum disposicionem eiusdem domini episcopi sibi, ut premisimus, a nobis permissam predicta villa possidenda peruenerit, aliquomodo molestare seu inquietare presumat; et qui contra presumpserit, indignacionem regiam se nouerit incursurum. Ad huius itaque nostre concessionis, consensus et confirmacionis testimonium et memoriam sempiternam presentem paginam inde conscribi et sigillorum nostrorum iussimus munimine roborari. Datum Prage per manum magistri Petri, Wissegradensis prepositi, regni nostri cancellarii. Anno domini M. CC. septuagesimo quarto. III. Nonas Iulii. Indiccionis secunde.

E codice Olomucensi I. membr. fol. 22. et Cremsiriensi B. VI.

XCIV.

Gregorius papa X. regi Boëmiae de necessitate accelerandi provisionem imperii scribit, commendatque ea, quae Olomucensi et Secoviensi episcopis viva voce referenda commiserat. **1274.**

Gregorius episcopus seruus seruorum dei. Carissimo in Christo filio . . *Regi Boemie* illustri, salutem et apostolicam benedictionem. Quam necessaria, quantumque sit imperialis culminis acceleranda prouisio, et totius orbis necessitates innumere protestantur, et regalis circumspectio, discriminum, que longa vacatio induxit imperii, conscia non ignorat. Et ideo nimirum horum consideratis vehementer conscientiam nostram urget, ut prouisionem eandem nequaquam ulterius differamus, sed acceleremus omnimodis, presertim cum patenter appareat, per dilationem ipsius grandia dei seruitia periculosissime impediri, et specialiter terram sanctam perditionis periculo subiacere. Accelerationem quidem huiusmodi, conueniente pluries coram nobis magna prelatorum multitudine, qui ad indictum sicut nosti generale concilium conuenerunt, exposita per plures et magnos ex eis deuota supplicatio exigit, eam omnium quasi communis assertio suggerit, detestantium, non sine nota Sedis apostolice quamuis veritatis fulcimento careat, tantum et tale negotium tam longa procrastinatione dilatum. Quare deuotionis tue sinceritatem, quam hactenus ad tuam matrem ecclesiam verbis et operibus pretendisti, debite considerationis examine attendentes, curandum fore censuimus, ut si per te forte non steterit, premissa cum tui status pacifici, quantum fieri poterit, prouisione procedant, nec te in grauis et periculose dissentionis prolabi discrimen, aut ipsius dubiis euentibus patiamur exponi. Propter quod venerabiles fratres nostros . . *Olomucensem* et . . Secouiensem episcopos ad regalem presentiam deliberauimus remittendos, excellentie tue aliqua relaturos, que licet nobis valde profecto sint oneri, adeo tamen tuis credimus utilitatibus expedire, ut sano consilio et paterno tibi suadeamus affectu, quatinus ad promptam illorum expeditionem et celerem sic disponas animum, sic inclines, ut inconsulta quod absit electio seram fortasse penitentiam non inducat.

E Regesto Berardi de Neapoli, epist. 54. in tabulariis Vaticanis.

XCV.

Bruno, episcopus Olomucensis, Gregorio papae X. refert, Otakarum, regem Boëmiae, in negotio imperii submittere se arbitrio sedis apostolicae; ipsum etiam post quadriennium se cum valido exercitu „ad obsequium Jesu Christi" offerre, dummodo interea nihil contra eum ejusque terras attentetur.

Dt. Pragae, IV. Idus Julii, **1274.**

Sanctissimo patri, domino suo, Gregorio sacrosancte Romane sedis summo Pontifici, B. dei gratia episcopus *Olomucensis,* debitam reuerentiam cum deuoto pedum osculo beatorum. Obedientie filialis debitum, cum ex debito timoris et ex filiatione reuerentiam amoris accipit, in hiis, que sibi committuntur, quantum in ipso est, vacuum non reuertitur, sed prosperabitur in hiis, ad que dominus misit illud. Hinc est, pater et domine reuerende, quod in verbo legationis, in quo Sanctitas Vestra me misit ad illustrem dominum meum regem, cucurri et direxi viam meam domino dirigente, cuius voluntas fuit, ut mihi cite occurreret, quod volebam. Semen enim verbi vestri, postquam cecidit in terram bonam cordis predicti domini mei regis, produxit fructum de preparato ad omne bonum ipsius cordis habitaculo, sine dubio ampliorem, quam etiam speraretur. De submissione siquidem terrarum suarum mihi commiseratis talentum paternitati vestre unicum referendum, et ecce cum multiplicato fructu refero vobis illud. Ipse enim ex sincera indoli (sic) boni cordis, intellecto per relationem meam vestre mentis affectu, quem geritis ad subsidium terre sancte, in propria se persona cum exercitu suo secundum terrarum distantiam et secundum exigentiam expensarum et bonorum mobilium vel immobilium facultatem in omnibus terris suis ultro, nec etiam requisitus a me, offert post quadriennium ad obseqnium Iesu Christi. Nihilominus in instanti vestre gratie se submittens, ut post peregrinationis sue reditum et tunc cognoscendis iurium suorum meritis secundum deum et honestatem in negotio procedatis eodem. Iniunxerat mihi siquidem Sanctitatis Vestre prouidentia, me astringens nihilominus ad hec virtute prestiti iuramenti, ut ad submissionem plenam faciendam fidelis persuasor essem apud dominum meum regem; et ut vobis in hac parte clare luceat fides mea, causas propter quas hoc facere deberet, sibi tunc experessas (sic) et in scriptis positas, vobis etiam studui annotare. Que tales sunt:

„*Domine predilecte! Astricti sumus iuramento, sicut scitis, quod persuadeamus vobis, ut submittatis vos ordinationi domini pape, et credimus quod hoc iuramentum nos nihilominus non astringat, ut hoc irrationabiliter faciamus. Et quia libenter vos credimus hoc audire, causas ponere decreuimus, propter quas hoc facere debeatis. Prima causa est, quod ad submissionem faciendam dominus Papa personaliter vos inuitat, et propter hoc multum deberet et deo et hominibus displicere, si aliquid talium fieri iuberet, in quo ius vestrum offendere videretur. Secunda est, ne reddatis vos* *suspectum ei et ecclesie, quod velitis aliquid contra deum et honestatem tenere, cum ipse promittat secundum deum et honestatem procedere in hoc facto. Tertia causa est, quod cum iam impetamini ab electo super terris vestris, et oporteat iudices esse aliquos huius cause, valde periculosum esset vobis coram principibus litigare, quorum sententias videtur, quod euadere competentius non possitis, nisi per submissionem cause domino Pape factam. Quarta causa est, quia quamdiu submissio ista staret, nec grauare vos posset electus, nec aliquis suorum; nec credimus in tanto negotio sine matura discussione iurium utriusque partis, grauitatem apostolicam impetuosa acceleratione moueri debere, quia hoc fieri vix posset sine lesione partis alterius vel etiam utriusque."*

Quoniam autem, pater et domine mihi pre aliis mortalibus diligende, et merito, quia inter prelatos alios et confratres consideraui benignitatis vestre oculum erga me clariorem, non immerito etiam debeo formidare, ne propter hoc mee presumptionis oculus nequam fiat, quia vestre benignitatis intuitus erga me bonus fuit: supplico Sanctitati vestre, ne presumptioni temerarie ascribere hoc velitis, si discretionis vestre solem consilii mei coner facibus adiuuare et in mare magnum hoc et spatiosum, non solum vestre discretionis, sed cardinalium vobis influentium experientie ac scientie riuos multos presumam, superflue licet, immittere stillam unam: videtur namque mee paruitatis ingenio, quod Paternitati vestre hec forma submissionis, ex quo alia cum voluntate domini mei stare non potest, non immerito possit aliquantulum complacere: primo quia freno submissionis huiusmodi maxillas duorum regum potentium constrinxistis, et si diu tenueritis frenum istud, medio tempore non poterunt contra se inuicem calcitare, et eos maiorem erga vos reuerentiam continget habere; preterea quia dominus meus proponit se personaliter preparare ad obsequium Iesu Christi. Qui se ipsum tradit, quomodo non omnia donaret cum ipso, quecunque in terris predictis tam Austria, Stiria et aliis, quam in hominibus et rebus dinoscitur possidere, expendenda in subsidio terre sancte? Item, quia non videtur inutile, quod neutra pars isto tempore offendatur, quo terra sancta eget subsidio utriusque, cum vix fieri possit, quod negotium submissionis sine alterius eorum grauamine terminetur, nisi forte non per modum arbitrii, sed per modum amicabilem eos contingeret tempore medio concordare.

Et si hoc fieri deberet, vobis sine dubio foret pulcrum, ut aliquis vester sollemnis nuntius presens esset, vel magister Gregorius, aut frater Humbertus, vel alter aliquis, in quo plenam fiduciam gereretis; ut sic per vestre dispositionis auctoritatem ad vestram gloriam et honorem tante discordie negotium in unitatem amicitie reformatum, exitu concluderetur optato. Et sic pater et domine diligende, vos in persona Moysi, istorum duorum magnorum regum brachiis, quasi Vr et Aaron sustentati, ad laudem bonorum et vindictam malorum possetis feliciter proficisci. Datum Prage, IIII. idus Iulii.

Ex autographo membranaceo in tabulariis Vaticanis.

XCVI.

Gregorius papa X. regi Boëmiae notum facit, se Rudolfum declarasse regem Romanorum, hortaturque, ut cum eodem concordare studeat. Dt. Lugduni, VI. Kalendas Octobris, 1274.

Gregorius episcopus seruus seruorum dei. Carissimo in Christo filio . . *Regi Boemie* illustri, salutem et apostolicam benedictionem. Ad occurrendum discordie, que inter te et carissimum in Christo filium nostrum Rudolfum regem Romanorum illustrem sui aliqua indicia minabatur, iam secundo tibi scripsisse meminimus, et nouissime nos tibi cito insinuaturos expressimus, quid circa hoc expediens putaremus. Mandauimus etiam interim per nuntios tuos exponi, quod cum ordinationem imperii, cuius dispendiosa vacatio innumera multiplicauit incommoda et immensa pericula inculcauit, totius orbis necessitas, diuersa dei seruitia, pro quibus exstitit concilium congregatum, et precipue terre sancte conditio instanter exposcerent, eiusdem concilii quasi communis petiisset instantia et iustitia suaderet, ipsam differre non poteramus ulterius, nec etiam volebamus. Propter quod Celsitudini tue per eosdem nuntios suaderi voluimus, et adhuc etiam suademus, ut ad tollendas causas et occasiones dicte discordie per communes amicos tam tu, quam dictus rex, cui etiam idem suggerimus et suggessimus hactenus, efficaciter intendatis. Ut igitur agere possis cuncta consultius, tuisque prout desideramus obuiare dispendiis et commodis prouidere, regalem excellentiam nolumus ignorare, quod ex causis premissis et aliis, que conscientiam nostram urgebant, memorato regi nuper, cum fratribus nostris deliberatione prehabita, denominationem regiam duximus ascribendam, et eum regem Romanorum de ipsorum consilio nominamus, per nostras literas hortantes eundem, ut se sic preparet, sic disponat, quod cum eum ad unctionem, consecrationem et imperialis diadematis coronationem de nostris recipiendas manibus duxerimus euocandum, ad quod terminum in proximo, prout circumstantie pensande permiserint intendimus assignare, non improuisus, sed ut tanti negotii solennia exigunt, paratus appareat, et ad premissa non morosus, sed promtus et festinus occurrat, et nihilominus aliquem vel aliquos, qui super eiusdem assignatione termini, quid sue commoditati congruat et alias plene ipsius super hec per omnia voluntatem nobis insinuare valeant, celeriter ad presentiam nostram mittat. Ideoque Serenitatem regiam paterno commonemus affectu, quatenus in premissis non quid velles, sed quid velle te decet inspiciens, et tam in illis quam in aliis que agenda occurrunt, non solum initium, sed et prosecutionem et finem, preambula et attenta meditatione discutiens, circumspecte quoque considerans, quam incertus sit guerrarum euentus, quam periculosus animabus, quantum corporum plenus exitio, quantam rerum ingerat vastitatem, discordiam cum predicto rege, imo potius cum imperio, sollicite ac prudenter euitans, sic ad solidam concordiam cum eodem animum tuum habilites et opere prosequente coaptes, ut omnis dissensionis inter te ac ipsum sublata materia, ipse tuo fretus auxilio consequatur premissa, unctionem, consecrationem et imperiale diadema facilius, incumbentia sibi prosequatur efficacius, et eiusdem imperii throno te cooperante firmato, tu et ipse mutuis vos fauoribus foueatis, et in unanimitate laudabili non solum eiusdem imperii, cuius te tamquam ipsius eximium principem decet reformatione totis vacare conatibus, exaltationi possitis intendere, sed ad totius Christianitatis et Christiane fidei promouenda negotia potentie vestre vires ad obtinendum inestimabile retributionis eterne premium et perpetue laudis memoriale preconium utiliter exercere. Datum Lugduni, VI. Kalendas Octobris. Pontificatus nostri anno tertio.

E Regesto Berardi de Neapoli epist. 66. in tabulariis Vaticanis.

XCVII.

Idem Henrico, duci Bavariae, ut assistat Rudolfo, regi Romanorum, atque procuret pacem inter eum et regem Boëmiae. 1274.

Gregorius episcopus seruus seruorum dei. Magnifico viro *Henrico duci Bawarie,* salutem et apostolicam benedictionem. Etsi, ut literarum tuarum tenor habebat, considerata prudenter carissimi in Christo filii nostri . . . regis Boemie illustris tuorumque sublimium origo natalium sinistre suspicionis verisimilitudinem non admittat: mallemus tamen, quod vota ipsius regis et tua, cum carissimo in Christo filio nostro *Rudolfo* illustri rege Romanorum in concordie unitate concordia, diffidentie queuis argumenta refellerent et imposture cuiuslibet excluderent coniecturam. Speramus enim, quod unio predictorum regum ac tua obsequiorum dei promptiorem ut desideramus executionem induceret et collapsi reparationem imperii efficaciter promouens, quietem mundo nimirum acceptam et necessariam ipsius precipue subditis prepararet. Laudabile itaque propositum quo te dicto Romanorum regi non aduersatum nec aduersari velle in aliquo, sed ad ipsius et memorati regis *Boemie* pacem laborasse hactenus et adhuc laborare paratum dicte litere fatebantur, multipliciter commendantes, magnificentiam tuam monemus, rogamus et hortamur in domino, per apostolica tibi scripta mandantes, quatenus diligenter attendens, quod sicut iam tibi scripsisse meminimus, utilitate publica exigente, prefato Romanorum regi de fratrum nostrorum consilio titulo regie denominationis ascripto eidem pro communi orbis commodo quantum cum deo possumus fauere decreuimus nec in suis opportunitatibus sibi deesse proponimus sicut nec etiam deberemus, non solum a quolibet impedimento ipsius abstineas, sed tam in procuranda eius et sepefati Boemie regis concordia, quam in aliis, presertim cum ad id tamquam magnum et nobile dicti membrum imperii tenearis fideliter et constanter assistas. Nos enim eundem Romanorum regem efficacibus monitionibus inducere proponimus et hortari, ut nullius contrariis suggestionibus acquiescens in his que sunt ad pacem et tranquillitatem tecum et cum eodem rege Boemie sic promta voluntate concurrat, quod libenter alterutrius commodis semper intendat alteruter, et inter vos solide caritatis affectus quotidie augmentetur.

Ibidem — epist. 71.

XCVIII.

Idem regem Boëmiae hortatur, ut cum **Rudolfo**, **Romanorum** *rege, concordet, nec militiam in* **Italiam** *mittat, nec foedera cum* **Italicis** *contra eum ineat. Dt. Lugduni, Idibus Decembris,* **1274.**

Gregorius episcopus seruus seruorum dei. Carissimo in Christo filio . . *Regi Boemie* illustri, salutem et apostolicam benedictionem. Quamuis deuotionem regiam a tuis maioribus in te continuatione laudabili propagatam, missarum nuper literarum, ne se nimis in sui laudes auctoris forte diffunderent, breui compendio textura meminerit, mentemque nostram circa illam succincti sermonis breuiloquio excitarit, nostra tamen et apostolice sedis attentio frequenti eam latius meditatione recensens, ipsamque grata nimirum censura diiudicans, delectabili repetitione commemorat, et in ipsius grata memoria multipliciter delectatur. Hinc tui decus nominis dilatari semper in beneplacito diuino quesiuimus, illaque tibi paterna frequenter inductione suasimus et adhuc salutari commonitorio suademus, per que temporibus tuis tranquillitas humano statui amica succederet, et in virtute tua pacis abundantia resultaret. Hinc quia id excellentie tue honori et commodis preuidimus expedire, insertum missis pluries ad magnificentiam tuam nostris exhortationibus memoramur, ut cum carissimo in Christo filio nostro Rudolfo rege Romanorum illustri, cui, sicut directe ad te super hoc prout verisimiliter credimus iam apostolice litere pertulerunt, de fratrum nostrorum consilio fauere constanter pro status publici quiete decreuimus, vota tua in concordie unitate copulata concurrerent, et promotionis sue negotium amicabilis prosecutionis auxilio confoueres. Ex tua namque ac ipsius regis unanimitate nobis admodum non indigne votiua deo gratum obsequium in negotiorum suorum promptiori executione reddendum, et grandium turbationum sublato discrimine, uniuersis Christi fidelibus et precipue imperii subditis immensi materiam gaudii conspicimus preparari. Quocirca Serenitatem regiam eo attentius quo frequentius rogamus et hortamur in domino Iesu Christo, quatenus prudenter attendens, quam dispendiosum sit etiam quibusque potentibus statum proprium guerrarum euentibus incertis exponere, ut animarum et corporum pensanda precipue pericula taceamus, quantumque deo implacidum, nobisque ac eidem sedi esse possit infestum, processum prosperum dicti regis, et proinde eadem dei negotia impediri, non solum a quolibet eius impedimento abstineas, et specialiter nullam in Italiam mittendo militiam nec gentem aliquam, nec alias cum Italicis contra eum te in obligationes seu confederationes aliquas inuoluendo, quod procul dubio Sedes eadem equanimiter ferre non posset, sed sic ad pacis federa inter te ac regem ipsum, apud quem etiam super hoc non omisimus hactenus nec omittere intendimus debite persuasionis officium, ineunda per communes amicos, qui dissentientium corda concilient et differentes uniant voluntates, aut aliter prout ex alto promtius concedetur, animum tuum promtum exhibeas, et voluntarium ac paratum exponas, quod inter te ac ipsum principalis dissensionis sublata materia cuiuslibet sinistre suspicionis occasio precidatur, tuque creatoris tui pacis auctoris semitas sequendo pacificas beneplacitis te coaptans ipsum experiaris in omni tua opportunitate propitium, et nos ac Sedem eandem, qui prefato regi deesse non possumus, sed fauorabiliter ipsius iustitie adesse proponimus, et quasi operi manuum nostrarum porrigere dexteram in ipsius de cetero fauorabili prosecutione tenemur, habere merearis in tuis beneplacitis promtiores. Datum Lugduni, idus Decembris. Pontificatus nostri anno tertio.

Ibidem — epist. 72.

XCIX.

Concordia inter episcopum Brunonem et abbatem Gradicensem ratione silvae Střelna prope Olomucium. Dt. Olomucii, XVI. Kalendas Januarii, 1274.

In nomine domini amen. Nos Bruno, dei gracia Olomucensis episcopus, Alexius decanus, Albertus prepositus, Cirus archidiaconus, Conradus scolasticus, totumque capitulum eiusdem ecclesie, vniuersis presentem paginam inspecturis salutem in domino. Cum nichil sit, quod in humana condicione propter labilitatem memorie perpetuo stare possit, et presertim cum presens etas postposito iuris tramite calumpnie pocius quam veritati uehementissime inhiet ac insudet: consonum est rationi, ut ea, que inter homines fiunt, scripti debeant testimonio roborari, vt scriptura docente veritas extra mundi terminos non vagetur. Hinc est, quod, cum inter nos Brunonem, dei gracia *Olomucensem* episcopum, ac eiusdem ecclesie capitulum ex vna, et reuerendum patrem, dominum Budisch, abbatem monasterii s. Stephani in *Gradisch,* ordinis premonstratensis, ex parte altera, super silua quadam, que *Strelna maior* vocatur, que distincta est per certos terminos, prout expresse in priuilegio abbatis continetur, et alia *Strelna minor* canonicorum, que est ex ista parte riuuli Bunow inter ciuitatem Olomuz sita et dictum riuulum, ac circuitibus earundem in campis et aliis attinenciis, quibuscunque questio fuisset diucius agitata, ita quod ratione illius dissensionis ex ipsis bonis neutri partium potuerit commodum aliquod prouenire. Itaque nos nostrumque capitulum et abbas cum suo conuentu videntes, quod, quam diu questio huiusmodi per aliquem decisionis modum nullum finem debitum sortiretur, bona eadem penitus inutilia remanerent. Idcirco de communi consensu partium vtrarumque talis primo inter nos sine scriptis concordia interuenit. Videlicet, quod silue predicte cum suis pertinenciis, quocunque nomine appellentur, in duas partes equaliter diuidantur. Ita, quod vna partium nobis ac nostro capitulo assignetur, alia vero domino abbati et conuentui antedicti monasterii relinquatur. Item de ecclesiis et oratoriis construendis dicimus, quod nos in nostra et abbas in sua parte habeamus sine contradiccione qualibet aduerse partis liberam facultatem, non obstante ecclesia, que nunc sita est in maiori Strelna. Quam concordiam nos vna cum consensu nostri capituli promisimus concorditer ac inuiolabiliter obseruare, renunciantes omni accioni, instrumentis ac munimentis, que nobis in siluis possent competere antedictis. Abbas vero de consensu sui conuentus vice versa promisit, concordiam eandem ratam et firmam uelle tenere, renunciando eciam omnibus iuribus, que sibi in eadem questione poterant suffragari. Et quod compositio huiusmodi, vt superius est expressum, fuit habita sine scriptis: Nos suspicantes, ne per successores utriusque partis ignaros huius facti, lis per hunc modum sopita posset denuo suscitari, volentes omnibus iurgiis finem inponere: eandem compositionem nos de consensu nostri capituli et dominus abbas similiter suo conuentu annuente, in nullo penitus inprobantes, sed pocius ratum et firmum habentes, redegimus in hiis scriptis. Et ut huiusmodi composicio, inter nos nostrumque capitulum ac dominum abbatem ipsiusque conuentum rite ac laudabiliter celebrata, gaudere possit robore debite ac perpetue firmitatis, eidem domino abbati ac eius conuentui sepedictis presens scriptum dari mandauimus, idemque nostro ac nostri capituli sigillis fecimus communiri. Acta sunt hec anno domini Millesimo ducentesimo **LXXIIII. XVI.** Kalendas Ianuarii. Datum in Olomuz anno et die prefatis.

E codice Olomucensi I. chart. fol. 63. et Cremsiriensi L. IV. n. 89.

C.

Otakarus, rex Boëmiae et marchio Moraviae, monasterium Gradicense a solutione denariorum ad reparationem pontium Přeroviae exemtum esse declarat. Act. et dt. in Ostrow, VII. Idus Januarii, **1275.**

Ottacarus, dei gratia rex Boemie, dux Austrie, Stirie, Carinthie, marchio Morauie, dominus Carniole, Marchie, Egre ac Portus Naonis, vniuersis presentes litteras inspecturis, dilectis fidelibus suis, gratiam suam et omne bonum. Cum dominus *Budissius,* uenerabilis abbas monasterii *Gradicensis,* Premonstratensis ordinis, cesserat de bonis suis, que sunt in *Prerow,* uidelicet media taberna, et quibusdam curticulis, nec non quibusdam agris, ad eandem tabernam pertinentibus, illi, qui reparat pontes in prefata Prerow, ratione denariorum, qui soluebantur ab hominibus dicti abbatis de quolibet manso ad reparationem pontium eorundem denariorum, conscientia et assensu pariter et mandato uolumus, et per presentes strictius inhibemus, ne occasione reparationis pontium predictorum ab hominibus dicti abbatis denarii de cetero per aliquem exigantur, sed ipsos a solutione predictorum denariorum absolutos deinceps liberos esse uolumus et immunes. In cuius rei testimonium et robur firmiter ualiturum presentes fieri, et sigillo nostro fecimus communiri. Actum et datum in Ostroh, per manus magistri Henrici, prothonotarii regni nostri, et plebani in Gors. Anno domini millesimo ducentesimo septuagesimo quinto. Septimo Idus Ianuarii, tertia indictione.

Ex Annalibus Gradicensibus MSS.

CI.

Decanus et praepositus ecclesiae Olomucensis decidunt litem inter abbatem Smilheimensem et fratres Minores domus Brunensis. Datum Brunae, feria IV. in dominica: Domine ne longe, **1275.**

In nomine domini amen. Nos Al.(exius) decanus Olomucensis ecclesie miseracione diuina et Al.(bertus) eadem prouidencia eiusdem ecclesie prepositus iudices delegati a Sede apostolica, in causa que vertitur inter abbatem de *Wisowicz* ex una, et fratres *Minores domus Brunensis* ex altera, et Iohannes canonicus predicte ecclesie dictus de Homburc subdelegatus a venerabili B.(runone) dei gracia Olomucensi episcopo in eadem causa a Sede apostolica delegato. Vniuersis presens scriptum inspecturis salutem in domino. Quoniam christianarum partium esse debeat, aliorum inimicicias male loquendo non exercere, nisi et bene loquendo eas studuerint extinquere. Nam melior est in bonis hominibus consensio, quam in malis superba gloriacio. Hinc est eciam quod ad officium iudicum proprie pertinet, ut partes discordantes ad concordiam reuocent, per quam partes releuentur a laboribus et expensis. Inde est, quod fratre Nicolao ministro ordinis Minorum, ad nostram commonitionem et abbate de Wisowicz, et abbate Welegradensi, ordinis cisterciensis, approbante placuit, ut termino, quem eis proxima feria quarta post dominicam Quasimodogeniti in Olomuc coram nobis assignaueramus, iuxta interlocutionem a nobis prolatam, ut in actis coram nobis confectis plenius continetur, per inualuationem vel non adiecto habito, de partium voluntate, alter terminus ab eis assignaretur, in quo personas ydoneas deberent ex utraque parte conuocare, qui controuersiam inter eos motam ex arbitrio a partibus in eas translato per formam amicabilem deberent, deum habentes pre oculis, complanare. Sane si forte racione limitate iurisdiccionis ex arbitrio suscepto arbitri, seu amicabiles compositores eadem die ac termino premissum negocium seu controuersiam fine debito terminare non possent, unaqueque parcium iure gauderet sibi competente. Nos igitur hoc parcium propositum gratum et ratum reputantes, voluimus presentem literam in forma iudiciaria sigillorum nostrorum munimine roborari, domino Iohanne protestante, sigillo proprio carente, premissa nichilominus in suo propter hoc robore permanere.

Datum Brunne anno domini **MCCLXXV.** feria quarta in dominica domine ne longe.

In Monastico MS. archivi Rayhradensis, in tomo intitulato: „Cistercienses viri" pag. 267.

CII.

Gregorius papa X. regi Boëmiae, scribit, ne differat reconciliare se Rudolfo, regi Romanorum, nec promotionem ejus impedire praesumat. 1275.

Gregorius episcopus seruus seruorum dei. Carissimo in Christo filio . . *Regi Boemie* illustri, salutem et apostolicam benedictionem. Extenso dudum sollicite considerationis intuitu ad futura, cum specialiter nostri qui pastoris in ouili dominico partes exercemus intersit reminisci preterita, instantias temporum librare presentium et futurorum indicia preuidere, tibi cum carissimo in Christo filio nostro R. Romanorum rege illustri amicitie fedus obseruare suggessimus, et mentem regiam ad unitatis bonum cum eodem rege concorditer excolende literarum nostrarum serie recolimus induxisse; illud precipue meditantes, quod ex regis ipsius tuaque concordia commoda immensa consurgerent, negotiorum dei, ad que vota nostra direximus promta sequeretur ac grata promotio, et discriminibus variis ex utriusque damnosa discordia suscitandis materia tolleretur. Sane si prout credimus tue speculationis examen circa negotium dicti Regis veritas patefacta non preterit, dum initiis eius atque processibus dexteram domini liquido patet fauorabiliter esse propitiam, dum ex ipsius felici regimine prosperi status imperii reformatio exspectatur, nisi omnino ab illius impedimento desisteres, beneplacito dei resistere, nec sine graui discrimine reformando eidem imperio pertinaciter obuiare non immerito censereris. Ideoque nos, de cuius cura precipue inter Christi fideles pax et unitas procuranda requiritur, cum te ac eodem rege concordibus inestimabilia bona prouentura, te autem ac ipso discordibus mala quodammodo ineffabilia non tam verisimiliter quam palpabiliter estimemus, apud excellentiam tuam quo frequentius eo instantius multiplicatis exhortationibus insistentes, Serenitatem regiam interato requirimus, monemus et hortamur in domino, in remissionem tibi peccaminum intensis affectibus suadentes, quatenus discriminose dissensionis nulla profecto tibi vel alii producture compendia, sed dispendia grauia probabiliter adlature actor vulgari delatione describi prudenter euitans, et imminentis ex dissensione huiusmodi stragis excidia humana saltem compassione in eiusdem Regis Romanorum et tua reconciliatione precidens, ipsi, quem similiter ad hoc efficacibus inductionibus exhortamur, te ulterius ad plenum reconciliare non differas, sed ut regalem animum manifestius exhibeas amatorem pacis et concordie ac tranquillitatis publice sectatorem celeriter sic solida unanimitate coniungas, quod processuum nostrorum, quos ad promotionem eiusdem Regis Romanorum consummanda solemnia prout utilitas publica exigit continuare disponimus, quorumque impedimenta pati equanimiter non possemus, experiamur te ad tue salutis meritum et fame preconium per rei euidentiam sedulum promotorem.

E regesto Berardi de Neapoli epist. 96. in tabulariis Vaticanis. — Excusum apud Raynaldum — T. XIV. 235.

CIII.

*Otakari, regis Boëmiae, literae patentes, jam pridem exhibitae, nunc autem repetitae, de submissione sua arbitrio sedis apostolicae super quaestione vertente inter eum et **Rudolfum**, comitem de **Habsburg**, electum a quibusdam principibus regem **Romanorum**, deque promtitudine sua proficiscendi in subsidium terrae sanctae, dummodo nihil interim contra se attentetur.*

***Dt. Pragae, VII. Idus Martii,* 1275.**

Sanctissimo in Christo patri et domino suo, Gregorio sacrosancte Romane ecclesie summo pontifici, *O.(takarus)* dei gratia Boemorum rex, dux Austrie, Styrie et Karinthie, marchioque Morauie, dominus Carniole, Marchie, Egre ac portus Naonis, cum reuerentia, deuota pedum oscula beatorum. Sanctitatis Vestre arcanum petimus non latere deuotionem, quam progenitorum nostrorum prioritas memoranda sui regni temporibus erga Romanam ecclesiam matrem sanctam fideliter habuit et constanter; quorum utique in nobis, tamquam deuotionis filium, eadem suos extendit propagines longiores. Ideoque sacri vestri concilii piis hortatibus promptius allecti et deuotius inuitati, sanctum et laudabile propositum vestrum circa redemptionem terre sancte salubriter dispositum et utiliter ordinatum amplectentes deuote, veluti filii obedientie, qui nullo umquam tempore recessimus, nec etiam recedemus a deuotione sancte matris ecclesie ac summorum pontificum voluntate, tam benignitate deuota quam reuerentia debita suscepimus et suscipimus pacem, quam ad ampliorem promotionem vestri propositi, quod est pium, toti christianitati seruandam ad sexennium in sacro vestro concilio iniunxistis et iniunctam denuntiastis publice obseruari. Ad honorem itaque redemptoris nostri et sancte Romane ecclesie nostrum propositum salutare, diu mente conceptum, desiderio desiderantes opere adimplere, in subsidium terre sancte post quadriennium nos promptos offerimus in persona propria secundum decentiam nostre magnitudinis processuros, ibidemque tamdiu permansuros in seruitio dei et Romane ecclesie, quamdiu aliquis regum ex Christi fidelibus continuando statum suum pro impendendo subsidio terre sancte traxerit ibi moram. Sane ut infra idem quadriennium nos possimus de omnibus terris nostris, videlicet Austria, Styria et Karinthia, Carniola, Marchia et Egra, de quibus vel de quarum aliqua fortassis presumunt aliquis vel aliqui mouere nobis indebite questionem, quas tamen inpresentiarum legitime possidere dinoscimur et tenere, in quibus et singulis bonam fidem et iustum habemus titulum in tantum, quod illis reseruatis omnibus et retentis bona conscientia audemus in dei et ecclesie seruitio mortis periculo exponere nos et nostros, commodius et decentius expedire, ad exequendum et prosequendum desiderium nostrum huiusmodi cum effectu petimus supplicantes humiliter et obnixe, quatenus nobis et D. Rudolfo comiti de Habchspurch, electo in Romanorum regem a quibusdam principibus vocem in electione habentibus, sed non a nobis, qui eligendi de iure ac consuetudine ius habemus, obseruare ac inuiolabiliter retinere pacem, de qua supra tetigimus, specialiter iniungatis, nec propter grauia guerrarum discrimina, que quod absit excitarentur inter ipsum et nos forsitan suscitante eadem humani generis inimico, sanctum et salubre propositum vestrum in aliquibus mundi partibus retardetur; cum diuina nobis suffragante gratia vestreque paternitatis clementia annuente, tantum possimus subsidium, quantum dictus Electus poterit, impendere terre sancte. Hanc etiam petitionem nostram rationabilem et honestam non credimus pati debere repulsam, ne nobis deuotissimo Romane ecclesie singulariter denegetur, quod aliis minus deuotis in subsidium terre sancte concessum est generaliter et iniunctum. Adhec ne opinio aliqua vel aduersariorum nostrorum falsa suggestio vestrum constantem animum moueat ad credendum, nos in terris nostris omnibus et singulis, de quibus forte mouetur questio, bonam fidem et iustum titulum non habere, neue videamur Vestre Sanctitatis velle beneplacitum declinare, ex nunc paternitatis vestre rectitudini nos submittimus et subiicimus, ponentes in manibus vestris, si fas est dicere super fidem vestram et in animam vestram omnia iura nostra, in ipsis terris nobis competentia, diffinienda secundum deum et honestatem, post nostrum reditum de partibus transmarinis. Hoc tamen nobis saluo, quod huiusmodi diffinitio non procedat, nisi prius nostris sollemnibus nuntiis, nostris et viris literatis ac expertis, et authenticis nostris priuilegiis, instrumentis fidedignis et legitimis munimentis nec non veracibus documentis plene perfecteque instruamini de iuribus nobis competentibus in eisdem, mittendis ad vestram presentiam post paractam (sic) peregrinationem nostrumque felicem reditum de partibus memoratis. Ita etiam nos submisimus et submittimus Sanctitatis vestre rectitudini, si dictus electus se eodem modo clementie vestre omnino submittat et subiicit in premissis; sique se idem non submiserit, ex tunc non per nos, sed potius per eundem stabit et staret, quod in manus vestras facta huiusmodi submissio non fuisset; et hoc videat et aduertat Vestra Paternitas reuerenda, sibique imputet et nobis, quod vestrum beneplacitum declinauit. Ratum etiam et firmum semper habemus, quicquid secundum premissa rectitudo vestra de iure nostro plene instructa tunc secundum deum et honestatem decreuerit diffinire. In armario quoque sanctissimi sui cordis vestra pietas id recolligat et recondat, quod eadem diffinitio secundum deum et honestatem, que nobis fieret seu fieri deberet, nobis quod deus auertat non redeuntibus, pueris nostris fiat ex paterna clementia, si itinerando ex casu quocunque mortis naturalis vel casualis, utpote per vocationem dominicam assummamur (sic), vel tempestatibus maris et fluctuum eius motu obrui et dimergi, vel in ore gladii, in bello pro dei seruitio contra ascendentes ex aduerso voluntarie nitendo, cadere seu occumbere nos contingat. Et ne processus nostri et electi predicti pro inpendendo terre sancte subsidio dirigendi impedimenta capiant, expedit ut utrique nostrum auctoritate apostolica stricto strictius iniungatis, quod alter in alterius preiudicium dispendium vel grauamen attemptare penitus nil presumat, quodque questiones seu negotia, si qua inter nos sunt et vertuntur, in eo statu in quo nunc sunt teneantur et maneant in suspenso, pendente predicto tempore sexennii uniuersitati Christi fidelium pro subsidio terre sancte generaliter deputato. Damus etiam in testimonium predictorum, et maxime submissionis prefate, has nostras patentes et authenticas literas, duplicis nostri sigilli munimine roboratas, que Sanctitati Vestre dudum per nostros debebant nuntios exhiberi, videlicet per magistrum Theodericum et magistrum Witlonem, dilectos capellanos nostros, licet consilio extranee habito per eos in curia hoc fuerit prepeditum. Datum Prage, anno domini M. CC. LXX. quinto, septimo idus Martii.

Ex autographo membr. cujus sigillum avulsum est, in tabul. Vaticanis.

CIV.

Idem Gregorio papae X. queritur ea, quae electus in regem Romanorum, instigatus a Ludovico, comite palatino Rheni, a burggravio Norimbergensi et quibusdam aliis, in curia ad Norimbergam celebrata contra se attentaverit, petitque sibi et electo eidem stricte injungi, ne alter in alterius dispendium quidquam praesumat, dum uterque se praeparet in subsidium terrae sanctae. Dt. Pragae, VII. Idus Martii, 1275.

Sanctissimo in Christo patri et domino suo. G.(regorio) sacrosancte Romane ecclesie summo pontifici. *O.(takarus)* dei gratia Boemorum rex, dux Austrie, Stirie et Karinthie, marchio Morauie, dominus Carniole, Egre et Portus Naonis, cum omnimoda reuerentia, deuota pedum oscula beatorum. Sanctitatis vestre litere nobis et venerabili patri domino ***B.(runoni)*** ***Olomucensi episcopo*** nouissime destinate per dilectos capellanos nostros magistros Wittelonem et Theodricum in finali clausula continebant, quod iidem nostri nuntii quedam nobis proponerent ministerio viue vocis. Qui pretextu eiusdem clausule de parte paterne clementie Vestre inter alia referebant, quod nos et electus in Romanorum regem a quibusdam principibus vocem in electione habentibus, sed non a nobis, qui in electione huiusmodi tam de iure quam approbata consuetudine similiter ius habemus, stare deberemus ordinationibus ipsius D. Episcopi Olomucensis super uniuersis et singulis questionibus, que vertuntur seu verti sperantur inter nos et ipsum Electum. Quibus mandatis veluti deuotionis filii, per ipsum episcopum requisiti, quantum in nobis fuit, stare promti fuimus et parere: sed dictus Electus per eundem episcopum similiter requisitus, pendente negotio sub requisitionis pendulo, in curia apud Nurenberch celebrata quedam de facto in nostri honoris dispendium et terrarum nostrarum non modicum detrimentum attemptare per suas sententias nitebatur et adhuc nititur, et per sua placita omni iuri contraria malum nobis multipliciter contra iustitiam machinatur, tamquam hostis publicus et aduersarius manifestus, cum nullus fungi iudicis officio ac vice actoris uti valeat, et specialiter in propria sua causa, nec alium sibi possit substituere iudicem, qui a parte aduersa eque suspectus habetur, seu maiori suspicione notatur, utpote Ludwicus comes Palatinus Rheni et . . purchrauius Nurenbergensis et quidam alii, quorum nutibus annuens contra rationis debitum nos grauare in principatibus siue terris, quos et quas bona fide et iusto titulo obtinemus ab imperatoribus et regibus quondam Romanis clare memorie et ab aliis, quorum interest, prout suo tempore legitimis documentis poterimus conprobare. Porro, si propositum salutare, quod dudum concepimus dei gratia inspirante, sicut per alias nostras literas Vestre intimauimus Sanctitati, nos contingerit secundum desiderium nostri cordis prosequi cum effectu, diuina nobis opitulante gratia vestroque beneplacito accedente et nos prosequente fauorabiliter et paterne, credimus expedire, imo necessarium scimus esse, ut nobis et Electo predicto auctoritate apostolica stricto strictius iniungatur, ne alter in alterius preiudicium seu terrarum ab altero possessarum dispendium aliqua presumat interim attentare, ne forte humani generis inimico guerrarum discrimina suscitante quod absit, subsidium terre sancte et Christi fidelibus impendendum per eadem in parte aliqua retardetur. Non tamen hoc propter timorem cuiusquam nostri hostis vel aduersarii dicimus, quibus dante domino resistemus potenter, viriliter et decenter, sed ut negotium terre sancte, cui reuera nostra intendit deuotio fideliter et ardenter, procedat felicius et impedimento cessante salubrius possit et maturius expediri. Unde requirimus Vestram clementiam, ut si simus utiles et necessarii pro inpendendo eodem subsidio terre sancte, ad quod fideliter et deuote offerimus nos et nostra, ex tunc uxori nostre domine regine paruulisque nostris utriusque sexus et omnibus terris quas in presentiarum dinoscimur possidere, per annos quibus nos aptabimus nostraque negotia disponemus ad impendendum subsidium ipsi terre sancte, quibusque nos expedit cum armata militia in dei seruitio continuare in transmarinis partibus statum nostrum, a Sanctitate Vestra quantum in ea est pacis puritas et votiua tranquillitas preparetur, adeo quod dicta D. Regina, pueri, regnum, principatus et uniuersi inhabitatores eorumdem interim optata tranquillitate muniri valeant et gaudere, et specialiter per sexennium, per quod pacem ad ampliorem promotionem vestri pii propositi toti christianitati seruandam in sacro vestro concilio iniunxistis et iniunctam denuntiastis publice obseruari, ne nobis deuotissimo Romane ecclesie, quod absit, singulariter denegetur, quod aliis minus deuotis in subsidium terre sancte concessum est generaliter et iniunctum. Sique hoc onus laboriosum et ministerium onerosum, prestandi subsidium terre sancte, speciali vestro beneplacito et assensu nos assumere voluerit vestra magnificentia et subire: petimus cum affectu, nobis in subsidium decimas cleri regni et principatuum nostrorum, nec non omnium ducatuum Polonie, de vestra speciali gratia deputari; certissimum hoc habendo, quod nihilominus nos etiam totum posse nostrum eidem negotio efficaciter prosequendo fideliter impendemus, pro illius et vestra reuerentia, qui se ipsum pro salute nostra impendere, imo morti et crucis patibulo opponere non expauit. Et super hiis pietatis vestre beneplacitum petitum instanter nobis celeriter intimari, maxime cum circa dictum negotium terre sancte periculum sit in mora, sicut plenissime ac per experientiam paternitas vestra nouit. Et ut nullum super premissis et promissis huiusmodi dubium haberetur, magistrum Theodricum, Pragensis ecclesie canonicum, dilectum capellanum nostrum, ad vestram presentiam duximus destinandum, dantes eidem specialem et plenariam potestatem in animam nostram iurandi, quod premissa omnia fideliter prosequemur et efficaciter exequemur, si et vestra Paternitas supradictis ut premisimus duxerit fauorabiliter annuendum. Alioquin nos licet inuitos habere oportebit recursum, quod tamen salua reuerentia vestra dicimus, ad remedia competentia iuri nostro et subsidia opportuna; numquam tamen volentes, quantum in nobis est, fide et deuotione recedere a sancta Romana ecclesia, quam nostram et omnium Christi fidelium scimus et recognoscimus nunc et semper matrem, dominam et magistram. Datum Prage, septimo idus Martii.

Ex autographo membranaceo passim attrito et laeso, quod adservatur in tabulariis Vaticanis.

CV.

Bruno, episcopus Olomucensis, dotem et jura ecclesiae in Mohelnice (Müglitz) annotat. Dt. in Mohelnice, die 20. Aprilis, 1275.

Bruno dei gratia Olomucensis episcopus dilecto in Christo venerabili . . presbytero capellano suo salutem in domino sempiternam. Cum rerum gestarum certissima representatio sit scriptura, que de verborum serie in eam redactorum nihil imminuit aut immutat, nouerint igitur uniuersi tam presentes quam futuri, quod nos ecclesiam parochialem in *Müglitz* ad nostram collationem pleno iure spectantem tibi conferendam duximus principaliter propter deum cum omnibus iuribus que ab antiquo ad dictam spectasse ecclesiam dignoscuntur, et ad maiorem cautelam tuam et ecclesie tue presenti scripto iura ecclesie tue, que veritatis suffragio adiuuantur, et nobis veraciter constituerunt dicta iura iussimus annotari. Sunt igitur hi reditus siue prouentus ecclesie tue in *Iestrebe,* in *Pobus,* in *Pobitz* ville integre cum omnibus prouentibus, et reditibus, cum steiris, censu, pascuis, siluis, piscationibus, venationibus in bonis tuis et cum omnibus iuribus, nullo diminuto vel excepto, ut illa possideas pacifice et quiete; iudiciis nihilominus etiam non exceptis; est etiam ecclesia filialis at tuam spectans collationem, et ad tuos successores, sita in *Smol,* et regimin schole in Müglitz, balneum unum pleno iure, quatuor tabernas, et unum molendinum cum duabus rotis, et alias curticulas, que nunc tenet et ab antiquo tenuit tua ecclesia iure simili pacifice possidebis; habebis etiam in eodem oppido decimum denarium in iudiciis, et plenam decimam de allodio et agris nostris etiam obtinebis. Ut autem omnia premissa perpetuam obtineant firmitatem nos ad rei memoriam sempiternam presentem paginam inde conscribi nostrique sigilli iussimus munimine roborari. Dat. Müglitz anno domini MCCLXXV. in die Agnetis virginis.

Ex originali confirmatione Lačkonis, episcopi Olomucensis, dto. 17. Martii 1404. in archivo ejusdem ecclesiae.

CVI.

Idem confert Eckerico filio Herbordi, de Füllstein, medium castrum Füllstein et villam Pawlowice in feudum. Dt. Olomucii, II. Kalendas Maji, 1275.

Bruno, dei gratia Olomucensis episcopus, dilecto fideli sibi Eckerico, militi suo, et heredibus suis in perpetuum. Cum rerum gestarum certissima representatio et memoria sit scriptura, que de verborum serie in eam redactorum nichil minuit aut immutat, et maxime cum fragilitas humane vite adeo sit labilis, quod eorum, que in tempore geruntur, oblinionis caligo soleat memoriam excecare: necesse est igitur, ea tam scripturis quam testium munimine perhennari. Notum sit igitur tenore presentium tam modernis quam futuris, et appareat euidenter, quod, cum nos villam episcopalem *Gotfridisdorf* a primo fundationis tempore in nostro primo introitu episcopatus Olomucensis *Herbordo.* dapifero nostro, contulissemus, multis suis meritis exigentibus, iure et titulo feodali, idem dapifer instanter petiuit, ut sibi municionem in eadem villa de licentia nostra construere licuisset: nos in hac parte nolentes consentire, nisi tali interueniente conditione, quod eadem municio dimidia esset nostra et nostrorum in posterum successorum, admisimus municionem construi, et nos cum dicto dapifero aliquantum construximus partem nostram, qua parte constructa et castro in aliqua parte consummato, videntes et animo aduertentes, nos diuersis expensarum fatigationibus in vigilibus videlicet et portenariis et aliis pluribus sine fructu et profectu assidue onerari, et etiam quia in opido nostro *Hoczemplocz,* muro circumdato et fortiter munito, domum quandam aput murum ciuitatis construximus pro nobis et nostris successoribus, pro maiori commodo et custodia ciuitatis, et vtrobique tam in *Fullenstein* quam in Hoczenplocz expense, ad custodiam eorundem pertinentes, sicut per experientiam didicimus, nobis graues satis et intolerabiles videbantur: de consensu et consilio capituli nostri considerantes non solum seruitia fidelia, que tu et amici tui ac heredes tui nobis et ecclesie nostre exhibuistis, et in posterum exhibebunt, verum eciam pensantes et attendentes promotionem et profectum et utilitatem nostre ecclesie Olomucensis, que per te, amicos et heredes tuos eidem ecclesie in posterum poterunt prouenire, tibi et heredibus tuis castri nostri in *fullenstein* dimidietatem cum omnibus iuribus, sicut eadem pars hactenus ad nos spectasse dinoscitur, et villam episcopalem in ***Paulowicz*** sitam, circa idem castrum cum omnibus iuribus et utilitatibus suis mense nostre tunc deseruientem, conferimus possidendam iure et titulo feodali; talibus tamen condicionibus interclusis, quod tu et heredes tui nobis et successoribus nostris ad omnes necessitates, que ecclesiam Olomucensem tangere videbuntur, vel successores nostros nomine episcopatus, tamquam suo vero domino tenearis tu et heredes tui perpetuo fidelibus seruitiis deseruire, et quod tempore necessitatis, et si gwerrarum discrimina suborta fuerint, nobis et successoribus nostris ac fidelibus nostris tenearis dictum castrum et debeas aperire et astare et defendere fideliter ea, que sunt ecclesie Olomucensis comodi et honoris. Ita cum predictum castrum nobis et successoribus nostris aperire teneberis, quod ex ea apertione tibi et fratri tuo Iohanni nullum in perdicione castri immineat periculum vel iactura, attendentes itaque utriusque partis vtilitatem et profectum, que ex hiis nobis et successoribus nostris ac tibi et heredibus tuis poterunt prouenire, videlicet quod idem castrum in sue firmitatis statu et valore permanebit, per te studiosius constructum, et nulla in eo castro poterit discordia suboriri, ne nos et successores nostri tuam vel heredum tuorum personam ab eodem castro alienando alios fortassis institueremus CCL marcas argenti Opauiensis ponderis et monete nobis dedisti et ponderasti ob huius donacionis graciam et fauorem, quod tu et heredes ab eodem castro ab eo, qui pro tempore fuerit, Olomucensi episcopo, non possitis aliqualiter ammoueri, et eandem pecuniam ad vsus et necessitates ecclesie nostre conuertimus, prout tunc temporis necessitas exigebat. Preterea eciam racione huius donacionis in opido nostro Hoczemplocz quosdam homines et redditus, quos pater tuus et fratres tui tenebatis iure feodi, nobis liberaliter resignastis, ita quod in eadem ciuitate nichil habetis cum patre et fratre penitus ordinare, cuius resignacionis valor ad L. marcas argenti est plenarie computatus. Nos vero capitulum Olomucense, Allexius decanus, Albertus prepositus, Cirus archidiaconus, ceterique canonici ecclesie eiusdem ad premissa consensum adhibentes plenarium et fauorem ad robur et confirmacionem huius donacionis, per dominum nostrum, dominum Brunonem, venerabilem episcopum ecclesie nostre, rite et racionabiliter facte, presentem litteram sigillo capituli nostri in testimonium iussimus roborari, testibus nostris ad cautelam presentibus subnotatis, videlicet: Lutolfus de Dasle, magister Iohannes de Mokeren, Iohannes de Ketschir, Arnoldus notarius, Henricus de Spenchowe, Wilhelmus de Thurans, clerici. Nicolaus pincerna, Meynhardus de Modericz, Heidenricus de Domaschowe, Martinus de Kelcz, Ebirhardus de Spiczca, Lutolfus, milites. Ludwicus de Modelicz. Henricus de Lynow, et alii quam plures. Datum et actum aput Olomucz, per manum Iohannis, notarii nostri, anno domini MCCLXXV. II. Kalendas Maii.

E codice Olomucensi I. chart. pag. 66.

CVII.

Gregorius papa X. regi Boëmiae monita jam saepius scripta repetit, additque, „quod non intendat dare decimas deputatas ad negotium terrae sanctae.“ Dt. Aurasicae, VI. nonas Maji, 1275.

Gregorius episcopus seruus seruorum dei. Carissimo in Christo filio . . *Regi Boemie* illustri, salutem et apostolicam benedictionem. Per dilectum filium Thedericum celsitudinis regie familiarem et nuntium super diuersis articulis diuersas ex parte tua recepimus literas, super illorum aliquibus et specialiter super reformanda concordia inter te ac carissimum in Christo filium nostrum . . Regem Romanorum illustrem non continentes noui aliquid, sed licet sub diuersitate verborum quod hactenus scripseras repetentes. Et ideo nec nos ad illos responsionem credidimus innouandam, sed exhortationibus multotiens repetitis insistimus, ut ad eandem concordiam, quam sicut frequenter expressimus, et publica et priuata partium suadet utilitas efficacem daturus operam, aliquos viros ad hoc idoneos cito ad presentiam nostram mittas, cum quibus et memorato rege ad nos sicut futurum in proximo credimus veniente, concordia ipsa nisi antea prouenerit, efficacius tractari valeat, et deo preduce tecum postmodum facilius consummari; presertim cum et idem rex missis ei ad hoc persuasionibus nostris inductus, nobis nuper suas literas destinarit, quarum inspecto tenore speramus ipsum de dicta concordia nostris beneplacitis pariturum. Ceterum Serenitatem regiam scire volumus et pro certo tenere, nos decimam ecclesiasticorum reddituum in regno tuo pro terre sancte negotio iuxta ordinationem nostram editam in Lugdunensi concilio colligendam nec memorato regi, nec cuiquam âlii concessisse, sed quod per ordinationem eandem aliis regibus est concessum, videlicet ut rex quilibet personaliter negotium predictum assumens huiusmodi decimam in terris suis ad ipsius negotii prosecutionem obtineat, nec memorato regi nec tibi denegare proponimus, nec foret etiam denegandum. Sed nec imperii leges immutare intendimus, aut ipsius consuetudinibus derogare; propter quod nec expedit, nec nostrum deceret officium regi eidem interdicere, quo minus suo iure iura eiusdem imperii prosequatur. Verum speramus in domino, quod si nostris monitionibus acquiescas, inter te ac regem eundem pax desiderata proueniet, sicque omnis controuersie cessabit occasio, quod tu et ipse in unitate pacis uniti, vos et in terre predicte negotio, et in aliis mutuo fauore fouebitis et auxilio fulcietis. Datum Aurasice, VI. nonas Maii. Pontificatus nostri anno quarto.

E regesto Berardi de Neapoli epist. 99. in tabulariis Vaticanis.

CVIII.

Otakarus, rex Boëmiae et marchio Moraviae, infeudationem castri Füllstein factam per Brunonem, episcopum Olomucensem, Eckerico, filio Herbordi de Füllstein confirmat. Dt. Pragae, IV. Nonas Junii, **1275.**

Nos Othacarus dei gratia rex Boemie, dux Austrie, Styrie, Karinthie, marchio Morauie, dominus Carniolie, Marchie, Egre et Portus Naonis deduci ad notitiam uolumus tam presentium quam ad memoriam futurorum, quod infeudationem medietatis castri in *Fullenstein* factam per dominum Brunonem venerabilem Olomucensem episcopum *Eckerico filio Herbordi de Fullenstein* pro CCC. marcis argenti de consilio capituli Olomucensis ecclesie prout in eiusdem capituli literis plenius continetur de infeudatione huiusmodi factis, ratum habemus et eam auctoritate regia confirmamus. In cuius ratificationis et confirmationis nostre memoriam et robur perpetue ualiturum, presentem paginam fieri et sigilli maiestatis nostre fecimus communiri. Datum Prage per manus Henrici prothonotarii nostri et plebani in Gors, anno domini M. CC. LXX. V. IIII. Nonas Iunii. Indictione III.

E codice Olomucensi I. chart. pag. 68.

CIX.

Idem cives Hunno-Brodenses a solutione telonei cujuslibet per omnes terras suas perpetuo eximit. Act. in Kamenec, Nonis Junii, **1275.**

Othacarus, dei gratia Rex Boemie, Dux Austrie, Styrie, Carinthie, Marchio Morauie, Dominus Carniole, Marchie, Egre et portus Naonis, omnibus in perpetuum. Interest Regum et Principum orbis terre, se cunctis eorum fidelibus ostendere gratiosos, sed eis tenentur precipue manus extendere liberales, pro quibus sincera fides et grata deuotionis obsequia fauorabiliter intercedunt. Sic enim satisfaciunt debito, sic fideles in fide corroborant, sic alliciunt alios, quibus exemplo beneficia taliter pollicentur. Presentis igitur authoritate priuilegii deferatur ad notitiam presentium et memoriam futurorum, quod Ciues nostros de *Brod,* dilectos fideles nostros, propter merita, quibus se gratos nostre celsitudini pluries reddiderunt, a solutione cuiuslibet tellonii per omnes terras nostras perpetuo eximimus ex certa nostra conscientia de gratia speciali. In cuius rei testimonium presentes conscribi, et sigillorum nostrorum munimine fecimus roborari. Actum in Camenecz. Anno Domini M. CC. LXXV. nonas Iunii; datum ibidem per manus magistri Henrici, Prothonotarii Regni nostri, anno et die predictis.

Ex originali ejusdem civitatis.

CX.

Nicolaus, praepositus ***Kaunicensis****, et* ***Wisinto****, praepositus* ***Oslowanensis****, in lite de jure patronatus ecclesiae in* ***Troskotowice****, eligunt idoneos arbitros. Die 24. Junii,* **1275.**

In nomine domini amen. Nos Nicolaus diuina miseracione prepositus de *Cuniz.* et Wisinto eadem prouidencia prepositus de *ozla,* vniuersis presens scriptum inspecturis salutem in domino. Notum esse uolumus uniuersis quod cum proxima feria secunda post ascensionem domini coram Al.(exio) decano Olomuncensi. et Al.(berto) preposito eiusdem ecclesie iudicibus. a venerabili patre B.(runone) olomuncensis ecclesie delegatis super causa iuris patronatus ecclesie in ***Droskwiz.*** in Brunna conparuissemus videlicet me preposito de Cuniz dicente dictam ecclesiam Droskwiz ad ecclesiam Cunicensem pertinere. preposito de Ozla ex parte altera in contrarium asserente. et domino Zmilone de Bilcow ex parte tercia referente quod ius patronatus ecclesie sepedicte ad Cadoldum filium Ekhardi quondam de Mirslaus cuius tutor existeret ex successione paterna pertineret. occasione cuius licet per aduocatos nostros fuissent diuersa hinc inde proposita. iudicibus tamen ex conposicione inter nos facienda instantibus conpromisimus sub hac forma ut magister Richardus rector puerorum in Brunna iuratus uniuersa instrumenta seu qualescumque alias probationes parcium auctoritate iudicum premissorum conscriberet. et quod conscripta domino Episcopo certo die et termino presentarentur ut ipse ex inspectione eorundem instrumentorum sine omni dilacione ad diffinitiuam sentenciam procederet prouulgandam sicut in actis super hoc confectis plenius continetur, forma autem huiusmodi compromissi per quam partes recesserunt ab omni alia probacione que eis conpetere posset fuit a partibus ea de causa apposita et eciam approbata ut per hoc finis litibus inponeretur, et ut infra spatium quatuor uel sex mensium a tempore uacationis uel mote litis premissa causa videlicet iurispatronatus premisse ecclesie droskwiz terminaretur. Nempe cum die et termino assignato partibus presentibus per dominum Albertum prepositum Olomuncensem domino Episcopo in Mugeliz munimenta ut premissum est scripta presentarentur, nescimus quo zelo ductus ad sententiandum noluit procedere sed ipsum negocium tribus personis delegauit audiendum et fine debito terminandum, sine clausula que consueuit apponi, Quod si non omnes duo uestrum nichilominus exsequantur, licet a nobis hoc ab eo instanter peteretur quod nostrarum ecclesiarum uel alteram earum credimus que in iure optineret lapsu temporis preiudicium redundare. Sane quia nobis uisum fuit quod per iudiciorum strepitum nonnumquam partes grauarentur laboribus et expensis, in dominum Io.(hannem) pragensis ecclesie canonicum. et dominum Witgonem olomuncensis ecclesie canonicum conpromisimus sub hac forma, vt dominus Io. tunc aduocatus ecclesie in Cuniz omnia instrumenta ecclesie in Ozla competentia super iure ecclesie in Droskwiz ad se reciperet, dominus uero Witgo instrumenta ecclesie Cunicensis et eisdem diligenter inspectis ad unum locum deberent conuenire, in quo secundum fidem nomine sacramenti domino Al. preposito olomuncensi datam deberent arbitraria potestate diffinitiue pronunciare que ecclesiarum nostrarum pocior esset in iure eidem ipsum ius adiudicantes. Dedimus eciam eisdem potestatem ut omnia et singula que inter nos tamquam arbitri seu amicabiles compositores ordinarent pena possent uallare ita ut si quis nostrum eorum arbitrium seu ordinacionem non obseruaret alteri parti penam persolueret per eorum arbitrium declaratum. Insuper promisimus nostro iuramento quicquid per eos fuerit in premisso negotio ordinatum ratum et firmum deberemus habere. Acta sunt autem hec approbante domino Brunone Olomuncensi episcopo presente domino Al. preposito Olomuncensi. domino Io. canonico eiusdem ecclesie. domino Io. notario domini Episcopi. magistro Io. medico ordinis cisterciensis et aliis quam pluribus qui presenti nogotio affuerunt. Anno domini M. CC. LXXV. sequenti die post festum Sancti Iohannis Baptiste.

Ex originali in archivo monasterii Oslowanensis cum sigillis illaesis.

CXI.

Nicolaus, praepositus Kaunicensis, sopita lite cedit monasterio Oslowanensi de jure patronatus ecclesiae in Troskotowice. Dt. in Kaunice, die 8. Julii, **1275.**

In nomine domini amen. Nos Nicholaus prepositus de *Croniz* totusque Conuentus eiusdem ecclesie Vniuersis presens scriptum inspecturis salutem in domino. Tenore presencium vniuersis presens scriptum intuentibus notum esse volumus quod questio quedam inter me et meum Conuentum vertebatur ex vna. et prepositum et suum Conuentum de *Ozla* ex parte altera super ivre patronatus Ecclesie in *Troschowiz* per arbitros sev amicabiles compositores a nobis electos est sopita. ita quod iam dicte ecclesie Ivs patronatus aput ecclesiam de Ozla que ivre nostra ecclesia quantum ad hoc nitebatur pociori remaneat pleno iure. et ideo nos ac noster Conventus renunciamus et renunciauimus omni ivri quod nobis competebat vel competere posset ecclesia in predicta. Et ne in posterum hec tam salubris ac legitima ordinacio que perpetua stabilitate debet esse subnixa per nostros forsitan successores aliquod scrupulum calumpnie pateretur. presentem scedulam sigilli nostri munimine volumus communiri. Datum in Cvoniz anno domini M. CC. LXXV. in die Sancti Kiliani.

Ex originali monasterii Oslowanensis cum sigillo illaeso.

CXII.

Bruno, episcopus Olomucensis, determinat tempus decidendae litis de jure patronatus ecclesiae in Troskotowice. Datum in Blansko, die 14. Julii, **1275.**

B. dei gratia Olomucensis Episcopus, dilecte in Christo, I. Abbatisse de *Ozla,* Cisterciensis ordinis et Chadoldo filio quondam domini Eggehardi de Murzlaus, necnon domino Smiloni, purgrauio vetauiensi, qui se gerit pro tutore seu defensore dicti Chadoldi, salutem in domino cum sincera caritate. Quum W. Prepositus de Ozla in die beate margarete virginis coram nobis in castro planz, constitutus, exhibuit literam patentem, quod N. prepositus de *Crniz* et suus conuentus renuntiauerunt omni iuri, quod habebant vel habere possent in ecclesiam *Treschwiz* super iure patronatus, petens nomine abbatisse et sui conuentus, ut suis probationibus seu instrvmentis incontinenti receptis, ad decisionem cause iuris patronatus, quod se dicunt habere in predictam ecclesiam procederemus, vel quod vni Iudicj vel duobus, qui de facili possent conuenire, eam subdelegaremus terminandam, ne per lapsum temporis a iure prefixj, eis vel earum ecclesie, posset ex hoc aliquod preiudicium generarj, quod facere noluimus, sed ut per priores Iudices super hoc datis cause cognitio fieret, ac decisio secundum canonicas sanctiones, dantes utrique parti, de gratia speciali, terminum seu spatium, vsque ad diem natiuitatis beate virginis, quod eis in spacio. IIII. vel. VI. mensium, minime uolumus computare, infra quem causam procurent, per iudices sibi datos terminari, alioquin cum ita aliis, in iusticia reddenda, debeamus esse debitores, ut nostra iura non negligamus, ex tunc quantum nobis a iure permittitur, ad id efficiendum procedemus. Sane quia magister Wernherus plebanus de Rvchwan a parte Chadoldj seu sui tutoris vel defensoris, iudex delegatus in premissa causa a nobis est impetratus volumus et tenore presentium vobis mandamus, ut in termino conpetentj, ab aliis duobus iudicibus partibus deputato, efficiatis ut et ipse W. ad eundem terminum veniat, ad premisse cause decisionem, si de negligentia nolueritis reprehendi. Dat. in planz anno domini MCCLXXV. sequenti die post festum beate margarete.

Ex originali in archivo monasterii Rayhradensis cum sigillo rupto.

CXIII.

Gregorius papa X. regem Boëmiae graviter reprehendit, quod in facto regis Romanorum a sententia papae appellare ausus fuerit. Dt. Bellicadri, XI. Kalendas Augusti, **1275.**

Gregorius episcopus seruus seruorum dei. Carissimo in Christo filio . . *Regi Boemiae* illustri, salutem et apostolicam benedictionem. Quid ita deuotionem illam, quam protestatus es totiens in te a tuis progenitoribus radicatam absorbuit, quod circumspectionem regiam sic a semitis rationis abduxit, ut in ea prorumperes, que nobis per tuas literas destinasti? Nos sufficimus ammirari, cum causam non habeas, etsi occasionem, procul dubio friuolam, fingere videaris. Que namque causa filio suspicionis ad patrem, ipsum ad pacis commoda inuitantem, ut eius saluti prouideat, commodis consulat, occurrat dispendiis, sibi ac suis quietem indulgeat et conseruet? Quid aliud ex omnibus literis excellentie tue super negotio carissimi in Ch. filii nostri R. regis Romanorum illustris destinatis intelligis?

Quid his aduersum vel diuersum etiam nisi peruerso forte iudicio ad sensum trahantur omnino contrarium elicis ex eisdem? Num quid moleste forte tulisti, sicut nuntii tui habere videbatur assertio, quod in aliquibus illarum prediximus nostri esse propositi, ut eiusdem regis iustitie assistamus? Profecto si verbi ministerium attendisses, hoc nequaquam tuum animum molestasset. Cum enim iustitia ius suum unicuique tribuat, dum iustitie litigantium etiam alterutrius assistitur, per consequens ius cuiuslibet conseruatur. Que igitur iniuria in predictione predicta? que in his suspicionis occasio? que appellandi causa, presertim ab illo, qui supremi iudicis vicem gerens, superiorem non habet in terris? Numquid non appellatio gradum exigit, ut etiam non parem appellare sufficiat, sed a minori ad maiorem grauatus appellet? Quid hic tuus, vel potius prout verisimiliter presumimus, tuorum consiliariorum inconsultus conatus habuit, nisi culpam? quid aliud nisi presumtionem admodum temerariam, et argumenta, pretacte tue protestationi contraria, notabilis et te omnino indecentis indeuotionis expressit? Porro, fili carissime! ista materiam multe commotionis ingerunt: sed cum nesciat ab amico caritas etiam lesa recedere, procul dubio non imprimunt cordi nostro. Sic enim personam tuam solide caritatis vinculis amplexamur, ut premissa, que adhuc facilitati vel aliorum malitie credimus imputanda, donec a te illa perceperimus ex sententia dicta esse, ipsam nec mouere sufficiant nec turbare. Ideoque licet eadem tui potissime contemplatione displiceant, cum per ipsa, si forsan in communem notitiam deuenirent, et fama lederetur et tuo non modicum fauori decresceret, nihilominus tamen eundem tuum nuntium in illis patienter audiuimus in conclaui, et in publico parati eramus audire, nisi quod ipse prudenter attendens, quod licentiatis et absentibus multis ex nostris fratribus, forum iudiciale suspendimus, quousque nos in terra ecclesie cum tota nostra Curia residere contingat, a petitione publice audientie supersedit; presertim cum ex causa premissa huiusmodi audientia nullum habuisset effectum, absente precipue parte altera, nec vocata. Ad cor itaque inclyte princeps conuertere, ingredere consistorium rationis, et ipsius pacate consiliis acquiescens, patris puritatem attende. Nos enim, nisi, que inconsulte acta sunt, perseuerantia patuerit animi fuisse iudicium, non desistemus a ceptis, sed tractatui concordie inter te ac regem predictum pacis auctore preuio sic efficaciter insistemus, quod ipso faciente, qui potest, non solum tibi et regi predicto exinde fluenta quietis affluent, sed et imperio toti tranquillitatis lenitas arridebit. Datum Bellicadri, XI. Kalendas Augusti. Pontificatus nostri anno quarto.

E Regesto Gregorii X. epist. 66., necnon in Regesto Berardi de Neapoli, epist. 106. in tabulariis Vaticanis. — Exc. apud Raynaldum XIV. 236.

CXIV.

Alexius, decanus, et Albertus, praepositus Olomucensis, citant partes in causa patronatus ecclesiae in Troskotowice. Dt. apud Brunam, die **23.** *Augusti,* **1275.**

Nos Alexius diuina miseratione Olomucensis ecclesie Decanus, et Albertus prepositus, et Cyrus Archidiaconus eiusdem ecclesie, et Iohannes pragensis ecclesie canonicus domino Zmiloni de Bilgov purgrauio vetouiensi, et chadoldo filio quondam domini Eggehardi dicti de mirozlaus, ac domino Wisintoni preposito de *Ozla* salutem in domino. Quum de communi uestro consensu super iure patronatus ecclesie in *Trosgwiz* uobis placuit in nos conpromittere, tamque in arbitros seu amicabiles compositores cuius promissi tenor talis est. In nomine domini Amen. Notum esse uolumus uniuersis presens scriptum intuentibus, quod nos dominus Zmilo de Bilgov, vetouiensis purgrauius, et tutor Chadoldi, filii quondam domini Eggehardi dicti de Mirozlaus, et ipse Chadoldus presens, auctoritate ipsius. Z. sui tutoris interueniente, et dominus Wisinto prepositus de Ozla. habens super hoc mandatum Abbatisse et sui Conuentus speciale auctoritate etiam et consensu venerabilis patris Br.(unonis) dei gracia Olomucensis Episcopi mediante, super causa iuris patronatus ecclesie in *Trosgwiz,* que inter nos uertebatur conpromisimus, videlicet ex parte domini Zmilonis tutoris dicti Chadoldi nomine tutorio, in dominum Albertum prepositum Olomucensem, et Cyrum Archidiaconum eiusdem ecclesie, ex parte uero domini Wisintonis prepositi de Ozla, in dominum Alexium, decanum Olomucensem, et Iohannem Romanum pragensem canonicum sub hac forma, scilicet ut hee quatuor persone premisse receptis iuribus utriusque partis, quod unicuique parti conpetit ecclesia in predicta, et eis receptis et examinatis diligenter habentes deum pre oculis, ei parti, ivs patronatus sepedicte ecclesie in Trosgwiz, ex arbitraria potestate adiudicarent, quam secundum deum crederent et scirent, in iure fore potiorem, dantes nichilominus eisdem arbitratoribus, seu arbitris, vel amicabilibus compositoribus potestatem in causa iuris patronatus dicte ecclesie ordinandi, transigendi, et componendi, et per quemcumque alium modum legittimum predictum negotium inter partes sopiendum. Et damus etiam eisdem arbitris potestatem. conpromissum seu arbitrium, pecuniaria pena vallandi vel alia quacumque pena ad eorum ordinationem obseruandam. Promisimus etiam, ut si in termino, ad arbitrium, seu amicabilem compositionem promulgandam, quem nobis assignabunt, omnes interesse non poterunt, eorum tres vel duo idem negocium nichilominus exequantur. Et hec omnia premissa nos Z. vetoviensis purgrauius, et Chadoldus, ac W. prepositus de Ozla, nostro iuramento, promittimus fideliter seruaturos. Acta sunt hec anno domini M. CC. LXXV. proximo die ante octauas Assumptionis beate virginis Brunne in domo predicatorum, presentibus testibus, Woizlao Scolastico Olomuncensi, et Bartholomeo, et Podizlao, et Witigone eiusdem ecclesie canonicis, et aliis quam pluribus, qui eidem negotio affuerunt. Et ideo uobis ex arbitraria potestate proximam quartam feriam post festum Egidii proxime celebrando, terminum peremptorium Brvnne in ecclesia sancti petri assignamus, ad producendos testes, seu quelibet alia munimenta, que uobis pro una quaque parte competunt super iure patronatus ecclesie Trosgwiz sepedicte, adicientes ut si qua partium, ad premissum diem, causa pleniter instructa non uenerit, nostram sententiam seu amicabilem compositionem, siue arbitrium receptura. C. marcarum penam videlicet, L. parti uenienti et debito modo se presentanti, et alias. L. domino B. Olomucensi Episcopo, ac nobis arbitris, sine qualibet soluet contradiccione. Datum Anno domini Millesimo CC. LXXV. Aput Brunnam. in vigilia Bartholomei.

Ego Iohannes Romanus pragensis canonicus arbiter in causa predicta quia sigillum proprium non habeo propria manu me ibi subscripsi cum hoc signo. (Signum.)

Ex originali cum tribus sigillis bene conservatis in arch. civitat. Brunensis.

CXV.

Bruno, episcopus Olomucensis, protestatur, Cadoldum de Miroslaw cessisse de jure patronatus ecclesiae in Troskotowice monasterio Oslowanensi.
Dt. in Pustoměř, VIII. Idus Septembris, **1275.**

Brvno dei gracia Olomuncensis Ecclesie Episcopus Vniuersis ad quos presens scriptum deuenerit salutem in domino. Exhibitione presencium notum esse volumus vniuersis. quod cum questio inter Abbatissam de *ozla* et suum Conuentum ex vna parte. et *Cadoldum* filium domini Ekhardi militis dicti quondam *de Mirozlavs* et dominum Zmilonem de Bilkow purgrauium Vetouiensem ipsius Cadoldi tutorem necnon dominum Hartliebum de Miszelboriz patruum ipsius Cadoldi ex altera super Ivre patronatus Ecclesie de *Droskwiz* verteretur tandem partibus grauiter afflictis et attritis laboribus et expensis comparuit coram nobis dictus Cadoldus personaliter cum ydoneis nunciis sue partis et protestatus est viua uoce quod ipse pleniter edoctus donationem Ivris patronatus Ecclesie in Droskwiz esse factam a suo patre Ekhardo milite quondam dicto de Mirozlaus Ecclesie in Ozla quam ei infringere nolebat sed pocius legitime esse factam recognouit cedens omni Ivri et liti quod sibi in dicte Ecclesie Droskwiz Ivre patronatus competebat vel competere posset in futurum nuncio sui tutoris videlicet domini Zmilonis purgrauii vetouiensis et eciam patrui sui domini Hartliebi hoc idem in nostra presencia attestante. Ne igitur propter malorum hominum voluntates alicuius calumpnie vicium vel discordie super premisso Ivre patronatus Ecclesie Droskwiz posset in posterum a quoquam exoriri presentem cartam munimine nostri sigilli voluimus communiri. Datum Bvstmir anno domini M. CC. LXXV. VIII. Idvs septembris coram testibus subnotatis fratre Lvciano lectore Olomucensi et fratre Bartholomeo ordinis predicatorum Magistro Iohanne pragense canonico Magistro Witchone olomucensi canonico Iohanne notario nostro Heinrico de winzerlindorph domini Zmilonis nuncio de Bilkowe et domini Hartliebi de Miszelboriz.

Ex originali monasterii Oslowanensis.

CXVI.

Idem Bertoldo et Henrico dictis Saxonibus feudum in Sečany confert. Dt. Cremsirii, in die b. Mauritii, 1275.

Bruno dei gracia episcopus Olomucensis, dilectis fidelibus suis. *Bertoldo et Henrico dictis Saxonibus* et eorum heredibus inperpetuum. Digne agimus et ratione mouemur, dum eorum qui se nobis et ecclesie nostre seruiles exhibent et fideles, recompensamus seruicia fauore, ac gracia speciali, ut feruencius insistant nostris obsequiis dum fauorem nostrum sibi senserint affuisse. Hinc est quod inspectis sinceritatis vestre seruiciis que nobis in ecclesie nostre negotiis et vtilitatibus non parcendo rebus et persone promptitudine grata iam diucius inpendistis, et intenditis in huiusmodi seruiciis persistere incessanter. Cumque benefecisse bonis et fidelibus sit omni parte lucrosum, nos uobis qui vos quam fidei puritate quam seruiciorum exigencia retributionis premio dignos redditis damus et conferimus liberaliter et libenter in feodum capituli nostri accedente consensu in villa, *Setsans* quatuor laneos, cum attinenciis eorundem, videlicet siluis, pratis, pascuis, censu, iudicio, sturis, omnibusque prouentibus qui supradictis laneis insunt vel inesse poterunt in futurum, nullo diminuto vel excepto per uos ac heredes uestros filios duntaxat et non filias, titulo feodi teneatis et possideatis ac ratione ipsius feodi *ius wasallorum, Magdeburgensis* ecclesie habeatis in omnibus indistinctum quod et aliis concessimus infeodatis a nobis, quodque heredes vestri filii tantum sicut premissum est gaudeant ipso iure. Dabitis eciam annis singulis canonicis nostris Olomucensibus de quolibet manso mensuram tritici quemadmodum infeodati ceteri dare tenentur. Ceterum statutum est per nos de consilio capituli ut quilibet wassallorum nostrorum infeodatorum a nobis alia de propria pecunia debeat comparare bona que extimatione facta bonorum sibi collatorum ab ecclesia terciam partem valere debeant eorundem. vos vero ab huiusmodi statuto exemptos fore volumus specialem in hoc consentiente capitulo nostro vobis gratiam facientes, ut nullum exinde quo ad dictum feodum vestrum vobis preiudicium generetur. Quod autem omnia premissa perpetuam obtineant firmitatem nos ad rei memoriam sempiternam presentem paginam inde conscribi nostrique sigilli iussimus munimine roborari. Et nos Olomucense capitulum, Ego Allexius decanus, Albertus prepositus, Cyrus archidiaconus, Woizlaus scolasticus, Lampertus custos, Bartholomeus, Iohannes de Homburgh, Theodericus de vvlmenstein, Petracus, Vlricus, Budizlaus, Hartmannus et alii quamplures super premissis omnibus consensum nostrum liberaliter adhibentes subscribimus presensque scriptum sigilli nostri munimine roboramus. Datum Cremsirii. anno domini M. CC. LXXV. in die beati Mauricii.

Ex originali in archivo archiepiscopali Cremsiriensi.

CXVII.

Otakarus, rex Boëmiae et marchio Moraviae, fabricam monetae in civitate Iglaviensi elocat. Dt. Brunae, pridie Kalendas Octobris, **1275.**

Nos Otakarus dei gracia Rex Boemie dux Austrie Styrie Karinthie marchio Moravie, dominus Caruiole Marchie Egre ac Portusnaonis, notum fieri uolumus vniversis tam presentibus quam futuris quod *fabricam monete* nostre in *Iglavia* cum omnibus attinentiis que his retro actis temporibus consueuerunt habere qui eamdem fabricam tenuerunt Iaroscio filio Ebrhardi Magistri monete olim per Boemiam, Hartmudo genero Henrici Albi ciuis Iglauiensis et Ebrhardo fratri ciuis nostri de Chazlauia qui cognominatur Episcopus fidelibus nostris ac heredibus ipsorum legitimis perpetuo possidendam concessimus. et eo modo seu iure, quo preteritis temporibus per alios est possessa, volentes quod Magister monete qui pro tempore fuerit eos in iuribus ipsis debitis et consuetis non debeat aliquatenus inpedire; Et quod ijdem Iaroscius, Hartmudus et Ebrhardus ac ipsorum heredes nulla alia iura sibi in eadem fabrica quam ea que hij qui tenuerunt eandem hactenus retro actis temporibus habuisse noscuntur ratione huiusmodi possessionis hereditarie audeant usurpare. cum nos eis dictam fabricam concedendam duxerimus. absque qualibet nouitate et non aliter quam possessa fuit per alios retroactis temporibus per eos decetero possidendam; uolumus quoque quod si ferrum eiusdem fabrice ad aliam civitatem uel alium quemlibet locum causa odij uel inimicicie uel propter aliquas necessitates transferretur, nichilominus dicti Iaroscius, Hartmudus et Ebrhardus fabricam in eo loco ad quemcunque ferrum translatum fuerit debeant secure ac sine difficultate aliqua possidere; et quod prefati ac monetarii eiusdem fabrice eisdem iuribus gaudeant, quibus aliarum fabricarum monetarij perfruuntur, que sunt per *Morauiam* constitute. In cuius concessionis nostre testimonium et robur perpetuo ualiturum presens priuilegium fieri et sigillis maiestatis nostre fecimus communiri. Actum et datum Brune per manus Magistri Henrici prothonotarij regni nostri et plebani in Gors. Anno domini Millesimo. ducentesimo Septuagesimo quinto, pridie Kal. Octobris. Quarte Indiccionis.

Ex originali ejusdem civitatis. — Excus. in comitis Sternberg — Umrisse — T. II. Urkundenbuch pag. 29.

CXVIII.

Decisio litis inter monasterium Gradicense et cives Olomucenses de limitibus villarum conterminarum, ac de tabernis monasterii. Actum Olomucii, III. Nonas Novembris, 1275.

Ego Zaschit de Kurovicz a serenissimo domino Otakaro qui et Premisl quinto rege Boemie deputatus executor sue diffinicionis super causa que inter honorabilem virum dominum Budis abbatem monasterii *Gradicensis* ordinis Premonstratensis Olomucensis diocesis ex parte vna, et ciues olomucenses ex parte altera vertebatur, racione curie arcis et hominibus ibidem residentibus in *suburbio Olomucensi* vel circa, et ville dicte *Haychin* cum campis ante Olomucz ad ipsam villam spectantibus, insuper aquis, piscationibus, pratis, pascuis, rubis, virgultis, harundinetis ad dictum monasterium ab antiquo pertinentibus, nec non tabernis in villis *Nakel, Lubos, Bunowici, Laschas,* pro vt in priuilegiis ipsius domini regis et suorum predecessorum plenius continetur, presencium tenore fideliter protestando declaro, quod de speciali mandato domini regis predicti personaliter ad ciues Olomucenses accedens assumptis mecum pro testimonio forciori nobilibus viris domino Wseborio camerario vetouiensi, domino Voizlao magno iudice Olomucensi, domino Lupo de Buk, domino Protiwei de Zaberh et aliis multis nobilibus terre in ecclesia sancti michaelis apud fratres predicatores presente Winando iudice et ciuibus Olomucensibus, prefatum abbatem iuxta execucionem mihi a domino rege commissam in corporalem et plenam possessionem induxi omnium premissorum. Hiis itaque peractis ciuitatem Olomucensem cum dictis nobilibus et beneficiariis Castri Olomucz ac iudice et ciuibus prefatis exiens, et secundum tenorem dictorum priuilegiorum per omnia me regens, certas metas prefati monasterii tam in agris quam in aquis secundum ius terre per aceruos qui vvlgo kopci dicuntur distinxi, et distinctas precepi sub pena in ipsis priuilegiis contenta, a ciuibus Olomucensibus et omnibus aliis inuiolabiliter obseruari. In die vero sequenti secundum predictum mandatum vna cum iam dictis terre nobilibus atque castri Olomucensis beneficiariis ad villam *Bystrowici* quam Robertus pie memorie quondam abbas Gradicensis a ciuibus Olomucensibus precio comparauit, quam eciam serenissimus rex superius nominatus de sua mera liberalitate predicte ecclesie Gradicensi suo priuilegio confirmauit, accessi, ac ipsam ex parte silue *Holice* domini regis et beneficii castri Olomucensis quod vvlgo dicitur Podstole quod tenet dominus Don, et ex parte villarum *Hodinan, Chwalchoviz, Bokwan, et Bystriz* plenarie circuiui, coram quibus, certos terminos secundum terre consuetudinem per aceruos qui et kopci vvlgariter appellantur vndique consignaui precipiens omnibus sub pena superius assignata, ne aliquis in posterum mutare vel violare presumat eosdem. In quorum omnium robur et testimonium meum speciale et sepedicti nobilis Wseborii sigilla, litteris presentibus sunt appensa. Actum in Olomucz anno domini M. CC. LXXV. III. nonas Nouembris, presentibus nobilibus prefatis, domino Wseborio camerario vetouiensi. Voizlao de Luczlauicz magno iudice castri Olomucensis, Wokone de Crawar, Protiwen de Zaberh, Lvthmiro de Wyrowan, subuillico iohannis villici Olomucensis, ministerialibus suis. Wawrichone de Woyniz et Heinsone, de castro Olomucensi, Swechikone villico domini Kvnonis, camerarii Olomucensis, ministerialibus suis Slawichone de Meschrcz. Radzlao de hostkowitz; Martyno de thynecz villico Nezamizli purkgrauij Olomucensis. Ministerialibus suis, Radozlao de sennichz. hostkone de Nelesowicz. Alexandro de prestawilk subiudice voyzlai predicti iudicis Olomucensis, Theodricho de pruscia, marscalcho domini episcopi Olomucensis, Hugone de Holesow. Sudkone de Bielawka. Czasta de Krelow. Lvpo de Bvk. Ieschone de Drenowicz. Bodizlao de Wesele. Swirczone de tyrnaua. Ratyborio de Tupecz. Leone de prosinicz. Mstislao de chiowicz. Iohanne de Polkowicz. Witkone de Slawetyn. Mikvlone de Costelecz. Petro de Kozarini hloti. Hermanno de Swetol. Sobolone de Rohczene. Mlagikone de Topolan. Belzsone de Topolan. Swoyano de Hermanicz. Holzsone de Bedihostz. Swatozlao de Drosin. Hodkone de Bedihoscz. Radikone de obidkowicz. hostessone de Bystroicicz. Leczikone procuratore de haychin, Slawon de sobesowicz. ministerialis Cunonis camerarii olomucensis, et aliis multis.

Ex originali monasterii Gradicensis.

CXIX.

Boreš de Riesenburg fratribus Eremitis s. Augustini, quos in Moravia in monasterio Corona s. Mariae dicto locavit, possessiones ad Budjksdorf et Triebendorf donat. Dt. in Riesenburg, Nonis Novembris, **1275.**

In nomine domini. Amen. Borsso dominus de Rysemburg ad notitiam presentium et memoriam futurorum nosse volumus vniuersos presentis pagine inspectores, quod nos diuinitus inspirati ob spem retributionis eterne *fratres eremitas ordinis sancti Augustini Morauie* in nostra hereditate locauimus, eis subnotata de manibus possidentium ea liberata ac liberaliter redempta donantes libere et liberaliter, iureque hereditario possidenda, videlicet collem et syluam inter villam dictam *Vudicsdorff* et aquam, que dicitur *Zazauia,* necnon quatuor mansos et molendinum inter villam dictam *Trivernsdorff* et prenotatam aquam, volentes, vt nulli hominum residentium in *Tribuernsdorff* preter prefatum molendinum molere absque causa audeat euidenti, nec vlli in vicino huius molendini aliud construere liceat, per quod huic dampnum valeat generari. Insuper sepedictam aquam ab ipso molendino usque ad finem hereditatis nostre, et viginti mansos in pluries dicta villa Triuernsdorff ipsis fratribus contulimus, a nobis prorsus alienando decernentes eos omni iure, quo nos habuimus, exceptis tribus causis iudiciariis, videlicet adulterij, homicidii et furti, absque quolibet abstaculo possidere. Datum in Rysemburg anno domini MCCLXXV. Nonas Nouembris.

E copia vidimata. — Originale in arch. monasterii s. Thomae Brunae reperitur.

CXX.

Complanatio limitum inter monasterium Gradicense et capitulum Olomucense circa claustrum pontesque illius et villas conterminas. Datum Olomucii, pridie Kalendas Decembris, 1275.

Nos Budis, miseratione diuina abbas ecclesie *Gradicensis,* ordinis Premonstratensis, Olomucensis diocesis, et Alexius, decanus *Olomucensis,* tenore presentium profitemur vniuersis, quod controuersia, que inter nos longo tempore agitabatur ratione metarum et terminorum in foribus claustri Gradicensis ex parte vna, et villam *Predmoste* ecclesie Olomucensis ex altera, et etiam inter insulas circa pontes claustri prefati ex vna, et villam *Hodinan* ecclesie prefate ex altera, nec non in uilla *Semitesiz,* que est vtriusque ecclesie occasione agrorum ac uirgultorum inter uillas *Drozdyn, Chwalkowicz et Thowircz,* hinc inde inutiliter commixtorum, et etiam ratione cuiusdam paruule aree, in predicta uilla Semitesicz inter areas domini abbatis site, arbitrantibus uiris et discretis, uidelicet Sobolone de Rowczin, Libnikone, iudice de Stephanstorf, Svatocio procuratore domini decani, Nicolao notario, et Nagrado ministeriali decani eiusdem, colonis itaque predictarum uillarum fide dignis, quos ad hoc ex utraque parte elegeramus, agris, uirgultis equanimiter limitatis ac . . . expedit utriusque ecclesie omnibus in melius commutatis, metis uero secundum ius terre per aceruos, qui uulgo kopcy dicuntur, distinctis, inter nos totaliter est sopita domino concedente. Exitum vero gregum, qui uulgariter drahy nominatur, tam ex parte Olomucensium quam ipsius claustri campis equaliter acceptis ordinamus, pascua uero hominibus prefate uille communia erunt in solidum, exceptis duntaxat domini abbatis siluis sine omni contradictione. Via vero publica, similiter vtramque contingens partem, habebitur perpetue obseruata. Vt autem hec ordinatio inter nos facta firma et stabilis in perpetuum permaneat, presentem litteram nostrorum sigillorum specialium atque capituli ecclesie Olomucensis nec non conuentus Gradicensis munimine communiter fecimus roborari. Acta sunt hec in Olmucz anno domini M. CC. LXXV. pridie Kalendas Decembris. Presentibus arbitris supra scriptis, et aliis quam pluribus.

Ex Annalibus Gradicensibus MSS.

CXXI.

Capitulum Boleslaviense convenit cum monasterio Kaunicensi de denariis decimalibus ab ecclesiis ejus pendendis. Dt. Boleslaviae, die 5. Januarii, 1276.

Magister Pardus prepositus. Wseslaus decanus. Magister Theodoricus scolasticus, totumque capitulum *Boleslauiensis* ecclesie, Pragensis dyocesis, Religioso viro domino Nicolao, preposito Chunicensi, nec non eiusdem loci sancte Marie in *Chunicz* cenobio, Olomucensis dyocesis, imperpetuum. Ne ea, que statuuntur in tempore, propter labilem memoriam hominum ac ipsorum vitam breuissimam et caducam preteritorum negotiorum occupatione mundana non valentium, simul aboleantur cum tempore, scripture testimonium adhibetur, ut ex ipsius inspectione, si quod emergat, sublato dubio in futurum demonstretur aperitio veritatis. Hinc est, quod, cum annui decimales denariorum ecclesiarum cunctarum *Snoymensis* prouincie predicte Olomucensis dyocesis ad nostram ecclesiam spectent, ac incunctanter spectauerunt ab antiquo, quarum ecclesiarum predicte cenobii scilicet *Chunicz, Praulyn, Malspicz, Vhrichicz, Wassaticz, Vrspicz, Pulina, Dunayowicz, Newzidel, Moschan,* nec non sex ecclesiarum, videlicet *Breznawicz, Nawrowicz, Moschank, Wyasdecz, Miculow, Pohorselicz,* ad Brunnensem archidiaconatum auctoritate Brunonis, Olomucensis episcopi, cum suo onere sint translate, in quibus velut in aliis ecclesiis ipsius prouincie eosdem recepimus decimales. Quare volentes nobis nostreque ecclesie parcere laboribus et expensis predictarum ecclesiarum XVI annuos decimales de cetero vobis et vestro cenobio in emphiteosim perpetuam duximus concedendos, sub annua pensione vnius marce argenti, Morauici ponderis, in festo Michaelis nobis seu nostro nuncio annis singulis ab ipso cenobio persoluenda; pro quibus etiam decimalibus, si aliquorum interueniente malitia impediti fueritis, quocunque tempore inquisiti nos vestros constituimus legitimos defensores. Vt ergo omnia superius annotata robur optineant perpetue firmitatis, presens priuilegium sigillis nostri prepositi nec non nostri capituli roboratum antedicto cenobio vnanimiter elargimur. Actum et datum est hoc Boleslauie in capitulo nostro, anno domini MCCLXXVI., in vigilia epyphanie domini.

E codice Olomucensi I. chart. pag. 71.

CXXII.

Budiš, abbas Gradicensis, civitatem Alba-Ecclesia (Weisskirchen) dictam locandam ordinat, juribus ejus latissime descriptis. Datum in Hradišť, die 4. Martii, **1276.**

In nomine domini amen. Ne ea, que fiunt in tempore, simul labantur cum tempore, vtile videtur, gesta ea contractus hominum in scriptis perenniter memorie mandare. Sciant igitur tam presentes quam futuri, quod Nos *Budis,* dei gracia abbas ecclesie *Gradicensis,* de communi conuentus nostri consensu, quandam ciuitatem, que *Alba ecclesia* nuncupatur, cum agris ibidem extirpatis et quadam silua, eidem ciuitati adiacente, Thamoni iudici et heredibus suis exstirpanda et locanda, dedimus ac contulimus iure *Burgrecht* seu emphiteutico libere et pacifice in perpetuum sub hac forma possidenda, videlicet quod dictus iudex habeat tres laneos liberos in eadem ciuitate de mensura Chrudimensi, quatuor bancos panis liberos, et quatuor macella carnium libera, unum balneum liberum, molendinum unum cum quatuor rotis liberum, piscationes in mensura sua et venationes licitas, exceptis venationibus domini regis; ita tamen, quod dominus abbas liberam habeat in eisdem facultatem. Habebit etiam prefatus iudex tertium denarium de culpis; sed dominus abbas maiores culpas personaliter vel per suos nuntios iudicabit, iudici tamen semper de culpis tertius denarius remanebit. Duodecim vero iurati debent esse in eadem ciuitate, quorum quilibet habebit unum macellum, et unum bancum panis liberum. Et *ius de Lubczicz* fauemus eisdem; de agris vero exstirpatis fauemus eisdem predictis ciuibus duobus annis libertatem, quibus finitis lanei ipsorum habebunt mensuram Chrudimensem, et soluet quiuis laneus pro censu dimidiam marcam argenti in festo Walpurgis, et duos denarios delencios nostro notario. Item soluet quilibet laneus unam scapulam bovinam in paschate, quatuor caseos bonos in pentecoste, et quatuor pullos bonos in festo s. Michaelis, que omnia supradictus iudex presentabit in claustro Gradicensi in terminis supradictis. Item dabit quilibet laneus ciuitatis, et quelibet taberna, et quiuis artifex sex denarios pro decimalibus episcopi in festo s. Martini, et sex denarios ad pontem in Prerow in Rogationibus. Et quilibet subses, agros non habens, dabit duos denarios decimales episcopo, et duos ad pontem in terminis supradictis; in quibus denariis, videlicet episcopi et ad pontem nulla datur libertas. Et si infra istos duos annos libertatis regis steura generalis occurrerit, ipsam soluent cum aliis. Item duobus annis finitis recipient regem et reginam cum omnibus suis hospitibus in expensis, quandocunque regi placuerit, sine cura domini abbatis. Similiter omnem exactionem regis dabunt, qualitercunque nominetur, prout regi placet, sicut ceteri homines per totam abbatiam. Recipient etiam dominum abbatem in expensis, quotiescunque necesse fuerit. Item volumus, ut nuncius noster una cum notario nostro censum nostrum colligant, et quod eosdem tempore solutionis iudex una cum pauperibus in expensis procurent. Ad siluam itaque exstirpandam damus viginti annos libertatis, et ad quinquaginta laneos concedimus locari ville cuiuslibet laneum unum liberum, et etiam decimum laneum, tabernam unam, molendinum unum, fabrum unum, sutorem unum, bancum panis unum, macellum unum, et de iudicio semper tertium denarium. Sed maiores culpas nobis reseruamus, cedet tamen iudici tertius denarius de eisdem. Quibus uiginti annis finitis soluet quilibet laneus dictam marcam pro censu, et scapulam et caseos et pullos et decimales episcopi et denarium ad pontem, et omnia iura alia et seruitia in terminis consuetis, et omnem exactionem regis, sicut illi de Alba ecclesia. Item si aurum uel argentum seu aliquod utile metallum in bonis inueniatur, volumus, vt pars debita nobis, prout decet, temporibus debitis assignetur. Ordinamus etiam, ut ciues, sepedictam ciuitatem inhabitantes, ex omni parte ciuitatis ad unum milliare in agris, in siluis, in pascuis et in omnibus aliis commodis, in quantum ecclesie nostre sufficit proprietas, liberam habeant facultatem. Et etiam, ne aliqua taberna infra iam dictum milliare in preiudicium sepedicte ciuitatis et grauamen, locetur uel construatur, duntaxat in bonis nostris inhibemus, nisi de licentia ciuium prefatorum. Inhibemus etiam, ne aliquis iudicum, siue ciuitatis eiusdem, siue alicuius noue plantationis, circa suum iudicium uendere seu commutare alicui presumat, nisi nostrum super hoc assensum prius requirat et fauorem, et tunc maxime de tali prouideat, qui nobis et fratribus nostris et etiam ecclesie nostre utilis ac fidelis existat. Item si infra prefatos annos libertatis hospites regis siue amici eiusdem pro defensione terre uel qualitercunque per Albam ecclesiam ad regem transeuntes pauperes ibidem residentes in aliquo leserint, propterea maiorem non concedimus eisdem, sed si inimici regis et terre ipsos deuastauerint, libertatem ampliorem ipsis non denegabimus, prout tempori et rationi uidebitur, sicut rationabiliter fuit exceptum coram nobis et conuentu nostro et nobilibus uiris, domino Zaschitone de Curovitz et domino Wseborio de Namyescz, et aliis quam pluribus. Vt autem omnia hec rata, firma et inconuulsa in perpetuum permaneant, presentem paginam sigilli nostri specialis atque conuentus memorati nec non predictorum domini Zaschitonis et domini Wsseborii sigillorum munimine firmiter fecimus roborari. Actum in Gradisch. Anno domini M. CC. LXXVI. In die translationis beati Wenceslai martyris.

Ex Annalibus Gradicensibus MSS.

CXXIII.

Macka, mater Ulrici de Drnoholec, accipit a monasterio Kaunicensi villam Branice ad tempora vitae. Dt. in Kaunice, XV. Kalendas Aprilis,
1276.

In nomine domini amen. Uniuersa negotia, que in suo statu cupiunt esse solida, voce testium et scripto fiunt firmiora. Notum sit igitur uniuersis, quod *Maczka,* mater domini *Ulrici* pie memorie, tam pro salute sua, quam pro remedio anime filii sui XXC. marcas argenti contulit *ecclesie sancte Marie Cunicensi* ibidem sepulti. Nos vero *N.(icolaus)* eiusdem ecclesie prepositus, magnam ipsius domine considerantes deuotionem, de consilio venerabilium patrum nostrorum domini *Iacobi* abbatis Syloensis, et *Thome* abbatis ecclesie Lucensis, visitatorum eiusdem anni, simul et consilio conuentus, villam *Branicz* cum appenditiis suis, videlicet agris, pratis, simul cum curia tempore vite sue ipsi domine libere concessimus possidendam. Addidimus nihilominus ei quemdam montem cum silua, discrete per terminos distinctum. Fauentes etiam sibi ad mensam suam, in proxima aqua nostra eiusdem ville piscari. De quibus bonis dicta iam domina ordinationi tali insistens, conuentui dominarum gratiam fecit talem: decem videlicet pallia pellibus subducta. quodlibet in vallore tertii dimidii fertonis singulis annis largiendo. Ordinauit etiam, ut lumen continuum in ecclesia ad sepulchrum filii sui, circa quod petiuit se tumulari, infra missam quotidie ardeat, et festis celebribus in vesperis et matutinis. Acta sunt hec in Cunicze anno domini M. CC. LXXVI. XV. Kalendas Aprilis. Ut autem presens scriptum maneat inuiolatum, sigillis venerabilium patrum domini Iacobi abbatis Syloensis, et Thome Lucensis, atque nostro in testimonium veritatis duximus roborandum. Debet autem predicta villa post mortem ipsius domine cum omni integritate rerum mobilium redire ad ecclesiam prenominatam.

Dlabacz — Nachricht von dem Prämonstratenser Frauenstifte zu Kaunicz in Mähren. Abhandlungen der k. böhm. Gesellschaft J. 1817. — Autographum in arch. monasterii Siloënsis adservatur.

CXXIV.

Compositio litis inter monasterium Gradicense et Budislaum de Hlubojat de capella ibidem in praejudicium ecclesiae in Polom aedificata. Datum Olomucii, VI. Idus Aprilis, 1276.

Alexius, decanus, et Cyrus, archidiaconus Olomucensis ecclesie, vniuersis presentem paginam inspecturis salutem in eo, qui est omnium vera salus. Nouerint uniuersi presentes et posteri, quibus legendum occurrerit presens scriptum, quod nos super causa, que orta fuit inter venerabilem dominum *Budis, abbatem Gradicensem,* ex una, et *Budyslaum de Hluboiat* ex parte altera, super eo, quod idem Budislaus capellam in eadem villa *Hluboiat* in preiudicium ecclesie eiusdem uenerabilis abbatis, site in *Polom,* suo et conuentus sui irrequisito consensu construxit, quamuis ipsa uilla ad eius parochiam in Polom iure debeat pertinere, electi arbitri unanimi assensu partium, imo partibus studiosis ad componendum, in ipsa causa, prout dictaret equitas, inter ipsos taliter, et ut uisum est nobis, satis eque decreuimus componendum: ut prefatus Budislaus et sui successores capellam in uilla Hluboiat sine contradictione abbatis et successorum eius et conuentus libere habere debeat perpetuo pleno iure, predicti abbatis capellano, plebano de Polom, sedecim mensuras Opauienses, octo uidelicet siliginis et octo auene, et dimidium fertonem argenti in pondere Olomucensi in uigilia b. Martini annis singulis ex integro soluturus, ita, ut quotiescunque huic nostre ordinationi Budislaus prescriptus contraire attemptauerit, negligendo pensionem reddere plebano ecclesie memorate, pene sub nomine teneatur ad decem marcas argenti, episcopo quatuor, tres Olomucensi capitulo, tres abbati et conuentui, ad quod et sui posteri tenebuntur. Ut autem hec nostra ordinatio inconuulsa permaneat, ipsam conscribi parti cauendo utrique, et sigillorum capituli nostri et nostrorum, nec non et eiusdem abbatis uenerabilis appensione decreuimus communiri. Actum anno domini MCCLXXVI. Presentibus: Nicolao preposito, canonico regulari. Prethborio, filio Benede. Andrea, plebano s. Marie in Olomucz. Victore, uicario. Domino Budislao de Wessele. Borzita de Sennicz. Gesutborio de Racowe. Lamberto de Bystrzicz, et aliis quam pluribus fide dignis. Datum in Olomucz. VI. Idus Aprilis.

Ex Annalibus Gradicensibus MSS.

CXXV.

Otakarus, rex Boëmiae et marchio Moraviae, confirmat decisam litem inter monasterium Gradicense et cives Olomucenses de limitatione villarum Hagějn et Bystrowany, et de tabernis monasterii. Dt. Brunae, IV. Kalendas Maji, 1276.

Ottacarus, dei gratia rex Boemie, dux Austrie, Styrie, Carinthie, marchio Morauie, dominus Carniole, Marchie, Egre ac Portus Naonis. Omnibus in perpetuum. Dignum et iustum est et consentaneum rationi, ut illa, que aguntur sollempniter, ad futurorum memoriam monumenta redigantur in publica, et precipue illa, que nostre iussit fieri preeminentia maiestatis. Per presens igitur priuilegium noscat tam presens etas quam successura posteritas futurorum, quod nos uolentes, ut circuitio uille *Bistrowici,* quam Robertus, olim uenerabilis abbas monasterii *Gradicensis,* a ciuibus Olomucensibus emit, facta ex parte *Holice* nostre et beneficii castri nostri Olomucensis, quod vulgo dicitur *Podstole,* quod tenet dominus de Wranowicz, et ex parte uillarum *Hodinan, Chwalkowicz, Bukowan et Bystricz,* ac circuitio uille *Hayczin,* que in priuilegiis ipsius monasterii continetur, nec non et missio dicti Budiss, venerabilis abbatis prefati monasterii, prefati

Roberti abbatis successoris in corporalem possessionem curie, balnei, arearum, tabernarum in uillis *Nakel*, *Luboss*, *Bunowici*, *Lassczan*, et hominum residentium in suburbio uel circa, quam circuitionem et missionem in corporalem possessionem ad decisionem litigii, quod inter predictum dominum Budiss ex una parte et ciues Olomucenses ex altera uertebatur, super terminis et bonis prefatis, uillarum scilicet Bistrowiczy et Hayczyn ac curie, balnei, arearum et hominum, in suburbio existentium Olomucensi, nec non et tabernarum predictarum in Nakel, Luboss, Bunowiczi et Lasczan, ut predictum est, consistentium, per dilectum fidelem nostrum Zaschit de Kurowicz una cum beneficiariis ipsius prouincie, vniuerso iure pleno ipsius monasterii fieri mandauimus, robur obtinere debeat perpetue firmitatis, easdem circuitiones terminatas per metas, que uulgo Kopczy dicuntur, et missionem in possessionem bonorum omnium predictorum, secundum quod per predictum Zaschit rationabiliter facte sunt, confirmamus, et eas ratas habentes auctoritatis nostre munimine duximus fulciendas, expressius inhibentes, ne aliquis contra istas circuitiones et missionem in possessionem venire, infringere aut immutare attemptet. Quodsi quis eas circuitiones et missionem in possessionem infringere, mutare, uel contra ipsas uenire temptauerit, et ecclesie memorate non satisfecerit, ipsum ad penam decem marcarum auri nobis soluendarum nomine pene nostre camere uolumus condempnare. Ad quarum confirmationis et ratihabitionis nostrarum robur perpetuo valiturum, presens priuilegium ad futuram memoriam et prefati monasterii cautelam fieri, et sigillis maiestatis nostre fecimus communiri. Datum Brune, per manus magistri Henrici, prothonotarii regni nostri et plebani in Gors. Anno dominice incarnationis **MCCLXXVI. VI. Kalendas Maii. IV.** indictionis.

Ibidem.

CXXVI.

Idem confirmat donationem villae Rozwadowice factam ecclesiae Olomucensi a domina Ludmila, relicta Zbislai de Rozwadowice. Actum Znoymae, et datum VI. Kalendas Junii, 1276.

Otakarus dei gratia rex Boemie. Dux Austrie, Styrie, Karinthie. Marchio Moranie. Dominus Carniole, marchie, Egre, ac Portusnaonis, Omnibus in perpetuum. Regie decet prefulgentis gloria maiestatis, vt quanto prerogatiua dignitatis preferuntur elatius, tanto maioris zelo deuotionis, illi conplacere studeant; per quem homo prerogatur hominibus, ac regnantium eriguntur solia et reguntur. Per presens igitur priuilegium noscat tam modernorum etas, quam successura posteritas futurorum, quod nos totis cupientes affectibus deuota placidaque prebere obsequia regi regum de cuius gratia erectos nos esse cognoscimus in apicem excellentie principalis, donationem quam *Ludmilla relicta Sbislai olim de Roswadouich* fecit *Olomucensi* ecclesie, ratam et firmam habemus. et eam auctoritate maiestatis regie confirmamus. volentes ut deinceps prefata Olomucensis ecclesia ex causa donationis prefate, teneat et possideat pacifice ac quiete dictam villam Roswadouich, cum pratis, siluis, nemoribus, uirgultis, piscationibus, agris, cultis et incultis, ac etiam cum omnibus iuribus cum quibus dictus Sbislaus, ante tempora mortis sue tenuit et possedit eamdem. In cuius ratificationis et confirmationis nostre testimonium et robur perpetuo ualiturum, presens priuilegium fieri, et sigillis maiestatis nostre fecimus communiri. Actum Znoyme, anno domini millesimo, ducentesimo, septuagesimo, VI. Datum per manus magistri Henrici prothonotarii regni nostri, VI. Kalendas Iunii. IIII. Indictionis.

Ex originali in archivo capituli Olomucensis. — Apographum in cod. Olomucensi I. membr. fol. 20. et in cod. Cremsiriensi B. VII.

CXXVII.

Idem concedit civibus Brunensibus, ut judex civitatis judicet homines in suburbiis habitantes. Dt. Znoymae, V. Kalendas Junii, 1276.

Otakarus dei gracia Rex Boemie. Dux Austrie, Styrie, Karinthie. Marchio Morauie. Dominus Carniole, Marchie, Egre ac Portusnaonis, Omnibus in perpetuum. In terris nostre ditioni subditis uigere dulcia tranquilli status otia totis desideriis affectantes, dum solicita mente singilatim quelibet discutiendo reuoluimus que pacem disturbent in ipsis, uidemus non modicum statui comodi communis officere, quod in quibusdam prouinciarum nostrarum partibus, de prisca et abusiua consuetudine, Ciuitatum Iudicibus, culpabiles in ipsis Ciuitatibus excedentes iudicare non licet, qui uel Baronum nostrorum uel aliorum quorumlibet dominio sunt subiecti, etiam si penes ipsas resideant ciuitates. Sequitur enim quod dum enormitas sceleris taliter pretrahitur impunis, dum penarum non cohercentur limitibus offensarum excessus, dum locus qui contumelie nota inficitur, exibitione satisfactionis debite non diluitur, datur facinorosis audendi deteriora fiducia, uia reseratur iniuriis, et liber quodammodo transitus nequitie apperitur. Quare cum Ciuitas nostra *Brunne* prefati mole abusus se grauari ac opprimi quereretur, nos eidem Ciuitati de mansuetudinis nostre clementia succurrentes presentis priuilegii tenore statuimus et eidem concedimus Ciuitati ut Brunnensis Iudex qui pro tempore fuerit homines habitantes in suburbiis Ciuitatis ipsius Brunne uel ipsi Ciuitati immediate connexis, de iniuriis ac culpis quas in ipsa Ciuitate commiserint, mediante iustitia valeant et debeant decetero sine contradictione aliqua iudicare. Ita tamen, quod illud in quo per eosdem iudices Brunnensis Ciuitatis, rei condempnati fuerint, ipsorum cedat dominis, sicuti si essent per ipsos dominos aut eorum Iudices sententialiter condempnati. Nulli ergo hominum et illorum specialiter ad quos homines in prefatis habitantes suburbiis spectare noscuntur, cuiuscunque condicionis fuerint siue clerici uel layci, hoc nostrum statutum aut concessionem violare audeat, uel ei presumat in aliquo contraire. Quod si quis temerariis temptauerit ausibus grauissimam indignacionem nostram se nouerit incursurum. In cuius statuti et concessionis nostre testimonium et robur perpetuo ualiturum presens priuilegium fieri et Sigillis Maiestatis nostre fecimus communiri. Actum Znoyme. Anno domini Millesimo, Ducentesimo, Septuagesimo, Sexto. Datum ibidem per manus Magistri Heinrici Prothonotarii Regni nostri, et Plebani in Gors. Quinto Kalendas Iunii. IIII. Indiccionis.

Ex originali ejusdem civitatis cum sigillo laeso. — Apographum in codice MS. jurium municipalium Brunensium saec. XIV.

CXXVIII.

Idem homines monasterii in Řjše (Neureusch) a mulctis sive poenis pecuniariis solvendis eximit. Dt. in „Prseschep", VIII. Idus Junii, 1276.

Othakarus, dei gracia Rex Boemie, dux Austrie, Stirie, Karinthie, marchio Morauie, dominus Carniole, Marchie, Egre ac Portus naonis, omnibus in perpetuum. Dignum et iustum est et consentaneum racioni, ut, quocies per suorum peticiones fidelium, que tamen ab equitatis tramite non discordent, regia magestas requiritur, eis annuens debeat sue benignitatis oculo arridere, eoque maxime, quo pia causa exigit, et merita postulant personarum. Inde est, quod, cum conuentus monasterii in *Rius* nostre celsitudini humiliter supplicarit, ut ob diuine remuneracionis intuitum vniuersas mulctas siue penas pecuniarias, in quibus homines monasterii ipsorum per iudices et beneficiarios terre Morauie mediante iuris ordine et iusticia in iudiciis prouincialibus per sentencias aliquando condempnantur, ipsi monasterio et conuentui in Reus, quemadmodum pluribus aliis monasteriis per morauiam graciose contulimus, ad utilitatem et profectum ipsius conuentus largiri de speciali nostra gracia dignaremur. Nos attendentes peticiones ipsius conuentus ab equitatis non deuiare tramite, et si eisdem annueremus, pium esse negocium, ac ipsi deo ob petencium merita fore plurimum placiturum, dicti conuentus prefati monasterii peticiones libenter admisimus, et ei prenominatam imunitatem de benignitate solita duximus liberaliter concedendam; volentes, ut vniuersi iudices et beneficiarii terre Morauie a singulis hominibus monasterii predicti in Reus pro quibuslibet mulctis siue penis pecuniariis, in quibus per eos mediante iuris ordine et iusticia condempnati fuerint, nullam pecuniam exigere siue recipere presumant, si grauem indignacionem nostram diligunt euitare. Sed de causis, que contra homines prenominati monasterii et conuentus in Reus preposite fuerint, plenius cognoscentes, de mulctis siue penis pecuniariis, que ex ipsis causis prouenerint, predictum conuentum in Reus ordinare permittant libere pro sue libitu uoluntatis, impedimento quolibet procul moto. Ut autem hec nostra donacio perpetuam roboris obtineat firmitatem, presentes conscribi, et sigillorum nostrorum munimine fecimus roborari. Actum et datum in prseschep per manus magistri Henrici, prothonotarii nostri, plebani in Gors. Anno domini millesimo ducentesimo septuagesimo sexto, octauo Idus Iunii.

Ex originali ejusdem monasterii cum sigillo illaeso.

CXXIX.

Časta de Chřelow vendit monasterio Gradicensi duas silvas inter villas Chomutow et Březj jacentes. Dt. Olomucii, die 4. Julii, **1276.**

Humanis ordinationibus, contractibus atque pactis, utpote caducis ac mutabilibus, consueuerunt rationabiliter adhiberi testimonia fide digna, quatenus non pateat locus fraudibus, et decidatur materia iurgiorum. Innotescat igitur presentibus et posteris vniuersis, quod ego *Chasta de Chrelow* duas siluas, ad me iure spectantes hereditario, iacentes circa uillas Gradicensis ecclesie *Chomut et Bresci,* unam inter flumina *Morauam et Oskauam,* aliam uero inter *Morauam et Morauicze,* uendidi libere absque omni contradictione uenerabili domino Budis abbati et conuentui ecclesie *Gradicensis* iure hereditario perpetuo possidendas, pro uiginti sex marcis argenti et fertone, ex quibus sex marcas et fertonem in remedium animarum predecessorum meorum et mee legaui ecclesie supradicte; reliquas autem uiginti marcas argenti habeo, et coram beneficiariis Olomucensibus protestor publice me plenarie recepisse, facta insuper protestatione publica contractus memorati coram preuisis beneficiariis in prouinciali iudicio, prefatum abbatem et conuentum in possessionem siluarum predictarum duxi plenariam, metis certis ac notabilibus, que uulgo Kopczi dicuntur, sub eorum testimonio secundum ius terre, ab omni parte per circuitum assignatis; reseruatis mihi duntaxat uite mee tempore in eisdem siluis licitis uenationibus et pascuis tabellarum. Ceterum duos piscatores in *Sedlisk* ratione prefati contractus recepi ab ipso abbate et conuentu, similiter tantum tempore uite mee, cuius completo curriculo ad ipsum et conuentum suum hec omnia sine strepitu litium ex integro reuertentur. Ut autem hec mea uenditio rata maneat, et prefatus abbas uel conuentus a nullo successorum meorum, puerorum, consanquineorum uel affinium super ipso contractu, tam publice celebrato, ualeat imposterum indebite lacessiri, ipsi presens scriptum assignandum duxi, sigillorum uidelicet Cunonis camerarii, Woyslai iudicis, Ioannis uillici regis in Olomucz, Wsseborii camerarii, et mei specialis munimine roboratum. Testes uero huius rei sunt: Zwetik, uillicus Cunonis camerarii. Radoslaus de Hostek, et Pih, Pohonczy. Martinus de Chwalkowicz, uillicus domini Nezamisl, burgrauii de Nelesowicz, et Martinus de

Sennicz, pohonczy. Lutmir, subuillicus Iohannis Wawrzik de Woinicz, et Heniczo, de castro Olomucensi pohonczy. Swatoslaus cecus de suburbio, subuillicus Woyslai, iudicis Olomucensis. Ex nobilibus quoque Pardus de Horka. Budislaus de Nezamislicz. Stanimir de Zborowicz. Daleborius de Polcowicz. Borzuta de Sennicze. Wilchko, forestarius Regis de Usow, et alii quam plures. Actum et datum in Olomucz, anno domini MCCLXXVI. in die beati Procopii abbatis.

Ex Annalibus Gradicensibus MSS.

CXXX.

Alexius, archidiaconus Znoymensis, protestatur, villam Němčice spectare ad parochiam in Schatow. Datum apud Znoymam, die 9. Augusti, **1276.**

Alexius miseratione diuina archidiaconus Znoymensis. Omnibus hanc litteram inspecturis salutem in domino sempiternam. Notum sit vniuersitati vestre, quod causa quedam inter venerabilem dominum Theodericum abbatem de *Luca* ex vna parte, et nos ex parte altera vertebatur, super iure parochiali et decima ville de *Nemsitz,* quam villam nos ad parochiam in *Vrbow,* spectare putabamus, iure parochiali; domino abbate in contrarium asserente quod ad parochiam in *Schatow* spectaret, et hoc paratus esset proborum virorum testimonio approbare. Nos autem hoc audientes, decimam supradicte uille iussimus sequestrari, et de consensu aduerse partis, scilicet domini abbatis, in modum compromissionis supra dictam causam in totum magistro Heinrico de Vitis plebano, et domino Hermanno decano Znoymensi commisimus terminandam, qui accedentes ad locum in Dyax, testes audiuerunt examine diligenti. Compertis igitur et auditis dictis testium inuenerunt per eadem dicta, quod supra dicta villa de Nemsitz iure parochiali spectaret in Schatow parochiam ex antiquo, propter quod supradicti domini, scilicet magister H. plebanus de Witis et dominus H. decanus Znoymensis, adiudicauerunt domino abbati, et parochie in Schatow supradictam villam, et decimas supradictas. Ideoque nos huic facto sicut de iure oportebat fauorem prebuimus et assensum, ne ex aliena iactura locupletari velle aliquatinus videremur. Et ne alicui super eo dubium oriatur id littera nostra protestamur, et sigilli nostri munimine confirmamus. Datum apud Znoym anno domini M. CC. LXXVI. In vigilia sancti Laurentii martiris.

Ex originali monasterii Lucensis cum sigillo integro.

CXXXI.

Ordinatio pacis et concordiae inter Romanorum et Boëmiae reges. Actum in castris ante Viennam, XI. Kalendas Decembris, 1276.

Nos Berhtoldus Herbipolensis, Bruno Olomuzensis episcopi, Luodewicus, comes Palatinus Reni dux Bawarie, . . marchio Brandeburgensis, arbitri dominorum Romanorum et Boemie regum, super questionibus que inter ipsos super diuersis terris et principatibus uertebantur, arbitrando pronuntiamus, quod reuocentur et retractentur, immo reuocate sint, omnes sentencie proscripcionis, excommunicacionis, interdicti, priuationis, et quecumque alie promulgate contra dominum *Otakarum regem Boemie* et adherentes sibi, quocumque nomine censeantur. Item pronunciando arbitramur, quod inter ipsos Romanorum et Boemie reges plena sit concordia, pax firma, et sincera reconciliacio sine qualibet capcione; et seruitores utriusque regum, quocumque nomine censeantur, huiusmodi paci concordie ac reconciliacioni cum sinceritate firmissima includantur, castris eorum, municionibus, possessionibus et hominibus, contra ius ab alterutro regum ipsis ablatis vel a suis, cum integritate debita restitutis. Item arbitramur, quod dominus O. rex Boemie cedat simpliciter et precise omni iuri quod habebat uel habere uidebatur in terris et hominibus, cuiuscumque condicionis existant, Austria uidelicet, Styria, Karinthia, Carniola, Marchia, Egra et Portu Nahonis. Item arbitramur, quod deinceps non impediat archyepiscopos, episcopos, comites, barones, ministeriales, et quoscumque alios, quocumque nomine nuncupentur, in possessionibus, castris, municionibus, iuribus et hominibus eorum, sitis in terris superius nominatis. Item pronunciamus liberos et solutos omnes utriusque partis obsides et captiuos et fideiussiones, quocumque nomine censeantur. Item pronunciamus, quod dominus R. serenissimus Romanorum rex, exceptis terris et hominibus supradictis, infeudabit dominum O. regem Boemie et liberos suos de omnibus feudis, uidelicet Boemia, *Morauia,* et aliis quibuscumque, que progenitores sui et ipse ab imperio de iure noscuntur hactenus tenuisse. Et ut predicta pax, concordia et reconciliacio firmitatem perpetuam obtineant, et partes mutuo se sincerius diligant, et coniuncti efficacius in plena amicicia solidentur, pronunciamus arbitrando, quod dominus O. Boemie rex tradat suam filiam . . in uxorem . . filio domini R. regis Romanorum, et iam dictus O. Boemie rex dabit seu eciam resignabit simpliciter et precise domino R. regi Romanorum terras et possessiones in Austria, quas hactenus proprietatis uel feudi tytulo tenuit uel sua pecunia comparauit, et easdem terras siue possessiones dominus rex Romanorum suo filio . . obligabit pro quadraginta milibus marcarum argenti, quas eidem filio in donacionem propter nuptias deputabit; saluis in utroque casu archiepiscopis, episcopis, comitibus, baronibus, ministerialibus et aliis hominibus quibuscumque, iure quod in castris, municionibus, possessionibus et feudis, que uacare ceperunt eisdem in districtu dicte terre, habent seu hactenus habuerunt; et eandem terram dominus rex Romanorum uel successor ipsius qui pro tempore fuerit, ab ipso filio suo . . redimet pro pecunia nominata; et si idem filius sine herede decesserit, predicta bona apud imperium remanebunt, nec ad uxorem ipsius, filiam regis Boemie, quicquam de bonis huiusmodi deuoluetur. Item dominus noster R. Romanorum rex tradet suam filiam . . in uxorem . . filio domini O. regis Boemie, et dabit rex Romanorum filio regis Boemie quadraginta milia marcarum argenti dotalicii nomine, et pro illis obligabit sibi redditus quatuor milium marcarum argenti in terra Austrie ultra Danubium uersus Boemiam Morauiam et Vngariam, Chremsa et Stein opidis cum suis attinenciis dumtaxat exceptis; saluis etiam in hoc casu archiepiscopis, episcopis, comitibus, baronibus, ministerialibus, et aliis hominibus quibuscumque, iure quod in castris, municionibus, possessionibus et feudis, que uacare ceperunt eisdem in districtu dicte terre, habent seu hactenus habuerunt; et si quid defuerit de summa superius iam expressa in redditibus dicte terre, supplebitur in alia parte Austrie citra Danubium, prout nos quatuor arbitri duxerimus ordinandum uel qui a partibus nobis fuerint subrogati; et si aliquid superfuerit, hoc Romanorum regi et imperio sine difficultate qualibet remanebit. Verum si filius regis Boemie sine herede decesserit, dicta terra ultra Danubium penes regem Boemie tytulo pignoris remanebit, nec ad uxorem ipsius . . filiam regis Romanorum, quicquam de bonis huiusmodi deuoluetur, et dominus rex Romanorum uel successores ipsius dictam terram redimendi pro quadraginta milibus marcarum argenti a rege Boemie habebunt liberam facultatem. Inter cetera specialiter arbitramur, quod dominus noster rex Romanorum recipiat specialiter in suam graciam et fauorem Baltramum et magistrum Chunradum notarium, cives Wiennenses, cum suis parentibus et amicis, et civitatem Wiennensem cum omnibus civibus et hominibus iuribus et possessionibus ipsis attinentibus, nec permittet eos indebite molestari; libertatibus priuilegiis et immunitatibus eorum per omnia reseruatis; reuocatis omnibus latis sentenciis contra eos. Item specialiter arbitramur, quod magister Vlricus notarius in ecclesia Wiennensi per regem Boemie presentatus, notarii, capellani et alii clerici in terra Austrie, Styrie et alibi, ecclesias uel ecclesiastica beneficia et possessiones alias obtinentes contra ius nullatenus offendantur, possessione uel quasi preter iuris ordinem spolientur. Item pronunciamus arbitrando, quod illustris rex Vngarie cum suis quo ad plenam amicitiam cum domino rege Boemie ac suis presenti concordie includantur; ita quod quicquid de castris, civitatibus, municionibus, iuribus et possessionibus et hominibus regis Vngarie tenet uel possidet rex Boemie siue sui, sine difficultate qualibet restituat et dimittat libere absoluta, nec deinceps impediat in eisdem; et hoc idem pro rege Boemie et suis per regem Vngarie et suos erit sine capcione qualibet obseruandum; saluis utrique regum terrarum suarum limitibus et terminis, sicut ab antiquo tempore sunt distincti. Et quicumque regum eorundem dicte pacis et concordie fuerit uiolator, contra talem dominus rex Romanorum obseruanti pacem et concordiam, assistet consilio auxilio et fauore. In cuius rei testimonium presentes litteras sigillis nostris placuit communiri. Actum in castris ante Wiennam, anno domini M. CC. LXX. sexto, XI. Kalendas Decembris. Et quia H. lantgravius de Hassia premissis interfuit, sigillum suum presentibus est adiectum.

Pertz — Monumenta Germaniae IV. pag. 408. — Gerbert — Codex epist. II. 200. — Rauch — Oesterr. Geschichte III. Anhang p. 46.

CXXXII.

Rudolfus, Romanorum rex investit Otakarum de regno Boëmiae ejusque attinentiis, nec non marchionatu Moraviae. Dt. in castris ante Viennam, VII. Kalendas Decembris, 1276.

Rudolphus dei gratia Romanorum rex semper augustus uniuersis sacri Romani imperii fidelibus presentes literas inspecturis gratiam suam et omne bonum. Tenore presentium recognoscimus publice profitentes, quod nos illustrem *Ottacarum Bohemie regem,* principem nostrum charissimum *de regno Bohemie suisque attinentiis, nec non de marchionatu Morauie,* ceterisque omnibus, que a nobis et imperio in feudum obtinere de iure dinoscitur, *ex regali dignitate consueta inuestimus,* ac eidem principatus predictos cum omnibus ipsorum obtinentiis duximus concedendos a nobis et imperio in feudum perpetuo obtinendum. In cuius rei testimonium presens scriptum maiestatis nostre sigillo iussimus communiri. Datum in castris ante Wiennam, VII. Kalendas Decembris. Indictione V. Anno domini MCCLXXVI. Regni vero nostri anno IV.

Balbin — Dec. I. L. 8. vol. I. pag. 21. — Lunig — VI. 10.

CXXXIII.

Rudolfus et Otakarus reges ratam habent factam per arbitros inter se concordiam (additis nominibus liberorum, quorum nuptiae spondebantur). Dt. in castris ante Viennam, VI. Kalendas Decembris, 1276.

Nos Rodolfus dei gracia Romanorum, et Otakarus Boemorum reges, vniuersis Christi fidelibus, ad quos presentes litere peruenerint, notitiam subscriptorum. Quia conditionis humane fragilitas, omnium non potest habere memoriam, nichilque in ea stabile perseuerat, necessarium et utile est, ut uite presentis negotia, ne obliuionis caligine obfuscentur, fideli scripture testimonio in thesauris memorie fideliter reponantur. Noscant igitur tam presentes quam posteri, quod cum nos predicti reges, de omni questione seu causa, que super principatibus siue terris Austrie, Styrie, Karinthie, Carniole, Marchie, Portusnaonis et Egre, ac ministerialibus, iuribus et terrarum ipsarum attinentijs vniuersis, inter nos hinc inde non sine magno dispendio mouebatur, compromisissemus, Nos Rudolfus Romanorum rex pro nobis, imperio, atque nostris, in Bertoldum, Herbipolensem episcopum, et Ludowicum comitem palatinum Reni ducem Bawarie, Nos autem Boemorum rex pro nobis et nostris in Brunonem Olomucensem episcopum, et Ottonem marchionem Brandenburgensem venerabiles et illustres principes, tamquam in arbitros, arbitratores, seu amicabiles compositores, prout hec in instrumentis super eo confectis plenius continentur, iidem arbitri, arbitratores seu amicabiles compositores in presentia venerabilium Wernheri Maguntini, et Friderici Salzburgensis archiepiscoporum et Bertoldi Babenbergensis, Leonis Ratisponensis, Petri Pattauiensis, Chunradi Frissigensis (sic), Brunonis Brixiensis, Dittrici Gurcensis et Iohannis Chymensis, episcoporum, ac eorumdem applaudente sententia, consilio, et consensu auctoritate compromissi, diffinierunt causam, seu questionem huiusmodi in hunc modum: *(Nos Bertoldus .. Dt. in castris ante Wiennam, anno Domini MCCLXXVI. etc... ut supra sub n. CXXXI. insertis tamen nominibus p. 180. l. 9. Otto; p. 181. l. 6. Chunegundim; l. 7. et 11. Hartmanno et l. 14. Wenceslao.)* Nos autem Rudolfus Romanorum et Otakarus Boemie reges predicti ordinationem, pronunciationem, arbitrium, siue dictum, supradictorum arbitrorum, arbitratorum, seu amicabilium compositorum, sub forma prehabita, de consilio et approbatione supradictorum principum tam concorditer promulgatum, approbantes, seu emologantes expresse, ipsique perpetuo stare uolentes, id a nostris successoribus inuiolabiliter uolumus obseruari. In cuius emologationis expresse euidens argumentum, sigilla nostra una cum predictorum arbitrorum, arbitratorum seu amicabilium compositorum, et illustris H. lantgrauij Hassie qui premissis interfuit, sigillis presentibus sunt appensa. Actum et datum in castris ante Wiennam, Anno domini Millesimo, ducentesimo, septuagesimo sexto. VI. Kalendas Decembris.

Fürst E. M. Lichnowsky — Geschichte des Hauses Habsburg — ex autographo arch. c. r. aulici Vindobonac. — Pertz — Monumenta IV. 408.

CXXXIV.

Protestatio, Otakarum Rudolfo regi de terris Austriae, Styriae, Carinthiae et Carniolae cessisse, et ab eodem regno Bohemiae et marchionatu Morariae infeudatum esse. Dt. Viennae, III. Kalendas Januarii, **1276.**

Nos L. Ratisponensis episcopus, L. comes Palatinus Reni dux Bawarie, H. landgrauius Hassie. Vniuersis presentes litteras inspecturis, noticiam subscriptorum. Veritatis amica simplicitas, dolo et fraudibus inimica, nos inducit, vt obliuioni, que veritatis posset esse obstaculum, per ea, que vidimus, quibus interfuimus, et nobis mediantibus sunt tractata, cautela prouida et oportuno testimonio occurramus, ne ipsa veritas per nostri absenciam valeat absorberi. Hinc est, quod cum inter serenissimum dominum nostrum *Rudolfum, Romanorum regem* semper augustum ex una parte, et magnificum *Ottokarum regem Boemie* ex parte altera, super diuersis principatibus, terris, castris, municionibus et hominibus, questionis materia verteretur, et utrinque fuisset eatenus aggrauata, quod non tantum rerum temporalium, immo animarum fidelium periculum timebatur: talis inter dictos reges compositio intercessit, nobis et reuerendis patribus B. Herbipolensi, et B. Olomucensi episcopis, et illustri principe O. marchione Brandenburgensi, et viro nobile Fr. burggrauio de Nurnberg mediantibus, quod magnificus princeps, dominus O. rex Boemie, renunciaret simpliciter et precise, sicut et postmodum fecit publice, principatibus, et terris, castris, municionibus, possessionibus et hominibus, cuiuscunque condicionis existunt, Austrie, Styrie, Karinthie, Carniole, Marchie, Egre et Portunahonis, et omni iuri, si quod ei in predictis vendicionis, permutationis, feudi, uel quocunque alio titulo competebat, uel competere uidebatur. Et serenissimus dominus Rf. Romanorum rex, infeudaret, sicut et hylariter adimpleuit, dominum O. inclytum regem Boemie, regno Boemie, marchionatu Morauie, et aliis feudis, que progenitores sui ab imperio noscuntur hactenus tenuisse, aliis et inter ipsos reges pactis et conuencionibus interuenientibus, que in litteris, super eis confectis, plenius continentur, quibus omnibus nos interfuisse presentibus litteris profitemur, et testimonium in nostras consciencias perhibemus, predicta omnia ita esse facta, et per dictum regem Boemie ad manus gloriosissimi domini nostri Rud. Romanorum regis, voluntarie consummata, et liberaliter approbata. In cuius rei testimonium ad eternam rei memoriam presentes litteras sigillis nostris placuit communiri. Datum Wienne III. Kalendas Ianuarii, indictione V. anno domini MCCLXXVI.

Pertz — Monumenta IV. 409. — Gerbert — Auct. dipl. pag. 201.

CXXXV.

Capitulum Olomucense testatur, Victorem vicarum judicium in Krčmany emphiteutice elocasse. 1276.

In nomine domini amen. Nos Allexius decanus. et Cyrus archidiaconus totumque Olomucensis ecclesie capitulum tam presentibus quam posteris tenore presencium fideliter protestamur. quod Victor vicarius eiusdem ecclesie nostro ex consilio et assensu iudicium ville dicte *Kyrchman* ad suam pertinens prebendam in promocionem ipsius ecclesie ac suorum incrementum successorum locauit Meynhardo iure emphyatico quod *Burcreht* dicitur in wlgari sibi et suis successoribus perpetuo possidendum. Ista uero cum prefato iudicio idem Mey(nhardus). pistorum. fabrum. balneum. piscaciones in viuario. de iudiciis et culpis tercium dennarium obtinebit. Emenda uero que se ad duos solidos extendit pro ipso iudice remanebit. Cetera vero omnia siue census siue honores sine omni diminucione ad dominum tantummodo pertinebunt. Nulli uero eidem Mey(nhardo). iudici. iudicium licebit vendere. nisi de sui domini gracia ac licencia speciali. Census vero dicte ville talis erit. de quolibet laneo tertius dimidius ferto argenti optimi. Cuius census dimidia pars dabitur in festo beati Yeorgii. videlicet per V. lottos (lottones?) de laneo. Item in festo beati Martini reliqua pars dabitur de censu. similiter per V. lottones domino ville predicte. Dabunt eciam dicti coloni eiusdem ville de quolibet laneo suo domino in natiuitate domini per duos bonos pullos. Item dabunt eciam dicti coloni in festo Mychahelis per duos pullos suo domino similiter. Item in Pascha. per XX. IIII. ova laneo de quolibet. dabunt suo domino similiter. Dabunt eciam predicti coloni in Penthecosten. per duos caseos bonos de quolibet laneo. domino supradicto. Huius vero testes sunt hii. Bartholomeus, Voyzlaus. Thomas. Petrus. Budizlaus. Lambertus. Harthmannus. canonici

Olomucenses. Wzezlaus. Lupellus, Rynoldus. Iohannes. Balduinus. Thechoncius. Wyzundo. eiusdem ecclesie vicarii. Hyncho. Pribizlaus. Olricus. Tyrwardus. Cyues eciam eiusdem ciuitatis. Martynus officialis domini burcrauii. et alii quam plures. In cuius rei memoriam presentem paginam. sigillo. capituli nostri. et nostris iussimus communiri. Acta sunt hec autem. Anno domini. M. CC. LXX. VI.

Ex originali in arch. capituli Olomucensis. — Apographum in codice Olomucensi I. chart. pag. 69. et Cremsiriensi n. 126.

CXXXVI.

Bruno, episcopus Olomucensis, confirmat conventionem inter capitulum Boleslaviense et monasterium Kaunicense de denariis decimalibus. Datum Cremsirii, III. Nonas Januarii, 1277.

Nos Bruno, dei gracia ecclesie Olomucensis episcopus. Vniuersis Christi fidelibus, ad quos presens scriptum peruenerit, salutem in domino. Quia ex iniuncti nobis officii cura honestas et approbate consuetudinis ordinationes, que in fidelium Christi vtilitatem crescunt, ad petentium vota sollicite debemus assensu fauorabili stabilire: vniuersis Christi fidelibus tam presentibus quam futuris notum esse volumus intuentibus presens scriptum, quod ordinationem inter dominos canonicos, Pardum prepositum, Wseslaum decanum, Theodoricum scolasticum, totumque capitulum *Boleslauiensis* ecclesie ex vna parte, et virum religiosum, dominum Nicolaum, *Chunicensis* cenobii venerabilem prepositum ex altera, super solutione decimalium denariorum in XVI ecclesiis, situatis in Snoymensi prouincia, honestam et vtilem reputantes, ipsam presentis scripti serie solidamus fauorabiliter confirmantes, que ordinatio subsequentibus declaratur: *(Magister Pardus prepositus etc. Actum et datum Boleslauie,* 1276, *in vigilia epiphanie domini. Vide n. CXXI.)* Volentes ergo pretaxatam ordinationem in suo vigore permanere, maxime ne aliquis scrupulus ambiguitatis in posterum resultaret, presentem paginam conscribi fecimus, sigilli nostri munimine roboratam. Dantes vniuersis et singulis plebanis et rectoribus ecclesiarum premissarum auctoritate ordinaria in mandatis, ut eosdem decimales prefato preposito suo et suis successoribus ante festum beati Martini uno die, vel in ipso die beati Martini confessoris in omnem euentum integraliter sine omni contradictione persoluant. Acta sunt hec anno domini MCCLXXVII. Datum in Cremsir III. Nonas Ianuarii.

E codice Olomucensi I. chart. pag. 70.

CXXXVII.

Otakarus, rex Boëmiae et marchio Moraviae, civitati Opaviensi silvam juxta Křipow concedit. Dt. Brunae, XII. Kalendas Maji, **1277.**

Nos Otakarus dei gratia presentis tenore priuilegii notum fieri volumus uniuersis tam istius etatis hominibus quam future, quod nos affectantes ut ciuitas nostra *Opauia* de nostre munificentie gratia meliorationis suscipiat incrementa ciuibus eiusdem ciuitatis siluam sitam iuxta *Ksrippaw,* quam ipsis olim vendideramus ab antiquo, ad prefate ciuitatis Opauie meliorationem et commodum denuo concedimus, ab ipsis ciuibus perpetuo possidendam. Volentes, ut iidem ciues ac heredes ipsorum, et deinceps ipsam siluam teneant et possideant ad ipsius meliorationem ut diximus ciuitatis, pacifice et quiete. In cuius rei testimonium et robur perpetuo valiturum presentes fieri et sigillis maiestatis nostre fecimus communiri. Actum et datum Brunne, per manus magistri Henrici prothonotarii regni nostri et plebani in Gors. Anno domini Millesimo ducentesimo septuagesimo septimo. XII. Kalendas Maii.

E codice MS. privilegiorum Opaviensium in museo ibidem.

CXXXVIII.

Idem confirmat literas Alexii, archidiaconi Znoymensis, super jure parochiali villae Němčice. Dt. apud Znoymam, IV. Kal. Maji, **1277.**

Bruno dei gracia episcopus Olomucensis, omnibus hanc litteram inspecturis, salutem in domino. Quia venerabilis dominus Theodericus abbas ecclesie *Lucensis,* et dominus allexius, prepositus Olomucensis, tunc archidiaconus Znoymensis, in causa que inter ipsos vertebatur super iure parochiali ville de *Nemsicz,* per compromissionem in arbitros concordauerunt, qui de uoluntate partium vtrarumque terminauerunt causam, quemadmodum in litteris dicti domini apparet, cuius tenor talis est. *(Alexius, miseratione diuina archidiaconus Znoymensis etc. Datum 1276 in vigilia s. Laurentii Vide num. CXXX.)* Nos igitur huiusmodi processum gratum et ratum habentes, secundum quod rite factus est ipsum auctoritate nostra ordinaria confirmamus, et sigilli nostri munimine communimus. Nulli ergo omnino hominum liceat, hanc nostre confirmationis paginam infringere, uel ei ausu temerario contraire. Datum aput Znohim, anno domini M. CC. LXX. VII. IIII. Kalendas Maii.

Ex originali duplici, quorum alterum datum Brunae III. Kalendas Maji prae se fert, in archivo ejusdem monasterii.

CXXXIX.

Forma pacis inter Romanorum et Boëmiae regem renovatae a mediatoribus ipsis protestatur. Dt. Viennae, pridie Nonas Maji, **1277.**

Nos Bruno dei gracia Olomucensis episcopus, Zmilo purchrauius Vetouiensis, magister Vlricus notarius, procuratores et nuncii speciales domini O. Boemie regis illustris, significamus tenore presencium vniuersis, quod nos cum viro nobili domino Friderico, purchrauio de Nurenberch, plenum mandatum habente, post multos tractatus, hinc inde super pace reformanda habitos, pari voto, et consensu vnanimi, sicut placuit pacis Auctori, pacem, amiciciam et vnionem indissolubilem, et perpetuo duraturam ordinauimus, statuimus, approbauimus, et firmauimus, inter dominos nostros *Romanorum et Boemie reges* illustres, sub modis, pactionibus, seu condicionibus, in iam dicti domini Romanorum regis patentibus et autenticis litteris, comprehensis, quorum tenor talis est: Nos R. dei gracia Romanorum rex semper augustus, notum facimus vniuersis, presentes litteras inspecturis, simpliciter, et publice nichilominus profitentes, quod formam pacis, inter nos ex vna, et inclytum O. regem Boemie ex altera parte, per venerabilem Olmucensem episcopum, Zmilonem, purchrauium Vetouiensem, et magistrum Vlricum, notarium eiusdem regis, et nobilem Fridericum, purchrauium de Nurenberch, prouide ordinatam, in omni sui parte, et singulis suis articulis, inuiolabiliter obseruare promittimus, prout est inferius annotata. In primis siquidem obsides et captiui, ab utraque parte ante pacem ordinatam, et post dati mutuo et detenti, a proxima die dominica nunc instante, infra quindecim dies debent restitui pristine libertati, ab omni prorsus obligacione, fideiussione, seu exaccione pecunie, indempnes penitus, et inmunes, nisi fortassis pro eis uel aliquibus eorum ante pacis ordinacionem aliquid sit solutum, ad cuius restitucionem is, cui solucio facta fuit, minime obligatur. Item vt inter nos et regem predictum specialis amicicie federa forciori vinculo solidentur, filiam nostram eiusdem regis Boemie filio dare promittimus in vxorem, et ei ciuitatem imperii, *Egram* scilicet, cum omnibus attinenciis suis, castris, possessionibus, hominibus et aliis quibuscunque, que dictus Bohemie rex ad presens tenere dinoscitur, pro decem milibus marcarum argenti, nomine dotalicii, siue dotis, titulo pignoris obligamus. Preterea omnia castra, municiones, possessiones et oppida, ad ducatum *Austrie* pertinencia, que per ipsum regem Boemie, uel fautores, seu adiutores ipsius actenus occupata fuerint, restituentur nobis, et nostris fautoribus et eciam adiutoribus cum integritate plenaria, *metis Boemie, Morauie et Austrie,* in eo statu manentibus, quo tempore clare memorie Leupoldi, et Friderici, ducum Austrie, ab iisdem ducibus sunt possesse. Nos etiam similiter omnia castra, municiones, possessiones et oppida, ad *regnum Boemie*, et *marchionatum Morauie,* de iure spectancia, que per nos uel nostros, eidem regi et suis, per iniuriosam violenciam sunt subtracta seu occupata, ipsi regi et suis restituemus integre, et faciemus restitui uice uersa. Excepto dumtaxat *Nicolspurch,* in cuius possessione F. de Liehtenstain, cuius feudum esse dinoscitur, permanebit pacifice et quiete. Preterea *Chrumenaw* ei, ad quem de iure pertinet, assignari debebit. Insuper castrum *Mœrtnitz,* Alexio militi ipsius regis Boemie, et castrum *Durrenholz* debet restitui ipsi regi. Si quam tamen predictus rex Boemie pecuniam debet Heinrico de Chunringen, marscalco nostro per Austriam, uel ipsius vxori, illam exsoluet eisdem, et iidem H. uel vxor ipsius contra predictum regem super iam dicto castro *Durrinholz* habuerint aliquam accionem, idem rex, ad dictum Olmucensis episcopi et purchrauii predictorum, qui sub iuramenti debito questionem huiusmodi diffinient, exhibebit eisdem iusticie conplementum. Preterea huiusmodi conposicioni et paci generaliter includimus quoslibet seruitores nostros et adiutores, et nostris de Bohemia et Morauia adiutoribus et seruitoribus, conposicioni presenti includi et stare volentibus, sepedictus rex Boemie restituet omnia, que ante guerram, uel post, de eorum hereditatibus, allodiis et feudis notorie occupauit. Si uero huiusmodi iniuriosa occupacio dubia fuerit, per predictos . . Olmucensem episcopum, et purchrauium, sub iuramenti debito decidetur huiusmodi questio iusticia, uel amore; ipsos eciam nostros de Boemia et Morauia seruitores, et quoslibet alios nostros adiutores, ipse rex Boemie plene gracie sue restituet, et donabit. Nos eciam uice uersa omnibus adiutoribus, et seruitoribus dicti regis Boemie, per Austriam, Styriam, Karinthiam, Carniolam et Marchiam, plene nostre gracie restitutis, omnia, que in hereditatibus, feudis, et allodiis ipsis notorie per nos uel nostros abstulimus, plene restituemus et restitui faciemus. In dubio vero, quicquit Olomucensis et purchrauius sepedicti, nos facturos, sub iuramenti debito pronuntiauerint, faciemus. Preterea si, quod absit, nostrorum aliquis seruitorum per ipsum regem Boemie uel adiutores ipsius grauabitur, ipsum regem, si grauamen notorium et euidens fuerit, per nuncios nostros super reuocacione et ratractacione huiusmodi grauaminis interpellare tenebimur, qui rex, si interpellatus, grauamen huiusmodi notorium, et per rei euidenciam manifestum non reuocauerit, non fecerit retractari, nos adiutores nostros, huiusmodi passos iniuriam, possumus et tenebimur iuuare. Quod in casu conuerso circa seruitores regis Boemie erit per omnia obseruandum. Si uero grauamen, nostris illatum, dubium fuerit, Olmucensis et purchrauius supradicti, super hoc a nobis interpellati perquirent cause plenius ueritatem. Qui si sub iuramenti debito dixerint, ipsum regem uel adiutores ipsius grauamen uel iniuriam nostris seruitoribus nullatenus intulisse, nichil ipsi regi uel suis imputabimus. Si autem inuenerint eum uel suos culpabiles, et rex ipse requisitus ab ipsis Olmucensi et purchrauio, non emendauerit, adiutores nostros iuuabimus, prout est expressum; quod circa nos uice uersa per omnia obseruari debebit. Preterea, si Olmucensem episcopum uel purchrauium sepedictos migrare contigerit ab hac luce, ipse rex, uel nos, alium in defuncti locum subrogabimus, qui omnia et singula, que superius sunt expressa, fideliter exequatur. Insuper inclitus *rex Vngarie et ipsius frater,* sic includuntur in pace, quod quicquit in castris, municionibus, siue prediis circa metas regnorum hactenus fuit hinc inde iniuriose occupatum, integre debeat utrobique restitui; sic alteruter plene gaudeat iure suo. Preterea nulli notariorum, capellanorum, seu clericorum prefati regis, super beneficiis, que possident, lesionem seu iniuriosam molestiam inferemus, et si ab aliis violenciam patiantur, si de hoc ad nos delata questio fuerit, faciemus, quod de iure fuerit faciendum. Insuper quicquit preter premissa vniuersa et singula venerabiles . . Erbipolensis et Olomucensis episcopi et illustres L. comes Palatinus Rehni, O. marchio Brandburgensis, et lantgrauius Hassie, principes nostri dilecti, uel si eorum copia haberi non poterit, omnium hii de predictis, uel alii, quos prefati Olmucensis episcopus et purchrauius de Nvrenberch ad hoc elegerint, inter nos, et regem prefatum, infra proximum festum beati Michahelis ordinaverint, et eciam pro firmius solidanda inter nos et ipsum regem concordie statuerint uel decreuerint vnione, bona fide seruabimus inconcussum. Pronunciacioni uero ab ipsis principibus inter nos et dictum regem Boemie facta, dictorum Olmucensis episcopi et purchrauii auctoritas et iurisdicio exspirabunt. Quod autem hec omnia et singula supra scripta, nos et ipse rex Boemie debeamus inuiolabiliter obseruare, purchrauius mandato nostro pro nobis, Olmucensis uero, Zmilo et magister Ulricus predicti, super hoc plenum habentes mandatum, in animam ipsius regis Boemie fide data sollempniter promiserunt. In quorum testimonium sigillum nostrum presentibus est appensum. Datum Wienne, pridie Nonas Maii. indictione V. anno domini M. CC. LXX. septimo, regni uero nostri anno quarto. Vt igitur premissa vniuersa et singula, per nos et predictum purchrauium promissa, nec non pronide et sine capcione qualibet salubriter ordinata, statuta, approbata, et firmata, ampliori robore solidentur, presentes litteras in testimonium eorundem appensione sigillorum nostrorum fecimus et placuit communiri. Datum Wienne, anno, et die pretactis.

Pertz — Monumenta Germaniae Tom. IV. pag. 413. ex authentico arch. c. r. aulici Vindobonae secundum revisionem archivarii Chmel. — Gerbert — Cod. epist. auct. dipl. 202.

CXL.

Otakarus, rex Boëmiae et marchio Morariae, tabulas pacis ejusdem ratas habet atque confirmat. Dt. Viennae, pridie Nonas Maji, **1277.**

Nos Ottacharus, dei gracia Boemie rex, notum facimus vniuersis, presentes litteras inspecturis, simpliciter, et publice nichilominus profitentes, quod formam pacis, inter serenissimum dominum nostrum R. illustrem Romanorum regem, semper augustum ex una, et nos ex altera parte, per venerabilem Olomucensem episcopum, Zmylonem purchrauium Vetouiensem, magistrum Vlricum, notarium nostrum et nobilem virum, dominum Fridericum purchrauium de Nurnberch, prouide ordinatam, in omni sui parte, et singulis suis articulis inuiolabiliter obseruare promittimus, prout est inferius annotata. In primis siquidem obsides et captiui, ab vtraque parte ante pacem ordinatam et post dati mutuo et detenti, a proxima die dominica nunc instante, infra quindecim dies debent restitui pristine libertati, ab omni prorsus obligacione, fideiussione, seu exactione pecunie indempnes penitus et inmunes, nisi fortassis pro eis, uel aliquibus eorum, ante pacis ordinacionem aliquit sit solutum; ad cuius restitucionem is, cui solucio facta fuit, minime obligatur. Item ut inter predictum dominum nostrum, et nos, specialis amicicie federa forciori uinculo solidentur, filium nostrum karissimum eiusdem regis filie dare promittimus in maritum, cui idem rex ciuitatem imperii, *Egram* scilicet, cum omnibus attinenciis suis, castris, possessionibus, hominibus, et aliis quibuscumque, que nos ad presens tenere dinoscimur, pro decem milibus Marcarum argenti nomine dotalicii, siue dotis, titulo pignoris obligabit. Preterea ea omnia castra, municiones, possessiones et oppida, ad ducatum Austrie pertinencia, que per nos, uel fautores, seu adiutores nostros, hactenus occupata fuerunt, restituemus ipsi domino nostro regi, et suis fautoribus et etiam adiutoribus, cum integritate plenaria, *metis Boemie, Morauie et Austrie* in eo statu manentibus, quo tempore clare memorie regum Boemie et marchionum Morauie, nec non Leupoldi et Friderici, ducum Austrie ab eisdem dominis sunt possesse. Ipse etiam dominus noster rex similiter omnia castra, municiones, possessiones et oppida, ad *regnum Boemie et marchionatum Morauie* spectancia, que per ipsum uel suos nobis et nostris per iniuriosam uiolenciam sunt subtracta, seu occupata, nobis et nostris restituet integre, et faciet restitui uice uersa, excepto duntaxat *Nykolspurch,* in cuius possessione Fr. de Liechtenstayn, cuius feudum esse dinoscitur, permanebit pacifice et quiete. Preterea *Chrumnowe* ei, ad quem de iure pertinet, assignari debebit. Insuper castrum *Mertenycz* Alexio, militi nostro, et nobis castrum *Durrenholtz* debet restitui, siue reddi. Si quam tamen nos pecuniam debemus Hainrico de Chunring marschallo Austrie, uel ipsius uxori, filie nostre dilecte, illam exsoluemus eisdem, et si idem H. uel uxor ipsius, contra nos super iam dicto castro Durrenholtze habuerint aliquam actionem, nos ad dictum Olomucensis episcopi et purchrauii predictorum, qui sub iuramenti debito questionem huiusmodi diffinient, exhibebimus eisdem iusticie complementum. Preterea huiusmodi composicioni et paci generaliter includimus quoslibet seruitores nostros et adiutores, et nostris de Austria, Styria, Karinthia, Carniola et Marchia adiutoribus et seruitoribus, conposicioni presenti includi et stare volentibus, sepedictus dominus noster rex restituet omnia, que ante guerram uel post de eorum hereditatibus, allodiis, et feudis notorie occupauit. Si uero huiusmodi iniuriosa occupacio dubia fuerit, per predictos Olomucensem episcopum et purchrauium, sub iuramenti debito decidetur huiusmodi questio iusticia, uel amore. Ipsos eciam nostros de predictis terris Austria, Styria, Karinthia, Carniola, et Marchia seruitores, et quoslibet nostros alios adiutores, ipse dominus noster rex plene gracie sue restituet et donabit. Nos eciam uice uersa omnibus adiutoribus et seruitoribus domini nostri regis *per Boemiam et Morauiam* plene nostre gracie restitutis, omnia, que in hereditatibus, feudis, et allodiis ipsis notorie per nos uel nostros abstulimus, plene restituemus et restitui faciemus. In dubio uero, quicquit Olomucensis episcopus et purchrauius sepedicti, nos facturos, sub iuramenti debito pronunciauerint, faciemus. Preterea si, quod absit, nostrorum aliquis seruitorum per ipsum dominum nostrum regem uel adiutores ipsius grauabitur, ipsum dominum nostrum, si grauamen notorium et euidens fuerit, per nuncios nostros super reuocacione et retractacione huiusmodi grauaminis interpellare tenebimur; qui dominus noster rex, si interpellatus, grauamen huiusmodi notorium et per rei euidenciam manifestum non reuocauerit nec fecerit retractari, nos adiutores nostros, huiusmodi passos iniuriam, possumus et tenebimur iuuare, quod in casu conuerso circa seruitores serenissimi regis Romanorum domini nostri, erit per omnia obseruandum. Si uero grauamen, nostris illatum, dubium fuerit, Olomucensis episcopus et purchrauius supradicti, super hoc a nobis interpellati perquirent cause plenius veritatem; qui si sub iuramenti debito dixerint, ipsum dominum nostrum, vel adiutores ipsius, grauamen uel iniuriam nostris seruitoribus nullatenus intulisse, nichil ipsi domino nostro vel suis inputabimus; si autem inuenerint dominum nostrum regem, vel suos, culpabiles, et rex ipse requisitus ab ipsis Olomucensi episcopo et purchrauio, non emendauerit, adiutores nostros iuuabimus, prout superius est expressum, quod circa regem Romanorum, dominum nostrum, vice versa per omnia obseruari debebit. Preterea, si Olomucensem episcopum uel purchrauium sepedictos, migrare contigerit ab hac luce, ipse dominus noster uel nos alium in defuncti locum subrogabimus, qui omnia et singula que superius sunt expressa, fideliter exequatur. Insuper inclitus rex Vngarie, et ipsius frater, sic includuntur in pace, quod, quicquit in castris, municionibus, siue prediis, circa metas regnorum hactenus fuit hinc inde iniuriose occupatum, integre debeat vtrobique restitui, sic, quod alteruter plene gaudeat suo iure. Preterea nulli notariorum, capellanorum, seu clericorum nostrorum, super beneficiis, que in terris predictis, Austria, Styria et Karinthia possident, lesionem seu iniuriosam molestiam dominus noster inferet; et si ab aliis violenciam pacientur, si de hoc ad ipsum dominum nostrum delata questio fuerit, faciet, quod de iure fuerit faciendum. Insuper quicquit preter premissa vniuersa et singula venerabiles Herwipolensis et Olomucensis episcopi, et illustris L. comes Palatinus Reni, O. marchio Brandenburgensis. et lancrauius Hassye, vel si eorum copia haberi non poterit, omnium hii de predictis. vel alii quos prefati Olomucensis episcopus et purchrauius de Nurnberch ad hoc elegerint, inter nos et regem prefatum, dominum nostrum, infra proximum festum beati Michaelis pro solidanda firmius inter dominum nostrum et nos concordie vnione statuerint vel decreuerint, bona fide seruabimus inconcussum. Pronunciacione vero ab ipsis principibus inter dominum nostrum et nos facta, dictorum Olomucensis episcopi et purchrauii auctoritas et iurisdicio exspirabit. Quod autem hec omnia et singula supra scripta dominus noster et nos debeamus inuiolabiliter obseruare, Olomucensis episcopus, Zmylo et magister Vlricus predicti, pro nobis ex mandato nostro, purchrauius vero, super hoc plenum habens mandatum, in animam domini nostri regis, fide data sollempniter promiserunt. In quorum testimonium et perpetuam firmitatem presenti scripto sigilla nostra antiqua, cum noua nondum fabricari fecerimus, apponenda duximus, protestantes, quod ex aliis titulis in eodem sigillo contentis, preter titulos regni Boemie et marchionatus Morauie, nihil iuris possumus nobis aut intendimus vendicare. Datum Wienne pridie Nonas Maii. indictione V. anno domini M. CC. LXX. septimo.

Pertz — Monumenta T. IV. p. 415. — ex originali Vindobonensi. — Gerbert — ibidem 404.

CXLI.

Amicabilis compositio litis inter monasteria Gradicense et Welehradènse de metis villarum Bystrowany et Chwalkowice. Actum Olomucii, pridie Kalendas Junii, 1277.

Nos Budis miseracione diuina abbas, et totus conuentus, ecclesie *Gradicensis,* ordinis premonstratensis, Olomucensis dyocesis, et Hlupinus eadem miseracione abbas totusque conuentus ecclesie *velehradensis,* ordinis Cysterciensis, tenore presencium vniuersis protestamur. Quod controuersiam et litem, que magis inimiciciarum multiplices insidias efficit, quam amorem, inter villas *Bistrouuan* videlicet ecclesie Gradicensis ex vna parte, et *Hwalcouici* ecclesie Welehradensis ex altera, pro agris et uirgultis eisdem villis adiacentibus, ad quantitatem quatuor laneorum estimatis et mensis, committentes exutraque parte, inarbitrium viris honorabilibus et discretis, domino Budizlao decano olomucensis ecclesie, domino Alexio preposito eiusdem ecclesie, Pardo de Horka, Hermanno de Moiethin, Chasta de chrelov, Budizlao de Wezieli, et aliis quampluribus fide dignis, sopiuimus domino concedente. qui uiso iure vtriusque partis, et causam dictam et omnes circumstancias diligencius examinantes, secundum deum et iusticiam arbitrati, communem ṽtilitatem vtriusque ecclesie perpendendo, dictos laneos per medium partientes, duos in Bistrowan, et duos in Hwalcouic assignarunt. ponentes metas et terminos inter villas prenotatas, qui copci wlgariter nuncupantur. Addentes penam. XX. marcarum argenti super eum, qui eorum arbitrium racionabile inposterum voluerit violare, temerarie litem extinctam suscitando, ita scilicet, quod idem, depositis primum. XX. marcis argenti, X. ecclesie contra quam litem suscitauerit, et. X. dictis arbitris, causam suam prosequatur. Vt autem hec nostra composicio, per supradictos honorabiles uiros facta, inconvvlsa permaneat, et stabilis perseueret, presentem paginam exutraque parte conscribi fecimus, et Olomucensis capituli sigillo, et nostrorum specialium munimine sigillorum decreuimus communiri. Actum anno dominice incarnacionis M. CCLXXVII. pridie Kalendas Iunii.

Ex originali in archivo capituli Olomucensis. — Apographum in Annalibus Gradicensibus MSS.

CXLII.

Martinus, abbas Třebjčensis, de consensu conventus sui Hermannum, civem Třebjčensem, ab omnibus exactionibus, steuris et contributionibus eximit. Dt. in Třebjč, pridie Kalendas Septembris, 1277.

In nomine domini amen. Nos frater Martinus, abbas diuina miseratione *Trebicensis,* frater Unca prepositus, frater Borssa prior, frater Sdislaus, prepositus in *Luha,* frater Fabianus, frater Petrus Puczko, totusque conuentus loci predicti Trebicensis. Significamus uniuersis presentes litteras inspecturis, quod consideratis meritoriis seruitiis ac obsequiosis meritis ciuis nostri Hermanni in Trebicz attendentes etiam, quia ipsum de terra aliena reuocauimus, ad quam se transtulerat, et secum agere promisimus gratiose, eidem Hermanno suisque heredibus, heredumque successoribus de gratia in perpetuum concessimus speciali. quod de domo sua, quam in ciuitate nostra tenet et possidet Trebiczii mediam tantummodo marcam nobis et exactionem regalem, quando generaliter in terra exigitur, soluere debeat; Hermannum predictum ab omnibus exactionibus, steuris, et contributionibus aliis, que frequenter pro diuersis necessitatibus ciuitati imponuntur, et suos heredes heredumque successores penitus et per omnia auctoritate presentium eximentes. Si uero processu temporis dictum Hermannum vel heredes suos quacunque de causa vendere contingeret, tunc emptorem dicte domus succedentem quemlibet predicta gratia gaudere perenniter volumus et huiusmodi priuilegio libertatis. In cuius rei testimonium et ad perpetuam firmitatem presentes nostras emanari fecimus litteras nostris sigillis consignatas et perpetuo valituras. Testes vero, qui predictis interfuerant sunt: Boliborius procurator, Budislaus de Wiczap, Budislaus ciuis, Branislaus ciuis, Timo ciuis; et alii plurimi fide digni. Datum in Trebicz pridie Kalendas Septembris. Anno domini millesimo ducentesimo, septuagesimo septimo.

E confirmatione Sigismundi imperatoris dt. Brunae 1435. in die sancti Jacobi — in archivo ejusdem civitatis Třebjčensis.

CXLIII.

Bruno, episcopus Olomucensis, Theodorico Slangoni, marschalco suo, villas Branekesdorf et Birkow in districtu oppidi Blansko, necnon Swencer et Brunow in feudum confert. Datum Zwittariae, sabbatho ante festum nativitatis s. Mariae, 1277.

Bruno dei gracia Olomucensis episcopus dilecto sibi *Theoderico Slanghoni* marscalco suo ac heredibus suis in perpetuum. Digne agimus, et racione mouemur, dum eorum, qui se nobis et ecclesie nostre seruiles exhibent et fideles recompensamus seruicia fauore, ac gracia speciali ut feruencius nostris insistant obsequiis dum fauorem nostrum sibi senserint affuisse. Hinc est quod inspectis sinceritatis tue seruiciis, que nobis in ecclesie nostre negociis et vtilitatibus non parcendo rebus et persona promptitudine grata iam diucius inpendisti et intendas in huiusmodi seruiciis persistere incessanter. Cumque benefecisse bonis et fidelibus sit omni parte lucrosum, nos tibi qui te tam fidei puritate, quam seruiciorum exigencia retributionis premio dignum reddis, damus et conferimus liberaliter et libenter in feodum capituli nostri accedente consensu, in districtu oppidi nostri *Plancek* duas villas videlicet *Branekesdorp*, et *Birchow*, et in eodem districtu pascua in *Wirclowiz*. Item in *Swencer* viginti laneos et integram villam *Brunnaz*, exceptis quinque laneis, molendino et piscina cum vtilitate omni videlicet censu. iudicio. sturis. omnibusque prouentibus qui supradictis ad presens insunt vel inesse poterunt in futuro, nullo diminuto vel excepto per te ac heredes tuos filios dumtaxat et non filias, titulo feodi teneas et possideas ac racione ipsius feodi *ius Wasallorum Magdeburgensis* ecclesie habeas in omnibus indistinctum, quod et aliis concessimus infeodatis a nobis, quodque heredes tui, filii tantum sicut premissum est, gaudeant ipso iure. Dabis etiam annis singulis in recognitionem bonorum ipsorum, canonicis nostris Olomucensibus de quolibet laneo mensuram tritici, quemadmodum ceteri infeodati a nobis dare tenentur. Sciendum eciam est quod villam Brunnaz tibi ac heredibus tuis ad tale ius contulimus, quod *Borglen* wlgariter appellatur, de qua in castro nostro *Puzlimir* facere debes residenciam personalem. Vt autem omnia premissa perpetuam obtineat firmitatem, nos ad rei memoriam sempiternam, presentem paginam inde conscribi nostrique sigilli iussimus munimine roborari. Et nos Olomucense capitulum. Ego Budizlaus decanus. Allexius prepositus. Cyrus archidiaconus. Iohannes de Homburgh scolasticus, Lampertus custos. Theodericus de Vvlmensteyn. Bartholomeus. Theodericus de Yglauia. Vlricus. Petracus. Thomas. Hartmannus, ceterique canonici subscribimus presensque scriptum sigilli nostri munimine roboramus. Datum in Switauia. Anno domini MCCLXXVII. sabbato proximo ante festum natiuitatis domine nostre.

Ex originali in arch. archiepiscopali Cremsiriensi. — Apographum in codicibus Olomucensibus I. membr. fol. 75., chart. I. pag. 72. et II. fol. 107.

CXLIV.

Otakarus, rex Boëmiae et marchio Morariae, dotat capellam s. Joannis Baptistae Brunae, eamque Henrico, praeposito Daubrawnjcensi, confert. Dt. Pragae, pridie Nonas Septembris, 1277.

Otakarus, dei gratia rex Boemie. omnibus in perpetuum. Orationis domos templaque laudum ad diuini cultum nominis atque ad honorem et gloriam regis regum a quo processit posse potentum in diuersis terrarum nostrarum partibus construimus reuerenter, quatenus sue pietatis nos dulcedine foueat, dum deuotis admixta precibus suarum laudum preconia celebrantur in ipsis. et ut eius cultui feruentius et frequentius intendatur, easdem ecclesias possessionum iuriumque dotibus dotatam liberaliter et ditatam. quod sacris deputati misterijs quibus ipsas conferendas duximus, uite necessaria decenter ex ipsis possint percipere; et diuinis officijs libentius et honestius insudare. Per presens igitur priuilegium noscat tam presens etas, quam successura posteritas futurorum, quod ad hoc ut *Capella nostra Brunnensis* quam in honorem *beati Iohannis* baptiste construi fecimus, et procurauimus consecrari, concedentis dotis nixa presidijs uite necessaria ministrare ualeat sacerdoti suo, qui ministrauerit in eadem, ipsam capellam munificentia dotauimus liberali, conferentes eidem dotis nomine in *Rechcowitz* Curiam nostram cum quinque laneis ibidem et quibuslibet appenditijs suis, uidelicet siluis, pratis, pascuis, nos contingentibus ratione Curie antedicte, necnon et villam in *Sulostowitz* cum suis attinentijs omnibus, uineis, pratis, piscationibus et ceteris rebus alijs pertinentibus iure attinentie uel appendicij ad eamdem; volentes, ut eadem bona ad dictam Capellam nostram pertineant, et pertinere deinceps debeant, contradictione qualibet in posterum quiescente. et quod dilectus Capellanus noster Henricus venerabilis prepositus de *Dobrawnik* cui dictam Capellam contulimus, ac successores ipsius quibus nos uel heredes nostros Capellam predictam conferre contigerit, dicta bona possideant ipsius Capelle nomine pacifice et quiete. In cuius rei testimonium et robur perpetuo ualiturum presens priuilegium fieri, et sigillis Maiestatis nostre fecimus communiri. Datum Prage per manus magistri Henrici prothonotarij regni nostri et plebani in Gors, anno ab incarnatione domini Millesimo ducentesimo, septuagesimo septimo, pridie nonas Septembris sexte indictionis.

Ex originali in archivo monasterii aulae reginae Brunae.

CXLV.

Idem formam pacis inter se et Rudolfum, Romanorum regem, per mediatores ordinatam approbat, includens ei consanguineos et affines suos, regem Ungariae, ducesque Thuringiae, Wratislariae atque ceteros principes Poloniae. Datum Pragae, pridie Idus Septembris, **1277**.

Otakarus Dei gratia rex Boemie, uniuersis presentes litteras inspecturis, noticiam subscriptorum. Tenore presencium recognoscimus et publice profitemur, quod nos iuxta preceptum dominicum diligentes pacem, et eius obseruantiam cum quibuslibet christiane religionis cultoribus, et precipue cum serenissimo domino nostro, domino *Rudolfo, inclito Romanorum rege* semper augusto, omni promptitudine operis affectantes per pacem et concordiam inter ipsum dominum nostrum regem ex una, et nos ex parte altera, domino *B. venerabili Olomucensi episcopo,* Zmilone purchrauio de Vetow, magistro Ulrico prothonotario nostro, et nobile viro domino Friderico purchrauio de Nuremberch, nouissime ordinatam, conscriptam, et eciam a prefato domino nostro rege atque a nobis approbatam, pro solidiori et puriori ipsius pacis et concordie fundamento formam assumpsimus infrascriptam: In primis quidem promittimus, quod promissam pacis ordinacionem inter dictum dominum nostrum regem et nos, per predictos Olomucensem episcopum, Zmilonem, magistrum Ulricum et purchrauium de Nuremberch, initam seu statutam, et singulis suis articulis seruabimus illibatam, saluis tamen omnium terrarum nostrarum limitibus siue iuribus, ut easdem terras, et homines earundem, sub eisdem omnino teneamus iuribus et condicionibus, sicut umquam nos vel progenitores nostri tenuerunt eosdem. Hoc idem prefatus dominus noster rex, quantum ad pacem pertinet, faciet vice versa. Insuper etiam ipse dominus noster rex nos contra quoslibet, nobis molestiam inferentes seu irrogare uolentes, manutenebit ac eciam defensabit; et nos in sincere deuocionis euidens argumentum, contra quoslibet dicto domino nostro regi, prout de iure tenemur, cum nostro auxilio eguerit, sibi exhibebimus auxilium manuale. Preterea, si pro imperii necessitate dictus dominus noster rex nostrum auxilium petiuerit, illud sibi exhibebimus, prout nos decuerit. Si vero, ut cum ampliori militie comitiua ipsi domino nostro regi pro imperii necessitate seruiamus, nos interpellauerit dictus dominus noster rex, ex tunc nobis, consideratis seruicii nostri meritis, prout aliis principibus faciet, respondebit. Item si pro recipiendo imperialis fastigii dyademate dictus dominus noster, ut eum associemus, nos requisiuerit, nos eum associabimus, prout ad hoc iuris debito obligamur; quod si causa rationabili seu legitima prepediti, hoc facere nequiuerimus, sibi pro nobis nostros, prout honorem nostrum decuerit, curabimus destinare. Ipse autem dominus noster rex nobis hanc graciam faciet, quod nos infra terminum, quem predicti Olomucensis episcopus, et F. purchrauius fuerint moderati, inuitos ad curiam suam, indictam solemniter, non compellet. Preterea supradicte paci et concordie omnes terras nostras, adiutores, consanguineos, seruitores, homines, et amicos nostros, et precipue dominum Al. inclitum lantgrauium Thuringie, et dominum Th. inclitum marchionem de Landesperch, comites, barones, milites et ministeriales, nobiles, et alios seruitores et adiutores nostros includimus. Specialiter autem includimus dominum L. inclitum regem Ungarie, nostrum consanguineum et affinem, et dominum H. inclitum ducem Wratislauie, ac ceteros principes Polonie, qui nostri sunt consanguinei et amici. Circa restitutionem quoque gracie et iurium suorum, omnia secundum tenorem priorum priuilegiorum, super concordia editorum, adiutoribus et seruitoribus ipsius domini nostri regis, et nostris, plene fient. Preterea illos, qui de terris nostris domino nostro predicto, durante presentis guerre tempore, astiterunt, et auxilium prebuerunt, plene nostre restituimus gracie et fauori, et promittimus, prestito iuramento, quod huiusmodi culpam, quam in nos commiserunt, nunquam ad animum reuocabimus temporibus vite nostre, nec eisdem aliquam violenciam contra iusticiam inferemus: verum si in posterum excesserint, ex tunc contra ipsos non aliter, quam contra alios regni nostri homines, iure preuio procedemus, iuxta iura et consuetudinem regni nostri. Ut autem predicta omnia, et singula, et pax eciam inter dictum dominum nostrum regem et nos ordinata, in singulis suis, iuxta prefatum tenorem, articulis inuiolabiliter obseruentur, pro parte dicti domini nostri clarissimus dominus Albertus primogenitus eius pro ipso domino nostro rege, nomine et mandato ipsius domini nostri regis, et in animam eius iurauit, et nos corporale prestitimus iuramentum. Preterea dictus dominus noster rex suas, et nos nostras metas sic custodiemus et obseruabimus, quod hinc inde idem dominus noster rex, et nos, terrarum nostrarum incole, dispendiosis iniuriis non grauentur. Et si per nostros homines, quos in metis habemus uel alibi, ipsi domino regi vel eius hominibus dampna aliqua inferentur, post monicionem ipsius domini nostri regis infra quindenam, eos qui dampna huiusmodi intulerunt, ad satisfaciendum per coaccionem suorum bonorum et iurium, atque occupacionem compellemus, et de bonis ipsorum lesis integre dampna sua resarciemus, et nichilominus ipsos temeratores et castra ipsorum obsidebimus; et si necesse fuerit, nos mox proscriptionis, et loci episcopus excommunicationis sententias, infra sex septimanas a dampni dati tempore numerandas, proferemus in eos, nullatenus relaxandas, nisi prius lesis de dampnis satisfecerint, et pro banno centum libras Pragenses camere nostre soluerint. Hec eadem sepedictus dominus noster rex Romanorum, si per suos nos et nostri turbati fuerimus uel grauati, per omnia obseruabit. Quod si non fecerit, fideles eius, comes de Hardegge Lutoldus, pincerna Austrie, Henricus et Albero de Chunringe, fratres, H. senior de Witra, et H. marscalcus filius suus, Fridericus de Liechtensteyn, messouarius, Otto de Guotrat werdarius, Ulricus de Capella burcgrauius, La intrabunt, ante satisfaccionem plenariam abinde nullatenus recessuri. Verum si per nos steterit, quo minus illata per nos iniuria iuxta modum expressum superius retractetur, tunc fideles nostri Bauarus de Strachonitz, Harchelebus de Dubna, Smilo de Belchow, Albertus de Vren, Bsnato, et Tazzo, filius eius, Chirninus, Mucen, Gerardus, Milota, Besegge, et T. filius Rutonis, Znoymam pro nobis intrabunt, exinde ante satisfactionem plenariam nullatenus recessuri. Et de hiis fideliter obseruandis et eciam faciendis tam ipsius domini nostri regis, quam nostri fideles predicti, prestiterunt corporaliter iuramentum. Et hec ita procedent, si in communibus, ut in prediis, spoliis paruis, et aliis minutis, et non in principalibus articulis, pax a nostrum aliquo, siue nostris, fuerit violata. Si vero in maioribus, ut in occupacionibus municionum, seu castrorum solennium et insignium, et similium, vel occisione persone solennis et grauis, per ipsum dominum nostrum regem Romanorum, vel ipsius homines, pacis ordinacio fuerit violata, nec idem dominus rex illata infra terminum expressum superius emendauerit vel retractauerit iuxta modum supra notatum, ex tunc venerabilis Patauiensis episcopus, et illustres principes dominus L. comes Palatinus Reni Dux Bauarie, et dominus Al. dux Saxonie, ac alii duodecim, quos de ipsius domini nostri regis comitibus, nobilibus, et ministerialibus dictus Olomucensis episcopus elegerit, postquam per nos moniti fuerint per litteras vel per nuncios nostros, Nuremberch intrabunt, abinde nullatenus recessuri, nisi prius per ipsum dominum regem plenaria satisfaccio impendatur. Et super eo predicti tres principes domini nostri regis se iam dacione fidei et litteris astrinxerunt, et ad hoc cum principes, qui pro parte nostra sunt nominati, iurauerint super casu consimili, se iuramenti vinculo corporaliter prestito, obligabunt. De aliis eciam, duodecim videlicet adiungendis, a dicto domino nostro rege iam nouem, scilicet F. purchrauius de Nuremberch, marchio de Hahperch, C. de Catzenellenbogen, H. de Hunrstenberch . . de Riengge, . . de Hirsperch et H. de Vriburg comites, et nobiles Otto de Ohsenstayn, et Gebhardus de Brunegge, iurauerunt; tres uero residui hoc idem iurabunt, postquam per dominum Olomucensem nostro nomine fuerint nominati. Si autem per nos et nostros in dictis grauibus et maioribus articulis pacis ordinacio fuerit uiolata, ex tunc predictus Olomucensis episcopus, et illustres principes, dominus Otto marchio Brandenburgensis, et H. dux Wratislauie, et duodecim, quos predictus purchrauius, dicti nostri regis nomine de seruitoribus nostris elegerit, postquam per dictum dominum nostrum regem moniti fuerint, Egram infra quattuor septimanas intrabunt, abinde nullatenus ante satisfactionem commissorum plenariam recessuri; de quibus iam iurauerunt octo, videlicet Bauarus marschalcus regni nostri, Purchardus de Winterberch, Ierco de Waldenberch, Zmilo purchrauius de Wetow, Nezamil purchrauius Olomucensis, Bohuss marscalcus Morauie, Chuno camerarius Olomucensis, et Wilelmus; quattuor vero residui, qui tunc non erant in nostra presencia constituti, videlicet Theodericus purchrauius in Ponte, Hinco de Liachenburch, Chenco de Lipa, et Ierozlaus de Steremberch, similiter iuramentum prestabunt. Item nec dictus dominus rex nostros sine nostro beneplacito et consensu, nec nos dicti domini regis seruitores aut homines sine eius consensu, fouebimus et recipiemus. Preterea si de dicto domino rege nobis talia referrentur contraria uel sinistra, que merito animum nostrum moueant et ad credulitatem inducant, nos relatorem huiusmodi, et quid nobis retulerit, nunciabimus ipsi regi, quod et ipse dominus noster rex nobis faciet vice versa. Preterea quicquid infra epyphaniam Domini, Herbipolensis et supradictus Olomucensis episcopi, et illustres principes dominus L. comes Palatinus Reni dux Bauarie, dominus Otto marchio Brandenburgensis predicti, H. lantgrauius Hassie, et dictus F. de Nuremberch, vel si dicti principes aut eorum aliqui haberi non potuerint, quos ex illis, vel aliis, iidem Olomucensis et purchrauius pro solidiori et utiliori amicicia et concordia firmiori inter dictum dominum nostrum regem et nos inuenerint, similiter dictus dominus noster rex et nos tenebimur inuiolabiliter obseruare. In quorum omnium testimonium et robur, presens scriptum fieri, et sigillis nostris fecimus communiri. **Dat. Prage anno Domini Millesimo CC.** septuagesimo septimo, pridie Idus Septembris, sexte indictionis.

Pertz — Monumenta Germaniae T. IV. pag. 421. — ex autographo c. r. archivi aulici Vindobonae. — Gerbert — Codex epist. auct. dipl. 209.

CXLVI.

Bruno, episcopus Olomucensis, mandat, ut in bonis monasterii Welehradensis tria tantum capetia de quolibet laneo exposcantur. Datum Cremsirii, XI. Kalendas Octobris, 1277.

Bruno dei gracia Olomucensis episcopus vniuersis vicariis et aliis ecclesiarum rectoribus salutem in domino sempiternam. Quia sunt nonnulli, qui proprie non . . . consciencie contra debitum iuris et nostrum statutum plura capecia de bonis et hereditatibus dilecti in Christo patris abbatis *Welegradensis* racione decimarum poscunt et exquirunt, quam de iure facere debent in proprie salutis anime preiudicium et grauamen; et quia per nos statutum et ordinatum est, quod de quolibet laneo tria capecia persoluantur, mandamus vobis vniuersis et singulis, quatenus omni remota occasione de cetero non plura, quam tria capecia de tritico, siligine et auena de bonis predicti abbatis Welegradensis exposcatis vel duas mensuras pro eisdem tribus capeciis mensure Noue ciuitatis, quorum vno soluto ad secundum possessor cuiuslibet lanei non tenetur, nisi forte aliqui ex antiquo iure et ex racionabili iusticia consueuerint plura dare; aliter noueritis nos auctoritatem dedisse dicto abbati et procuratoribus ipsius, quod debeant nobis indebitas et insuetas decimas per omnia denegare, eclesias quoque ipsius abbatis, quibus ab antiquo dicta tria capecia per aliquas integras decimas aliquorum laneorum racionabiliter sunt recompensata, volumus in suo statu permanere et eas talibus recompensacionibus penitus esse contentas. Datum in Cremsir anno domini **MCCLXXVII. XI. Kal. Octobris**, pridie Mauricii.

E codice Welehradensi MS. saepius citato fol. 84.

CXLVII.

Agnes, filia Bočkonis fundatoris, et uxor domini Wjtek de Rodenburg, donat monasterio Zarensi tertiam partem villae Těšany. Datum Saar, **1277.**

Nos Agnes filia domini boschonis fundatoris de *sar*, vxor domini Withichonis de Rodenburch, vniuersis tam presenti etati quam future in Christo posteritati in perpetuum. Que geruntur in tempore labuntur cum tempore nisi dictis testium et scriptis perhennentur. Hinc est quod tenore presencium perhenni constare uolumus nocioni. quia diuina inspiracione compuncti de consensu et uoluntate karissimi mariti nostri et liberorum nostrorum et omnium amicorum, ad honorem summi dei et intemerate matris eius virginis gloriose, matura deliberacione prehabita, tertiam partem uille *Tysschan* uulgariter nuncupatam in olmucensi dyocesi site Claustro dicto Sar, quod fons sancte marie intitulatur ordinis cysterciensis, pragensis dyocesis, perpetuo contulimus possidendam. Preterea si Nobilis vir dominus Withicho maritus noster predictam tertiam ville redimere uoluerit partem, uel liberi nostri, centum marcas dabunt et rehabebunt. Huius rei testes sunt nobilis vir dominus Withicho maritus noster. Dominus Gerhardus, frater noster, et domina Evfemia mater nostra. et Domino Chunone et filio eius Boschone. Actum in Sar presentibus domino Io. Abbate, et Hey. Priore, Werhero Subpriore et cellario Wigan. eiusdem loci. Ante omnia commendamus nos anima et corpore fratribus claustri prenominati volentes vt vbicunque extrema dies uite nos inuenerit corpus defunctum nostrum ad eundem locum mandandum sepulthure remota occasione qualibet deferatur. Datum anno domini M. CC. LXXVII. sub sigillis domini Witichonis et domini Gerardi predictorum.

Ex originali ejusdem monasterii cum sigillo Wjtkonis unico superstite. — Excusum apud Steinbach II. 32.

CXLVIII.

Per judices ab Otakaro causis Moravorum decidendis delegatos, abbati Gradicensi media villa Těšetice adjudicatur. Dt. in castro Brunensi, XII. Kalendas Februarii, **1278.**

Nos Arthlebus de Dubna, camerarius Wethouiensis, Hartmannus de Zeblowicz, camerarius Brunensis, Bohussie de Drahotuss, marscallus

Moravie, et Wsseborius de Namyescz, iudices delegati et constituti a serenissimo domino nostro, domino Ottocaro, inclyto rege Boemorum, in iudicio seu curia generali, quod et quam idem dominus rex indixerat Brune celebrari super decidendis questionibus, causis et litigiis Morauorum, presentis scripture tenore profitemur, quod de mandato dicti domini regis pro parte, uice et nomine ipsius regis presedimus iudicio XII. Kalendas Februarii in castro Brunensi, audituri et diffinituri causas, questiones atque litigia, que preponerentur a quibuscunque de Morauia coram nobis, tanquam iudices delegati et constituti super hoc a dicto domino rege, ut est superius pretaxatum. Et tunc Pardus, filius Neplach, qui uenit de Russia, per aduocatum suum, Pardusonem de Horka, conquestus fuit de domino Budis, uenerabili abbate *Gradicense,* ordinis Premonstratensis, Olomucensis diocesis, qui una cum Neplach, qui donauerat dicta bona dicto domino abbati et ecclesie s. Stephani in Gradiss; ad hoc et ob eandem causam is citatus die et loco prefatis comparuit coram nobis, eidem Pardussoni responsurus per se uel aduocatum suum, de medietate uille *Tiesseticz* de quarta parte syluarum inter flumina Morauam et Oskauam, et tribus piscatoribus in uilla *Sedlski,* dicens, quod dicta bona pertinerent ad ipsum Pardussonem, et quod ea dictus prelatus in ipsius Pardussonis teneret preiudicium et grauamen. Unde petiit, ut de eisdem bonis fieret sibi iustitie complementum. Prefatus autem abbas per aduocatum suum Nachepluk coram nobis in instanti tam pro se quam monasterio suo respondit, quod ipse tenebat iure atque legitime dicta bona, et tenuerat atque possederat pacifice et quiete inter presentes spatio trium annorum et plus continue, iusto precedente titulo, et sine temporis interruptione, et iam dicta bona erant sibi et ecclesié sue prescripta. Tunc nos precepimus Onsoni, camerario Olomucensi, ut ipse inueniret sententiam iuxta tenorem querimonie Pardussonis et responsa dicti abbatis, et sententiaret, qualiter esset super huiusmodi procedendum. Onsso autem predictus conuocatis baronibus, qui ibidem presentes erant, habita cum eisdem deliberatione diligenti, inuenit et promulgauit finaliter, ut dictus Pardus deberet intentionem suam probare testimonio trium beneficiariorum fide dignorum, qui Knietye uulgariter nuncupantur. Sed quia idem Pardus per tres testes secundum Onssonis et Baronum, quos Onsso consuluerat, sententiam intentionem suam probare non potuit, deficiente eodem Pardussone in probatione intentionis sue patenter, precepimus Rathmiro de Penczyn, ut deberet super hoc sententiam diffinitiuam inuenire, et eam in conspectu omnium nostrum et testium subscriptorum publice promulgare. Idem autem Rathmirus uocatis baronibus, qui ibi tunc presentes erant, ut eo melius et sanius sententiare ualeret, consuluit eosdem barones, et habita cum eisdem deliberatione perpensa, sententiauit pro prefato domino abbate, et absolutum dictum abbatem reddidit et monasterium eius ab impetitione dicti Pardussonis super bonis prefatis. Et tunc abbas predictus in testimonium prefate sententie, de communi iure et de mandato nostro dedit Alexandro presenti de Prestawlk, subiudici Olomucensi, duos denarios, qui Prisudni uulgariter appellantur. Nos autem dictam sententiam, tanquam iustam perpensam et equilibratam secundum deum et iustitiam, approbantes, una cum baronibus assidentibus nobis, et testibus inferius denotatis collaudauimus, et assensu atque auctoritate nostra ipsam ratam reddidimus atque firmam. Testes autem, qui interfuerunt, sunt hi: Nezamisl, purgrauius Olomucensis. Budislaus, decanus Olomucensis. Alexius, prepositus Olomucensis. Chuno, purgrauius de Wranow, Woyslaus, iudex Olomucensis. Martinus, abbas Trebecensis. Iaroslaus, abbas de Wilimow. Ulricus, abbas de Lutomisl. Nicolaus, prepositus Kunicensis. Milota de Diedicz. Hrabiss de Lesicz. Bludo de Gyczin. Millis de Dubsicz. Nicolaus, frater eius de Brodelo. Sbislaus de Scorotin. Pardus de Horka. Duon de Wranowicz. Benessius, filius Benessii de Branicz. Herardus de Obran. Laurentius de Plaucz. Lupus, frater eius de Plaucz, et alii quam plures. Unde ad futuram memoriam et cautelam dicti domini abbatis et ecclesie uel monasterii s. Stephani in Hradisch presens scriptum fieri, et sigillis omnium nostrum, secundum quod superius nominati sumus, per ordinem communiri fecimus in testimonium ueritatis. Actum et datum in castro Brunensi. Anno domini M. CC. LXXVIII. XII. Kal. Februarii. Indictione VI.

Ex Annalibus Gradicensibus MSS. saepius citatis.

CXLIX.

Per eosdem judices monasterio Zarensi medietas villarum Kučerow et Lhota adjudicatur. Dt. in castro Brunensi, VII. Kalendas Februarii, 1278.

Hartlibus Camerarius de Vetow. Bohusso Mareschalcus terre Morauie, et Scheborius, quondam filius Egidii de Swebniz, Iudices a serenissimo Rege Bohemie delegati, vniuersis presens scriptum inspecturis, salutem in domino. Notum sit omnibus, hanc paginam visuris, quod dominus Io. abbas et conuentus de *Sar*, ad instanciam duorum sororum . . . . de Malchwiz, euocati coram nobis in castro Brunnensi comparuerunt, predictis dominabus super dimidietate duarum villarum *Kocherov* et *Elhol*, parati secundum iuris ordinem respondere, que similiter in nostri presencia constitute quia de iure suo minime confidebant, ab actione huiusmodi de virorum prudentum consilio penitus cessaverunt. Ne igitur de predictis villis imposterum questio valeat suboriri, presentes conscribi fecimus et sigillorum nostrorum munimine roborari. Huius rei testes sunt. Dominus Chuno burchrauius in Vren. Dominus Gerhardus de Obersez. Hrabisch. Harthmannus de Holenstein. Scheborius et dominus Witko, frater eius. Lupus de Plauz. Zbor et Laurencius fratres eiusdem. Wiecemilus de Dobranz. Iarozlaus de Chnelniz. Ienzo de Nasmariz. Acta sunt hec anno domini MCCLXXVIII. XII. Kalendas Februarii.

Ex originali ejusdem monasterii cum sigillis tribus conservatis. — Excusum apud Steinbach II. pag. 33.

CL.

Meingoltus, civis Olomucensis, protestatur, se quosdam agros a monasterio Gradicensi jure emphiteutico tenendos accepisse. Datum in Hradišť, VIII. Kalendas Martii, 1278.

In nomine domini Amen. Mengotus, ciuis Olomucensis, omnibus in perpetuum. Nouerint vniuersi tam presentes quam futuri uel posteri, quod ego Mengotus, ciuis Olomucensis, a uenerabili domino Budis abbate et conuentu ecclesie *Gradicensis* suscepi agros quosdam, dimidium equiparantes laneum, Olomucensi ciuitati coniunctos, et a bonis ipsius ciuitatis per terminos, qui Kopczy dicuntur uulgariter, separatos mihi et meis successoribus iure emphiteutico, quod *Burgrecht* dicitur, perpetuo possidendos, de eisdem agris lapidem cere in natiuitate beate uirginis ecclesie Gradicensi annis singulis soluturus, eo pacto, ut, si prefatum censum in predicto termino soluere contempsero per contumaciam, uel terminos agrorum prescriptos uiolare temere, uel in eos dolose presumpsero machinari, ipso facto eos perdo, et ab eorum possessione cedo, ac omni contradictione remota resigno ecclesie supradicte, omnibus predictis condicionibus se ad meos extendentibus ex integro successores. Vt autem hec prefatorum abbatis et conuentus ecclesie Gradicensis unanimiter, rite ac rationabiliter facta concessio et mea protestatio ex vtaque parte illibata permaneat, et perpetue enitatur robore firmitatis, presens scriptum conscribi, et sigillorum abbatis et conuentus sepe dicte ecclesie nec non ciuitatis Olomucensis obtinui munimine roborari. Actum anno domini M. CC. LXX. VIII. Testibus subnotatis: Budislao, decano. Alexio, preposito. Cyro, archidiacono Olomucensis ecclesie. Wigando, aduocato. Reslino Theodaco. Ioanne Otlino. Rotlebo, ciuibus Olomucensibus; preterea uiris nobilibus: Wockone de Benessow. Pardus de Horka. Neplach de Buniowitz, et aliis pluribus fide dignis. Datum in Gradisch VIII. Kalendas Martii.

Ex Annalibus Gradicensibus MSS.

CLI.

Branislaw de Stihnice cum conjuge sua Margaretha conferunt monasterio Lucensi jus patronatus ecclesiae in Stihnice. Dt. in monasterio Lucensi, X. Kalendas Aprilis, 1278.

Vniuersis Christi fidelibus, hanc litteram inspecturis. Ego Branizlaus, patronus ecclesie de *Styginitz* vna cum coniuge mea, domina Margaretha, salutem in domino sempiternam. Vniuersitati vestre notum esse cupimus, quod diuina nobis inspirante gracia ius patronatus ecclesie de Styginitz, quod nos hereditario iure constat habere, in remedium animarum nostrarum et progenitorum nostrorum, ac etiam successorum, pure propter deum domino Theoderico abbati et monasterio sancti Venzezlai jn *Luca,* ordinis Premonstratensis, Olomucensis diocesis, secundum quod nos rite et iuste possedimus, conferimus et donamus liberaliter et libenter, nullo penitus contradicente nec etiam reclamante, quod etiam instanter petimus per venerabilem patrem, dominum Brunonem, episcopum eiusdem dyocesis, confirmari. Ne igitur hec nostra donatio possit a quibuslibet nostris heredibus infirmarj, presentem litteram nostro sigillo et alijs sigillis clericorum et laicorum nobilium, scilicet dominj Alexii, prepositi Olomucensis, et domini Hermanni, decanj et plebani sancti Nicholai in Znoym, et domini Suzicray, zudarii znoymensis, et domini Sboronis, subdapiferi domini regis, et domini Lupi de Plautz, qui eo tempore affuerunt, fecimus roborarj. Datum jn ecclesia Lucensi, anno domini M. CC. LXXVIII. X. Kalendas Aprilis. Presentibus istis, quorum nomina subscribuntur. domino Wisuntone, preposito de Ozla. Domino Wernero, plebano de Rohatitz. domino Conrado, plebano de Tuscuwitz. Domino Bertoldo, plebano de Lupratitz. Iohanne, plebano de Hard. Iohanne, plebano de Olexowitz. Domino Merbotone, lantrichterio Znoymensi. domino Laurentio, submarscalco dominj regis. Domino Ierozlao de Cuenitz. Ienzone de Nasmaritz, jn castro Znoym residentibus. Wolframo de Zlatin, fratre domini Marquardi Longi. domino Bouzlao de Odunz. Branizlao de Lessonitz. domino Adalhardo de Wecennitz. domino Nicul de Sirninz. Brunone notario, et alijs quam pluribus, tam clericis, quam laicis, qui eo die ad forum in Znoym conuenerunt, et ad iudicium prouinciale.

Ex originali ejusdem monasterii.

CLII.

Hartlieb de Laučka protestatur, Wenceslaum, quondam regem Boëmiae, monasterio Tišňowicensi jus patronatus ecclesiae in Biteš coram se contulisse.

1278.

Uniuersis Christi fidelibus notum esse uolumus, quod nos Hartlews de luxa profitemur, quod dominus noster magnificus, rex boemie bone memorie, nomine Wenzeslaus pro remedio patris et matris et suorum predecessorum sev progenitorum ecclesiam in *bites,* quod uulgariter ***Heinrichs*** appellatur, claustro in *tusnawiz,* nobis presente et domino bozchone et aliis multis terre nobilibus rite et rationabiliter cum omnibus, que exinde prouenire poterunt, nullo contradicente contulit pleno iure, quod, si necesse fuerit, hoc probare uolumus iuramento.

Ex originali ejusdem monasterii cum sigillo illaeso.

CLIII.

Bruno, episcopus Olomucensis, adjudicat monasterio Tišňowicensi jus patronatus ecclesiae in Biteš. Dt. in Pustoměř, VIII. Idus Aprilis, 1278.

In dei nomine amen. Nos Bruno dei gracia Olomucensis ecclesie episcopus vniuersis Christi fidelibus in quorum noticiam presens scriptum deuenerit salutem in domino. Quoniam nostri officii esse debet ecclesiarum indempnitatibus prouidere, maxime in hiis in quibus non solum inducitur periculum animarum verum eciam iactura rerum temporalium que ad sustentationem deo famulantium in eis sunt deo dedicate hinc est quod cum ecclesia in *hanrichs* quod vulgariter *Bites* appellatur per mortem bone memorie plebani Giselberti vacasset quem Abbatissa de *Thusnawitz* de sui conuentus assensu suo presentauerat dyocesano ad eam confirmandum ut asserebat quemdam clericum ydoneum nobis presentaret ad premissam ecclesiam instituendum ac confirmandum domino Iohanne Abbate Sarensi pro parte vna, et domino Gerhardo de Obersas pro parte altera contradicente vnoquoque ius patronatus iamdicte ecclesie ad se tamen non ad ecclesiam Thusnawicensem pertinere asserente, ac eciam ab eo seu eis presentatum seu presentatos recipiendum instituendum et confirmandum. Nos igitur iudex ordinarius in premissis, sic petitionibus receptis diuersis et aduersis, cum nobis de hiis non constaret tamquam iudici illa uice, et in ocultis nobis non liceat iudicare canone attestante et dicente, Nemo pontificum iudicare presumat quamuis uera sint credenda tamen non sunt, nisi que certis indiciis comprobantur, nisi que manifesto iudicio conuincuntur nisi que iudiciario ordine publicantur. Ideo partibus ad nostram synodum quam in festo sancte trinitatis in Olomuc consueuimus celebrare die tamen non feriato terminum assignauimus ad nostram presenciam veniendi, ita ut vnaqueque parcium premissarum ad terminum proxime premissum cum probationibus, instrumentis, et quibuslibet aliis munimentis quibus de sua intentione probare posset in iure patronatus ecclesie prenotate, eo quod eis receptis et diligenter inspectis summaria premissa cognitione vt partium parceremus laboribus et expensis, et ne vacanti ecclesie pastoris cura diu deesset, iudicaremus, que partium potior esset in iure patronatus ecclesie sepedicte, ordinaria potestate. Sane partibus premissis die et loco coram nobis legittime comparentibus nobis easdem ante omnia concordiam inuitantibus, et tandem multis pro partium iure allegatis in nos extitit compromissum. Domino Gerhardo de Obersas personaliter presente et consentiente. Domino Iacobo preposito de Thusnawitz super hoc mandatum habente Elizabet abbatisse et conuentus presente et consentiente, domino Iohanne a domino Iohanne abbate Sarensi presentato nostro notario ex iure presentationis sibi debito presente et consentiente, fuit compromissum sub hac forma, vt nos duabus personis nobis iunctis partium probationes quascumque producere vellent, reciperemus, et eis receptis et examinatis pro ea parte quam pociorem in iure reperiremus, summaria cognitione premissa pro ea parte diffinitiue pronunciaremus ordinaria seu arbitraria potestate aliis partibus perpetuum silentium imponendo. Nempe quia nostri officii esse debet subditorum inuigilare, quieti et maxime religiosorum quos a strepitibus iudiciorum canonica equitas precipit esse quietos premissum laudum seu compromissum in nos recepimus ordinaria nichilominus nobis potestate in premissis reseruata. Ob id si forte arbitraria premissum negotium non potuisset sortiri effectum sed quia lites non decet esse inmortales, ideo domino Allexio preposito Olomucensi et magistro Iohanne de Mocren doctore decretorum partium etiam uoluntate nobis deputatis nobis adiunctis, partibus ad exhibendum coram nobis super iure patronatus iam premisse ecclesie in Hanrichs terminum assignauimus peremptorium, locum et diem eis assignantes, in quo partium probationibus munimentis et instrumentis que coram nobis comparere uoluerunt aliorum contumacia non obstante receptis, et diligenter examinatis, ecclesiam Thusnauicensem siue dictam abbatissam et conuentum eiusdem ex priuilegiis seu donatione Serenissimorum Regum Bohemie

Wenceslay et Othakari et marchionum Morauie . . nec non confirmatione dyocesani episcopi seu episcoporum que quidem priuilegia diligenter inspecta non abolita non cancellata nec in aliqua sui parte uitiata comperimus et inuenimus ius patronatus ecclesie sepius supranominate obtinere. Ideo nomine spiritus sancti inuocato de consilio domini Allexii et Iohannis predictorum dicto monasterio de Thusnawicz ius patronatus ipsius ecclesie de Hanrichs sententialiter diffiniendo adiudicauimus et adiudicamus. non solum potestate arbitraria, in nos tradita, uerum etiam supplentes ordinaria potestate, ceteris partibus super hoc perpetuum silentium imponentes. Et quia in nostra dyocesi usus tabellionum nec in consuetudine hactenus diu obtenta cum personaliter alicuius cause cognitioni ad diffiniendum presidemus duo uiri ad uniuersa acta iudicii conscribenda assumantur non habetur, ideo presentem sententiam per nostrum notarium Iohannem fecimus conscribi et nostri sigilli munimine ne imposterum ex hoc aliqua dubietas posset exoriri roborari. Datum et actum in Puztimir anno domini **M. CC LXXVIII. VIII.** ydus aprilis.

Ex originali ejusdem monasterii cum sigillo illaeso.

CLIV.

Henricus Sweller confert curiam suam et pomoerium juxta Brunam monialibus Cellae s. Mariae Brunae. Dt. in Modřice, XV. Kal. Maji, 1278.

Sancta katholice fidei religio dubitandum nulli sane suggerit, quod in cunctis animarum remediis ea salubrioris effectum medele conferunt, que uite presentis in tempore nobis diuina clementia concesserat operari. Ego igitur *Henricus dictus Sweller* anime mee maioribus intentus remediis vniuersis et singulis, ad quorum presens scriptum peruenerit audientiam, notum facio, quod omnium agrorum meorum possessionem cum curia seu curiis attinentibus, Brunnensi ciuitati adiacentem siue iure proprietario vel sub annuo censu persoluendo possideam et vineam antiquam cum nucium arboribus *sanctimonialibus* ciuitatis eiusdem *in ecclesia beate virginis Marie* dei deuoto cultui iugiter immorantibus possidendam eodem titulo, quo tenui actenus, pure confero propter deum. Vt autem huius beneficii dignior ibidem et indelebilior habeatur memoria, statui quod ex aliis meis redditibus due marce et dimidia, vna videlicet de balneo Kotebori se, de quibusdam curticulis sub castro sitis. et dimidia de reliquis meis censibus quibuscunque cum bonis unde soluuntur memorati redditus obitus mei anniuersario prefatarum sanctimonialium offeratur deuotioni annis singulis celebrando. Ceterum volo, quatenus omnibus innotescat, quod huius pie legationis collationem maturo interueniente consilio disposui, sub hac forma; quod omnium predictorum possessio me uiuum respiciat integraliter; post uite mee decursus temporum ad sepedictas dei cultrices in omni iuris debito deuoluenda. Et ne cuiquam aliquod dubium oriatur presentem literam petiui in testimonium ac facti ratificationem et confirmationem sigillo venerabilis patris domini B. nostri episcopi sigillari testibus nichilominus subnotatis. Testes autem, qui aderant, sunt. Wilhelmus decanus de durans. Martinus canonicus Cremsirensis. Nycolaus in turri. Vlricus de Meneys et Heinricus cheph ciues Brunnenses et alii quam plures. Datum in Moderiz anno domini millesimo CCLXXVIII. XV. Kal. Magi.

Ex originali in archivo S. J. Brunensis.

CLV.

Sophia, uxor Bohušii, marschalli Moraviae, confert monasterio Welehradensi molendinum in Unišowice. Dt. in castro Olomucensi, X. Kal. Julii, 1278.

In nomine sancte et indiuidue trinitatis. Amen. *Sophia* uxor domini *Bohussonis marsalci Morauie* omnibus imperpetuum. Quoniam generacio preterit et generacio aduenit, necesse est, ut facta hominum aminiculo fulciantur scripturarum, ne morientibus hominibus simul cum eis eorum facta vel acta moriantur. Hinc est ergo, quod ego Sophia coniux predicti marscalci notum fieri cupio tam presentibus, quam futuris per presens scriptum, quod ego de voluntate et fauore dicti domini et mariti mei *Bohussonis* marsalci Morauie, necnon filiorum meorum *Castolay* et *Smilonis, Cirhonis* et *Chunonis* et filie mee *Herce,* molendinum nostrum in *Vnnischowicz (vschenowicz* in titulo), quod ego personaliter, rite et racionabiliter emeram a domino Lupino, venerabili abbate et fratribus de Welegrad pro XXVI marcis argenti, reddidi et donaui libere et absolute eidem domino abbati et dictis fratribus necnon monasterio beate virginis in *Welehrat* in remissionem et remedium peccatorum meorum et pro salute prelibati domini et mariti mei et premissorum puerorum meorum mense fratrum dicti monasterii perpetuo deseruiendum. Meatum quoque, in quo aque ad idem descendunt molendinum, qui semper ad nos et villam nostram Nozizlab pertinuit, vnde ante prescriptam empcionem nobis singulis annis debitus census fuit persolutus, cum iam dicto molendino monasterio dedi memorato pacifice et perpetuo possidendum, ea tamen condicione mediante, ut eundem meatum dominus abbas et fratres sepedicti monasterii taliter erigant et ordinent, ne ville et hominibus nostris in Nozizlab dampnum vel euidens lesio per meatum generetur eundem. Pueri quoque nec alii successores nostri in ipso meatu aliquid iuris habere non possunt, eciam si dictam villam vendant vel retineant, quia ipsum meatum sicut et molendinum dicte domui beate virginis de consensu mariti et dictorum puerorum meorum simpliciter dedi et absolute. Quod si supradicta donacio ab aliquo hominum a mensa conuentus alienata fuerit, a nobis et a nostris heredibus repetetur. Hanc autem donacionem pro me fecerunt dominus Bohusso maritus meus, necnon suprascripti filii mei coram patre domino *Brunone* episcopo Olomucensi et coram aliis nobilibus et testibus inferius nominatim expressis. Quam eciam donacionem ego postea in propria persona vna cum dicta filia mea Hercha presente domino Lupino, abbate eiusdem domus circa castrum nostrum *Draholus* rite et canonice perfeci et confirmaui. Ne autem processu temporis per maliciam vel dolum cuiusquam tam deuota et legittima donacio violari possit vel inpugnari, presentem litteram scribi et sigillorum munimine supradicti domini abbatis de Welehrat et domini et mariti mei iussi roborari. Testes vero dicte donacionis sunt hii: Reuerendus in Christo pater dominus Bruno, episcopus Olomucensis; dominus Albertus de vren. Dominus Onschik, camerarius prouincie Olomucen. Hartmannus frater domini Bohusonis. Pardus iuuenis. Protiuecz, Ieronimus et Andreas fratres; et alii quam plures. Acta sunt hec anno domini MCCLXXVIII. X. Kal. Iulii in castro Olomucensi coram domino Alberto de wren, qui tunc iudicio presedit ibidem.

E codice Welehradensi MS. fol. 65.

CLVI.

Bruno, episcopus Olomucensis, praepositum a monasterio Tišňowicensi ad ecclesiam sancti Petri Brunae praesentatum confirmat. Dt. in Modřice, XVI. Kalendas Augusti, 1278.

Bruno dei gratia Olomucensis Episcopus. Dilecto in Christo Iacobo presbytero salutem in domino sinceram. Cum dilecte in Christo . . venerabilis abbatissa et conuentus Ecclesie de *Tusnowiz* ad Ecclesiam ipsis vacantem *in monte sancti Petri in Brunna.* in qua plenum ius obtinent patronatus. te nobis presentauerint. petentes vt tibi donum investiture et amministracionem spiritualium fauorabiliter concedere curaremus. Nos quia te dignum et ydoneum invenimus ad huiusmodi beneficium obtinendum. te ad eandem Ecclesiam. in sancto Petro in Brunna. auctoritate ordinaria confirmamus. curam animarum et amministracionem spiritualium tibi nichilominus conferentes. vt in ea temporalia et spiritualia libere amministres. Datum in Modriz. anno domini Millesimo CC. LXX. VIII. XVI. Kalendas augusti. per manum Iohannis notarii nostri.

Ex originali monasterii Tišňowicensis cum sigillo integro.

CLVII.

Rudolfus, Romanorum rex, civitati Olomucensi jura et libertates concessas confirmat, novisque auget. Dt. in castris apud Iwančice, XII. Kalendas Octobris, 1278.

Rudolfus dei gracia Romanorum Rex semper augustus. Omnibus Imperii Romani fidelibus imperpetuum. Dilectis fidelibus nostris Ciuibus *Olmuzensibus,* qui se ipsos, et Ciuitatem nostre, et Romani Imperii dicioni tam liberaliter, quam fideliter subiecerunt, Regalis gracie plenitudinem plene contulimus, eosque in nostrum fauorem collegimus specialem. Et ut prompta eorum deuocio aliis sit exemplum, ad sinum nostre clemencie fiducialiter transeundi; Nos predictis Ciuibus omnes gracias libertates et iura, seu predia uel possessiones, que uel quas, a *quondam Ottackaro rege Boemie,* uel suis progenitoribus, usque ad hec tempora tenuerunt, rata habemus et grata, easque et ea, ipsis Ciuibus tenore presentium confirmamus. Ex affluencia quoque gracie specialis, dictos Ciues nostros hiis nouis libertatibus insignimus. In primis, libertatis seu exempcionis graciam, a festo beati Marci proxime venturo, ad annum continuum per dictum Regem Boemie ipsis factam, vnius anni adiunccione gratuita, fauorabiliter ampliamus. Ita quod a festo beati Marci predicto, ad duos annos continuos, a precariarum et censuum seruicio quolibet sint liberi et soluti. Indulgemus etiam ciuibus antedictis, ut per vniuersas terras Imperii, atque loca, ubi nomine nostro thelonia recipi consueuerunt, per continuos decem annos liberi transeant, sine cuiuslibet exaccione thelonei, siue mute. Statuimus eciam et presentis auctoritate decreti, inuiolabiliter uolumus obseruari, ut a Ciuitate ipsa Olmuzensi ad unius miliaris spacium circumquaque nulla braxetur ceruisia a quocunque. Insuper volumus, et presenti sanccimus edicto, ut Judei Ciuitatis predicte, vniuersi et singuli, in soluendis nobis contribucionibus siue stiuris, ac ciuitatis oneribus sustinendis, sicut et Ciues predicti, omnimodis astringantur. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostre confirmacionis et innouacionis infringere uel eidem, tam in ueteribus graciis quam in nouis, in aliquo, ausu temerario contraire. Quod qui temere forsitan attemptare presumpserit, grauem nostre Maiestatis offensam se nouerit incursurum. In cuius rei testimonium, et perpetui roboris firmamentum presens scriptum Maiestatis nostre sigillo duximus roborandum. Datum in *castris apud Iwanschicz* XII. Kalendas Octobris. Indiccione sexta. Anno domini Millesimo. ducentesimo. septuagesimo. octauo. Regni vero nostri anno quinto.

Ex originali ejusdem civitatis cum sigillo regali admodum mutilo. — Excus. ex apographo in mea dissertatione: Mähren unter König Rudolph dem Ersten — pag. 49.

CLVIII.

Idem confirmat et auget libertates et immunitates civitatis Přeroviensis. Dt. in castris apud Oslowan, V. Kalendas Octobris, 1278.

Rvdolfus dei gracia Romanorum rex semper Augustus. Omnibus imperii Romani fidelibus inperpetuum. Dilectis fidelibus nostris ciuibus

Prerouensibus, qui se ipsos et ciuitatem nostre et Romani imperii ditioni tam liberaliter quam fideliter subiecerunt, regalis gracie plenitudinem plene contulimus, eosque in nostrum fauorem collegimus specialem. Et vt prompta eorum deuocio aliis sit exemplum, ad sinum nostre clemencie fiducialiter transeundi, nos predictis ciuibus omnes gracias, libertates et iura seu predia vel possessiones, que uel quas a *quondam Othacaro, rege Boemie,* uel suis progenitoribus vsque ad hec tempora tenuerunt, rata habemus et grata, easque et ea ipsis ciuibus tenore presencium confirmamus. In primis volumus, quod nostri ciues de Prerov in eodem iure et libertate sedeant et morentur, quo dilecti nostri ciues in *Olomucz* hactenus sunt gauisi. Item inhibemus. ut telonium, quod vvlgariter dicitur *Brukmaut,* quod ad melioracionem ciuitatis eiusdem predictus rex decem annis continuis deputauit, sicut predicti ciues probauerunt legitimo documento, uiginti annis continuis ad vsum ciuitatis pertineat, ad graciam dicti regis annos decem apponentes. Ex specialis autem gracie indulsu concedimus ciuibus antedictis, ut infra vnius miliaris spacium a ciuitate predicta nulla a quoquam braxetur ceruisia, exceptis solis nobilibus, quibus pro se et sua familia ipsa braxacio indulgetur. Item eisdem indulgemus, ut per continuum quinquennium ab omni exactione siue angaria sint exemti et per vniuersas terras imperii atque loca, vbi nomine nostro thelonia recipi consueuerunt, per idem annorum spacium liberi transeant sine cuiuslibet exaccione thelonii siue mute. Nulli ergo omnino hominum liceat, hanc paginam nostre confirmacionis et concessionis infringere, uel eidem tam in antiquis libertatibus quam in nouis in aliquo ausu temerario contraire. Si quis forsitan idem temere attemptare presumpserit, grauem nostre maiestatis offensam se nouerit incursurum. In cuius rei testimonium et perpetui roboris firmamentum presens priuilegium maiestatis nostre sigillo duximus roborandum. Datum *in castris apud Ozlauan* V. Kalendas Octobris. Indiccione sexta. Anno domini MCCLXXVIII. Regni uero nostri anno quinto.

E codice MS. saec. XV., qui continet opuscula beati Bernardi, quondam in bibliotheca monasterii Gradicensis. — Excusum ibidem pag. 51.

CLIX.

Idem damna a militibus suis oppido Pohořelice illata large resarcit. Datum in castris apud Rosice, III. Kalendas Octobris, 1278.

Rudolfus dei gracia Romanorum rex semper Augustus. Vniuersis Christi fidelibus tam presentibus quam futuris imperpetuum. Congruum est et condecens, et regie conuenit maiestati, vt ciuitates et oppida, que non exigentibus inhabitatorum suorum meritis, sed per gwerrarum casus et iniurias depopulate iacent, ad pristinum, ymmo meliorem commodi statum suscitentur. Hinc est, quod nos intuentes destruccionem opidi nostri *Pohorlicze,* que a nostris militibus facta esse dinoscitur, ne dictum opidum plene desoletur, compassionis intuitu ipsius incolas speciali circa restaurum et profectum eorundem gracia duximus refouere. Indulgemus igitur predictis fidelibus nostris de Pohorlicze, ut telonium apud dictum opidum, quod in vulgari *Prukmaut* appellatur, continuis decem annis in vsus suos et opidi eiusdem recipiant. Donamus eciam eisdem rubum super flumine yglaua, quod nomine duprev nuncupatur, perpetuis temporibus possidendum. Hec autem concessio facta est in presencia et de consensu nobilis uiri Ierozlay de Krauar, nuncii domine Chunegundis, illustris Bohemorum regine, ad quam predictum opidum iure dotalicii didicimus pertinere. Insuper volumus, ut antedicti incole per vniuersas terras imperii atque loca, ubi telonia nomine nostro recipi consueuerunt, continuo decennio liberi transeant sine cuiuslibet vectigalis siue mute exaccione, sintque liberati ab omni solucione contribucionum siue steurarum per idem spacium annorum. Mandamus igitur cunctis fidelibus nostris per Romanum imperium constitutis, quatenus predictos homines de Pohorlize in nostre liberalitatis concessione minime presumant molestare, sed pocius studeant conseruare fauoris nostre maiestatis sub obtentu. In cuius rei testimonium et perpetuum roboris firmamentum presentem paginam maiestatis nostre sigillo duximus roborandam. Datum in castris apud Rossiz III. Kalendas Octobris. Indiccione sexta. Anno domini MCCLXXVIII. Regni nostri anno quinto.

Ex originali quondam monasterii Cellae s. Mariae in archivo Societ. Jesu Brunensis. — Excusum ibidem pag. 52.

CLX.

Kunegundis, Boemorum regina, homines et bona fratrum s. Joannis in Hrobnjk et per universam Opaviensem provinciam a jurisdictione, vulgo sud dicta, eximit. Dt. Pragae, Sabbato ante Esto mihi, **1279.**

Chunegundis dei gracia Boemorum regina. Vniuersis ad quos presentes peruenerint, noticiam subscriptorum. Naturalis dilectionis ac pietatis opera firmiter hoc deposcunt, quod pro salute anime domini, et mariti nostri karissimi, *quondam Otachari clare memorie illustris regis Boemorum,* procuranda, omnem intencionem nostram conuertere nos delectat propter quod ad vniuersorum noticiam volumus peruenire, quod nos ob remedium anime domini et mariti nostri dilectissimi iam predicti, religiosarum personarum comoditatibus intendere cupientes, *fratribus domus hospitalis s. Iohannis Ierusalem,* ad instanciam fratris Hermanni de Brvnshorn magni preceptoris domorum eiusdem ordinis per Boemiam *Morauiam* Poloniam, Daciam et Austriam has libertates et gracias duximus concedendas, vt nullus iudicum officialium, sev preconum, in homines et bona ipsorum tam in *Grobnich* quam et alibi per vniuersam *oppauiensem* prouinciam constituta, iurisdiccionem exerceant aliqualem, nec ipsos ad iurisdictionem talem trahant aut conpellant que *zvd* vvlgariter nuncupatur, dicta etiam bona et homines a communibus et consuetis seruiciis et ab omni exactionis onere dimittimus absolutos, et si quam precariam aut subuencionem iuxta communem terre consuetudinem, bonis et hominibus eorundem fratrum inponi contingeret, eandem memorato fratri Hermanno preceptori propter grata que idem nobis impendit obsequia, et in antea impendere poterit graciora, relinquimus, pro suo beneplacito disponendam. Ad hec firmiter inhibemus, ne dicti fratres, per quoscunque in bonis et domibus suis nulla hospitalitate penitus aggrauentur, et nichilo minus dictos fratres, cum omnibus bonis et hominibus eorundem in nostram protectionem, et graciam recipimus specialem. Dantes has nostras litteras sigilli nostri munimine roboratas, in testimonium omnium premissorum. Datum Prage anno domini millesimo ducentesimo septuagesimo nono. Sabbato proximo ante dominicam Esto michi.

E vidimus civitatis Wratislaviensis dt. 1512. feria II. ante festum sancti Michaëlis in archivo M. Prioratus Melitensium Pragae.

CLXI.

Martinus de Priezer hereditatem suam in Priezer vendit fratribus domus s. Joannis in Kaunice, ceditque duas partes patronatus ecclesiae ibidem. Dt. Znoymae, feria IV. ante Palmarum, 1279.

Ne caducorum gesta mortalia elapse memorie calumpnia paciantur necesse est ea scripture testimonio medicari. Nouerint igitur vniuersi hanc paginam inspecturi quod ego *Martinus de Priezer* ex consilio et assensu fratrum meorum hereditatem meam in *Priezer* videlicet tres laneos siluam prata cum omnibus prouentibus ac iuribus ad eosdem pertinentibus quos ab antecessoribus meis felicis memorie decumbentibus me sensi possedisse pacifice et quiete cum commodo tranquillitatis votiue vendidi pro XL marcis argenti . . . . religionis amatori fratri Hermanno dicto de Brunshorn . . . . *domus hospitalis Iherosolimitani* summo preceptori per Almaniam Bohemiam, Morauiam Poloniam Austriam et Vngariam suisque successoribus ordinis fratrum suorum pleno iure hereditario possidendam. Ceterum in ecclesia ville supradicte de duabus partibus iuris mei patronatus que me contingunt habere pure propter deum eidem Hermanno contuli graciose perpetualiter conferendum, vt sepe dictus cum fratribus suis manutenendo ac defendendo taliter conferat ut sibi una mecum a Christo meritorium conferatur. Huius rei testes sunt Pertholdus comes de Hardek Znoymensis prefectus. Conradus Murczerius. Volframus zudarius, Laurencius frater suus, Lupus de Plauzc. Ne dubium geste rei oriatur quiuis testium sua sigilli apensione roborauit. Datum Znoyme feria quarta ante diem Palmarum anno domini M. CC. LXXIX.

Ex originali in archivo M. Prioratus Melitensium Pragae.

CLXII.

Heinricus, episcopus Warmiensis, oratorium in Königsfeld consecrat, et fratribus s. Joannis Brunae confirmat. Dt. ante Brunam, XI. Kal. Julii, 1279.

Nos Henricus dei gracia Warmiensis ecclesie episcopus, vices gerens reuerendj patris domini Brunonis Olomucensis ecclesie episcopi. Omnibus in perpetuum. Tranquillitatem bonumque statum ecclesiarum, ex officii nostri debito quantum possumus perpetuare volentes, dotem earum quas consecramus, in ipsa consecracione vt iuris est, sollicite perquirimus, vt amministratores sacramentorum ecclesiasticorum ex dotaliciis, prouentibus commode valeant victitare. Confirmamusque ea que iusto possident tytulo auctoritate nobis tradita et concessa. Quapropter constare volentes tam posteris quam modernis, attestacione presencium profitemur. Quod in consecracione oratorii in *Chunigesveld,* commendator et ceteri fratres domus hospitalis Ierosolimitani in *Brunna,* aliique testes ydonei ad nostram inquisicionem super dote ipsius oratorii fiducialiter et concorditer responderunt tempore consecracionis eiusdem, quod ipsum oratorium in Chunigesveld cum suis pertinentiis videlicet maiore decima de ipsa villa Chunigesveld, vnusque laneus, et due curticule cum taberna sua ibidem, ius quoque moncium circa Brunnam tam in frugibus quam in vino, cum vna taberna sita in antiqua Brunna, ad matricem ecclesiam que est in curia fratrum cruciferorum hospitalis Ierosolimitani in honore ss. Wencezlay martyris ac Antonij confessoris sub monte *Spilberch* constructa, pleno iure integraliter pertinerent. Que omnia et singula felicis memorie dominus *Vencezlaus* inclitus rex Boemorum, et marchio Morauie ac eciam dominus *Othakarus* illustris filius eius, sancte recordacionis ipsi ecclesie fratrum hospitalis eiusdem, in remissionem suorum peccaminum liberaliter contulerunt. Nos itaque predictas decimas et cetera bona dotalia prenotata, ecclesie sepedicte sicut iuste possidet, sic auctoritate qua fungimur confirmamus. Presens scriptum nostri sigilli appensione munientes, pro rei memoria sempiterna. Testes vero hii sunt, Wilhelmus decanus de Durens, magister Iordanus plebanus in Retz. Dominus Henricus plebanus in Keyow. dominus Rubinus plebanus s. Nycolay in Brunna et dominus Erkelo omnium Sanctorum ante Brunnam, magister Rytshardus de monte s. Petri in Brunna. et alii quam plurimi fide digni. Acta sunt hec anno domini. M. CC. LXXIX. XI. Kalendas Iulii. Pontificatus nostri anno primo. in curia cruciferorum ante Brunnam.

Ex originali ejusdem archivi.

CLXIII.

Decisio litis inter Pardum de Horka et Častam de Chřelow ratione ecclesiarum in Chřelow et in Horka. Datum Olomucii, IX. Kalendas Julii, **1279.**

Budislaus, miseratione diuina decanus, Alexius prepositus, Cyrus archidiaconus Olomucensis ecclesie, omnibus presentes litteras inspecturis in perpetuum. Ne ea, que rite aguntur, et rationis librata solidantur, examine obliuionis lituris abolita dubietatis tenebris inuoluantur; nouerint vniuersi, quod inter dominos *Pardum de Horka* pro parte iuris patronatus ecclesie de *Chrelow* ex una, et *Chastam de Chrelow* super filiationis debito ecclesie de *Horka* prefate ecclesie Chrelouiensis parte ex altera, litibus suscitatis, nos electi arbitri ex consensu partium vnanimi, consensu domini Peregrini, plebani de Chrelow, nichilominus accedente, equitatis non omisso tramite, subscriptam compositionis formam ex arbitraria, cum conscientia uenerabilis patris et domini nostri Brunonis, episcopi Olomucensis, protulimus potestate, quatenus dominus Pardus cum suis heredibus in Horka ex integro, et dominus Chasta cum suis in Chrelow, absque contradictione ac impedimento quolibet ius perpetuo possideant patronatus. Quodsi qua partium huic nostre ordinationi rationabili atque iuste contraire presumpserit, primo excommunicationis sententiam auctoritate venerabilis patris et domini nostri memorati, Olomucensis episcopi, ipso facto nouerit incurrisse; deinde ipsi domino episcopo decem marcas argenti, et ad opus ecclesie decem, preterea nobis arbitris decem, et parti aduerse decem marcas soluere teneatur. Adiicimus etiam, quodsi plebanus de Chrelow predictus vel successor eius aliquid contra nostram ordinationem attemptauerit, et dominus Chasta uel sui posteri eum ab inquietatione domini Pardi uel suorum abigere non curauerit uel non possit, de suo sibi satisfaciat, uel ad prescriptam uallati formam arbitrii teneatur. Actum anno incarnationis dominice **MCCLXXIX. IX.** Kalendas Iulii, presentibus personis ecclesiasticis: uenerabili patre et domino nostro Brunone episcopo. Magistro Theodorico. Domino Bartholomeo, Petro, Victore, Thoma, canonicis. Lupello, Victore, Ioanne, Remoldo, vicariis, nec non religiosis uiris: domino Budis abbate, Henrico priore, Ioanne camerario ecclesie Gradicensis. Laicis quoque: domino Alberto de

Lessan, Onsone camerario, Woyslao iudice Olomucensi, ac aliis pluribus fide dignis. Vt autem hec nostra ordinatio rationabilis inconuulsa maneat, et stabilis perseueret, presentes litteras sigillorum uenerabilis domini nostri episcopi, et nostrorum specialium munimine decreuimus roborari. Datum Olomucii. Anno et die prefatis.

Ex Annalibus Gradicensibus MSS. saepius citatis.

CLXIV.

Decisio litis inter plebanos de Wrbowa et Schataw de decimis villae Němčice. Dt. in Tajax, pridie Kalendas Julii, **1279.**

Reuerendo in Christo patri ac domino suo venerabili B.(runoni), Olomucensi episcopo, Ior.(danus) plebanus de Retz, Io.(hannes) decanus Znoymensis, orationes deuotas cum reuerentia et honore. Litteras vestras recepimus in hec uerba. B. dei gracia Olomucensis episcopus, dilectis sibi in Christo, Io. decano Znoymensi, et Ior. plebano in Retz. Salutem et sinceram in domino karitatem. Quia uenerabilis Th.(eodericus) abbas *Lucensis* et H.(enricus) plebanus de *Vrbaw,* super questione decimarum ville *Nempschitz,* quam inter se habent a nobis humiliter supplicarunt, vt vos in *Deiax* descendere faceremus testes recepturos, quos vtraque pars produceret coram vobis. Quare vobis in quantum possumus, precipimus, ut ad locum predictum vnanimiter accedatis, recipientes testes coram vestri presentia a partibus producendos, quibus fideliter examinatis eandem decimam adiudicetis, siue ecclesie *Schatow,* siue ecclesie in Vrbow, secundum quod ex dictis eorum perspicere poteritis diligenter, omni iuris strepitu propulsato, quod a nobis partes per suas litteras petierunt. Datum in Olmunz quinta feria post trinitatis, Kalendis Iunii. Auctoritate igitur huius mandati, ad testes producendos super predicta causa sextam feriam proximam post festum Petri et Pauli apostolorum supra dictis partibus pro peremptorio termino in Deiax duximus assignandum, quo adueniente nobis iudicio, in ecclesia de Deiax presidentibus, ac testes recipientibus, scilicet Pechclonem de Schataw, Iohannem de Schataw, Leonem, Witkonem, Hermannum, Pihan de Qualndorf, qui pro parte domini Th. abbatis fuerunt producti, altera parte productioni testium renuntiante. Quibus secundum formam iuris receptis, et examinatis diligenter, inuenimus decimas ville Nempschizt, cum iure parochiali et funerandi ad ecclesiam in Schataw, indubitanter spectare. Vnde nos omni iuris strepitu propulsato, prout nobis vestris litteris mandabatur, in hiis scriptis sententialiter diffinimus, predicta iura et decimas eiusdem uille spectare ad ecclesiam in Schataw, cuius ius patronatus immediate ad monasterium Lucense dinoscitur pertinere domino Henrico, plebano de Vrbaw, super predictis iuribus et decima nomine ecclesie sue de Vrbaw perpetuum silentium inponendo, precipientes eidem auctoritate nobis concessa, ne deinceps se intromittat de iuribus supra dictis, sev plebezanos predicte ville Nempschizt in ecclesia sua per se uel per suum vicarium, admittere audeat ad diuina. Et hanc sententiam vobis transmittimus, ut eam ex certa scientia confirmetis, ne oriatur dubium in futuro, maxime quia partes in ipsa sententia pariter consenserunt. Hanc igitur sententiam, a nobis relatam vobis, in signum testimonii domino Theoderico abbati Lucensi restitui faciatis. Acta sunt hec in Ecclesia de Deiax. Anno domini M. CC. LXXIX. pridie Kalendas Iulii, scilicet sexta feria supradicta. Presentibus hiis testibus. Domino Petro plebano de Retzpach, *domino Leuoldo, capellano domini marchionis de Brandenburch,* plebano de Patelow. Teoderico vicario de Deiax, Theoderico et Paulo fratribus de Deiax, Iursicone de Cedelspizt, Hirzone de Deiax, Wismanno de Schataw. Chvnrado fratre plebani de Schataw, Martino filio Hirzonis de Oderwizt, Gerhardo cognato plebani de Znoym, et aliis quam pluribus.

Ex originali monasterii Lucensis.

CLXV.

Sifridus, civis Olomucensis, profitetur, se quosdam agros in Topolany tenere jure emphiteutico sibi concessos a monasterio Gradicensi. Dt. in Hradišť, Kalendis Julii, 1279.

In Nomine domini amen. Vniuersis presentem inspecturis paginam. Siffridus Ciuis Olomucensis, magister poncium imperpetuum. Sane quia caducorum necesse est legi subiaceant, que a mutabili principio sui ortus primordia susceperunt. nisi litterarum anthidotis vtcumque ad noticiam posterorum traducta perpetuitatis gratiam consequantur. Ego *Siffridus, Ciuis Olomucensis,* magister poncium, tenore profiteor et protestor. a uenerabilibus dominis meis, Budis abbate, ac conuentu ecclesie *Gradicensis,* premonstratensis ordinis, laneum et dimidium in villa *Thopolan,* ad suam spectantes ecclesiam, iure Emphiteotico, quod Burcrecht dicitur in vulgari. de voluntate ac consensu felicis memorie venerabilis domini Roberti quondam abbatis, et Conuentus Ecclesie supradicte. mea pecunia comparatos, ex eorum matura rationabilique deliberacione ac consensu vnanimi, me suscepisse concessos. michi, et meis successoribus in Magistratu poncium perpetuo libere possidendos. relaxatis michi et meis posteris censu qui se ad dimidium quintum fertonem argenti debebat extendere, annis singulis, vectigalibus quoque, messura, falcatura, et aliis seruitiorum generibus, quocunque nomine censeantur. ad hec stevris siue iuuaminibus, preter Regias collectas si requisite fuerint generales, in quibus etiam quantum possunt precibus suis tam michi quam meis vt dixi successoribus adesse auxilio spoponderunt, ab interesse preterea iudiciis eorum communibus nobis, nisi sponte libertati nostre renuntiare velimus exemptis, hoc duntaxat excepto, si forte de me uel meis posteris, vel de hominibus nostris in eisdem bonis manentibus, querimoniam qualemcumque, magnam uel parwam deponi continget. tunc enim coram domino nostro abbate, et suis successoribus, sicut ceteri sui homines respondere tenebimur, loco, et termino assignatis. Supradictis omnibus tam michi quam meis posteris relaxatis liberaliter ea potissime ratione. quatenus homines abbatis et conuentus Ecclesie memorate de prouincia Olomucensi, siue bona eorum augeri per empcionem, donacionem, uel siluarum extirpacionem, seu mutari domino concedente contingat, a solucione, quam racione poncium Magistro pontis, videlicet de quolibet laneo et taberna sex denarios annuatim reddere tenebantur perpetuo sint exemti. In recognicionem autem huius ipsorum concessionis, voluntarie, racionabiliter, rite facte, et mee nichilominus suscepcionis, Ego Siffridus, et mei successores in magistratus poncium officio, anno quolibet in vigilia pasce domini sibi, et suis successoribus duos agnellos viuos albi coloris et pinques tenebimur presentare. Quod si facere neglexerimus, dominus abbas, de bonis predictis absque contradiccione pro eo pignus sufficiens sibi faciet assignari. Et vt hec vtriusque partis domini abbatis et mee sane ac racionabiliter facta ordinacio perpetue robur firmitatis obtineat, et inconvulsa, ac stabilis perseueret, presentem paginam super ipso contractu, siue concessione ipsorum michi prehabita confectam, ab ipsis abbate et conuentu scilicet, dominis meis recepi sigillorum domini Budizlai decani, allexii prepositi, Olomucensis Ecclesie, dominorum quoque meorum, Budis abbatis, et conuentus Ecclesie Gradicensis, sed et sigilli Ciuitatis Olomucensis, munimine roboratam. Actum, et datum in Gradis, anno domini M. CC. LXXIX. Kalendis iulij. Testes sunt, Budizlaus decanus, allexius prepositus, Cyrus archidiaconus, victor, Predborius, Hartmannus, vitco, canonici, victor, Lupellus, Reinoldus, vicarij Ecclesie Olomucensis, Henricus prior, Iohannes camerarius, velizlaus custos, voyzlaus prepositus, Romanus, Florianus, diaconi, Hermannus, Nicolaus, subdiaconi Gradicenses, Pardus de horca, Belco milites, Fridericus iudex, Roslinus, Mengotus, Ditricus, iurati, vencezlaus, Ottho, Gotfridus, ciues Olomucenses, et alii fide digni.

Ex originali cum quinque sigillis appensis in archivo ejusdem monasterii.

CLXVI.

Bruno, episcopus Olomucensis, fratribus de Templo confirmat jus patronatus ecclesiae in Dubňany cum filiabus in Dukowany et in Bohuslawice. Dt. in Modřice, pridie Kalendas Septembris, 1279.

Nos Bruno Dei gratia Olomucensis episcopus tenore presentium protestamur et constare uolumus uniuersis presentibus ac futuris, quod hereditas et ius patronatus ecclesie in *Dubin* ad dilectos in Christo *fratres de templo* pertinet pleno iure et in eadem ecclesia ius patronatus perpetuo obtinebunt, quod ipsis fratribus de templo auctoritate ordinaria perpetuo confirmamus, cui etiam ecclesie de Dubin, ecclesia in *Toccouan* et ecclesia in *Bohuslauiz,* tanquam filie sunt annexe, et ab ipsa non possunt aliqualiter separari. In cuius rei testimonium presentes ipsis fratribus dedimus litteras nostri sigilli munimine roboratas. Datum in Modriz anno Domini Millesimo. CC. LXX. IX. Pridie Kalendas Septembris.

Pelzel — Beiträge zur Geschichte der Tempelherrn. — Originale in archivo M. Prioratus Melitensium Pragae adservatur.

CLXVII.

Idem confirmat decisam litem de decimis villae Němčice. Dt. Cremsirii, die 21. Septembris, 1279.

B.(runo) dei gracia Olomucensis episcopus, vniuersis presens scriptum intuentibus salutem in domino. Cum a nobis aliqua confirmatio postulatur, per quam repellitur materia iurgiorum, illam tanto libentius debemus inpendere, quanto in nostrorum subditorum quiete cupimus delectari. Proinde tenore presentium protestamur, quod sententiam vna cum suo processu, quam discreti viri, Iordanus plebanus de Rezz, ac Iohannes decanus Znoymensis, inter venerabilem, Theodericum Abbatem *Lucensem* Premonstratensis ordinis, et Henricum plebanum de *Vrbaw,* nostre dyocesis super decima ville *Nempschicz* promulgarunt, cum eorum sigillis apensis, non vitiatam nec cancellatam nec in aliqua parte sui lesam recepimus in hec verba. *(Reuerendo in Christo patri . . MCCLXXIX. pridie Kal. Julii. Vide n. CLXIV.)* Vnde ut tenemur supra dictis petitionibus annuendo, memoratam sententiam, auctoritate nostra ordinaria et certa scientia confirmamus, ipsamque ratam habendo, sub anathemate prohibemus, ne quis ausu temerario ipsam presumat aliquatenus violare. In cuius rei testimonium hanc paginam sigilli nostri munimine fecimus roborari, predicto monasterio assignatam. Anno domini M. CC. LXXIX. in Cremsir in crastino beati sancti Mauricii.

Ex originali in archivo monasterii Lucensis.

CLXVIII.

Kunegundis, regina Boëmiae et domina terrae Opariae, confirmat jus patronatus parochiae in Hlubčice fratribus hospitalis s. Joannis Hierosolymitani. Dt. in Grætz (Hradec) III. Idus Octobris, 1279.

Kunegundis dei gratia regina bohemie et domina terre oppauie in perpetuum. Quoniam ut ait apostolus omnes stabimus ante tribunal Christi ideo oportet nos diem messionis extreme misericordie operibus preuenire. Noscat igitur tam presens hominum etas, quam successura posteritas, quod nos donacionem seu collacionem iuris patronatus in *Lubsitz* factam quondam ab illustri rege Bohemie nostro marito felicis memorie nobis consencientibus et uolentibus, magistro et *fratribus hospitalis s. Iohannis Ierosolimitani* in remedium anime nostre et mariti nostri et omnium progenitorum nostrorum ratificamus ex certa sciencia requisito nostro consilio et confirmamus. Insuper ad maiorem certitudinem in terre sancte et pauperum infirmorum subsidium conferimus et donamus libere et plenissime predicto hospitali predictum ius patronatus ecclesie in Lubschitz et quicquid iuris in ipsa ecclesia retinemus, rogantes ut dominus episcopus predictos magistrum et fratres recognoscat ueros patronos sicut nos et maritum nostrum dominum regem bohemie recognouit. Ne igitur super premissis in posterum dubium oriatur presentem litteram perfecte donacionis cum testibus infra scriptis sigilli nostri munimine fecimus communiri. Testes sunt hii Herbordus Vvllenstein. et filius suus Henningus. Kuno burgrauius in Gretz. dominus Miloto et Benessius filius fratris sui. Protiwen kamerarius. Sheborius de namish. Matheus de Shirnehor. Conradus de Praga. Rudgerus iudex de Lubschitz. Actum et datum in Gretz anno domini M. CC. LXXIX. III. idus Octobris.

Ex originali in archivo M. Prioratus Melitensium Pragae.

CLXIX.

Bruno, episcopus Olomucensis, domui fratrum sancti Joannis in Hrobnjk jus patronatus ejusdem ecclesiae confirmat. Datum in Hotzemplotz, XV. Kalendas Novembris, 1279.

In nomine sancte et indiuidue trinitatis amen. Cum rerum gestarum certissima representatio sit scriptura, que de verborum serie in eam redactorum nil minuit aut immutat, necesse est ea, que in tempore geruntur scriptis authenticis perennari. Igitur nos *Bruno* Dei gratia episcopus Olomucensis ad notitiam peruenire cupimus singulorum tam presentium quam futurorum, quod dominus noster dominus *Otthacarus* gloriosus Bohemorum rex pie recordationis, et demum domina nostra inclyta regina Bohemorum domina Oppauie dilectis in Christo commendatori et *fratribus hospitalis s. Iohannis Hierosolymitani in Grobnik* habito prudentum et fidelium suorum consilio, pro remedio animarum suarum et predecessorum suorum ius patronatus ecclesie parochialis in *Lubsicz* donauerunt et dederunt et contulerunt iisdem fratribus perpetuo possidendum nulla conditione vel exceptione penitus interclusa. Cum igitur authoritate ordinaria, ad tam piam et solennem donationem consensum et assensum debeamus non immerito fauorabiliter adhibere, predictam donationem seu collationem tam rite quam rationabiliter factam, prefatis fratribus de Grobnik confirmamus, approbamus, ratificamus sine omni contradictione in perpetuum possidendum, mittentes nichilominus ipsos in possessionem predicti iuris patronatus in nomine patris et filii et spiritus sancti. Inhibemus preterea tam presentibus quam futuris sub anathematis interminatione, ne quis huic collationi siue nostre confirmationi presumat vel audeat ausu temerario contraire. Quod autem hec collatio siue nostra confirmatio robur obtineat perpetue firmitatis, presentem paginam inde conscribi nostrique sigilli munimine iussimus communiri. Testibus ad cautelam nihilominus subnotatis. Testes autem qui aderant, sunt: dominus Herbordus dapifer noster Ioannes et Conradus filii ipsius, dominus Ludolphus de Nasil, Ioannes scolasticus, Dittricus de Vvllenstein, canonici Olomucenses, magister Petrus physicus noster, dominus Achilles et dominus Nicolaus milites nostri, et alii quam plures. Actum et datum in Hotzempla, per manum Iohannis notarii nostri. Anno Domini. M. CC. LXXIX. XV. Kalendas Nouembris.

E copia vidimata saec. XVII. in archivo archiepiscopali Olomucensi.

CLXX.

Idem vicedominus Olomucensis et Přeroviensis provinciarum ad mandatum Rudolfi, Romanorum regis, decidit litem inter Albertum de Lešany et Budiš, abbatem Gradicensem, de limitibus villarum Kněnice et Konice. Datum in Mohelnice, VI. Kalendas Decembris, 1279.

Bruno, dei gratia episcopus Olomucensis, Olomucensis et Prerouiensis prouinciarum vicedominus, vniuersis presentem paginam inspecturis ad memorie fulcimentum. Cum a serenissimo domino nostro, Romanorum rege Rudolpho, receperimus in mandatis, ut dilecto nobis Budis, uenerabili abbati, *Gradicensi,* Premonstratensis ordinis, de omnibus, sibi et ecclesie sue iniuriam facientibus, secundum tenorem priuilegiorum suorum curemus tanquam iudex ordinarius iustitie facere complementum, et sua manu tenere priuilegia, et fideliter defensare: in *concilio nostro prouinciali, in die octauo Martini proximo in Olomucz celebrato,* assidentibus nobis beneficiariis, videlicet Onsone, camerario, Woislao, zudario Olomucensibus, et aliis quam pluribus terre baronibus, dictus Budis, abbas Gradicensis, per dominum Bohussie, marschalcum Morauie, petitum et obtentum a nobis aduocatum, secundum formam iuris communis proposuit: quod dominus Albertus, dictus de Lessan, limites ecclesie sue inter *Knyenicz* et *Conitz,* dictos vulgariter Sadek, Na wrch malineho, Na wrch desthneho, usque Na wrch iawornjka, per descensum usque ad uiam, que uulgo uocatur Hwozdeczska cesta, iniuriose transgressus adiacentes campos et siluas uiolenter in sue preiudicium ecclesie occupat, locat et plantat, et sic detinet occupatos, quod etiam per sue priuilegia ecclesie inibi declarauit, eisdem priuilegiis aduersa parte contradicere non ualente. Quo nos uiso uolentes prefatum negotium pacifice terminare, licet ad diffinitiuam procedere debuissemus iure sententiam, persuasimus partibus, ut in communem personam, cui constat de facto, libere compromitterent, et cuicumque illa testimonium perhiberet, ille per hoc pro se sententiam obtineret. Cumque ibidem adesset Iohannes, quondam uillicus serenissimi domini nostri Ottacari, regis Bohemorum quinti, de quo fatebatur dominus Albertus, quod predictos limites et bona de manu eiusdem uillici, et non de potestate abbatis suscepisset, ex utraque parte in eundem fuit unanimiter compromissum. Qui coram nobis et aliis quam pluribus, nobis assidentibus, est clare protestatus, quod ipse quidem illa bona ex inductu forestariorum iniuriose occupauerat, sed domino abbate adeunte felicis memorie dominum regem Boemie, et ipsi suam iustitiam per priuilegia ostendente, dum adhuc uiueret, ad mandatum ipsius regis cesserit eidem abbati de bonis superius memoratis. Cum autem aduersa pars nec contra testem nec contra testimonium eius aliquid excepisset, aduocatus sepedicti abbatis a nobis et prefatis beneficiariis requisiuit, utrum in signum obtente et euicte cause iuxta consuetudinem iuris terre predictus abbas nobis deberet regratiando inclinare, et duos, qui uulgo prysudni dicuntur, denarios in testimonium prescripte euictionis offerre. Quod per sententiam communem nullo contradicente, una etiam ipso Alberto aduersario consentiente, annuimus faciendum. Inclinauit igitur prefatus abbas, et gratias egit, et duos denarios domino Woislao zudario presentauit, sicque suam iustitiam obtinuit pleno iure. His ita actis cum memoratus dominus Albertus, ut pretactum est, nec contra priuilegia, nec in personam testis siue dicta eius, seu etiam inclinationem capitis et gratiarum actiones et duorum exhibitionem denariorum, qui Prysudni vulgo dicuntur, aliquid exciperet, eidem abbati ac iuri suo satisfacientes nuntios dedimus, videlicet Onsonem camerarium, Woislaum zudarium, et dominum Koiatam de Drnowitz cum aliis beneficiariis, prefato Alberto non contradicente, coram quibus idem abbas predictos limites declaratos in iudicio per priuilegia renouaret. Quod cum fieri deberet, sepe dictus Albertus in hoc eum procedere permisit lubenter. Ut autem hec nostra protestatio et iudicium, rite secundum ius terre celebratum, nota sint tam presentibus quam futuris, ne de eis aliquod dubium in posterum generetur, sigillum nostrum ac sigilla beneficiariorum predictorum, videlicet Onsonis camerarii et Woislai zudarii, presentibus duximus appendenda. Huius rei testes sunt: Milota de Dieditz. Bohussie, marschalcus Morauie. Hartmannus, frater eius de Ceblouitz. Wssieborius de Namyessz. Coiata de Drnowitz. Wilhelmus de Dubczisk. Nicolaus de Ottazlawitz. Sudek. Borzuta de Cennitz. Ratmirus de Penczin. Luderus de Kokor. Albertus de Sternberg. Achilles et Nicolaus, milites nostri, et alii quam plures. Actum et datum in Mohelnitz. Anno domini MCCLXXIX. VI. Kalendas Decembris.

Ex Annalibus Gradicensibus MSS. — Excusum in mea dissertatione: Mähren unter König Rudolph dem Ersten — pag. 66.

CLXXI.

Thomas, episcopus Wratislariensis, monialibus Cellae s. Mariae Brunae per incendiarios combustae indulgentias elargitur. Datum Wratislariae, die 5. Februarii, 1280.

Thomas, miseratione diuina Vratislauiensis Episcopus, vniuersis Christi fidelibus, in sua diocesi constitutis, Salutem in omnium saluatore. Cum ea seminare debeamus in terris, que cum multiplicato fructu a domino recolligere valeamus in celis, debemus diem messionis extreme pietatis operibus preuenire, cum pietas ualeat ad omnia, repromissionem uite in se habens presentis secundum apostolum et future. Igitur cum claustrum quoddam religiosarum dominarum *Celle Sancte Marie in Brunna,* diocesis Olomucensis, quod honorabilis domina Deo deuota, Herburga, hominum nichilominus adiutoriis ad hoc sibi cooperantium condidit et construxit, se et bona omnia sua subiiciens eidem, per incendiarios, qui nouiter austriam, morauiam et prouincias illarum parcium intrauerant ex toto penitus cum omnibus rebus, quas in eo habuerant, sit combustum, et ad nichilum quasi redactum, ita quod dictis sororibus, que in ipso remanent, nichil vel modicum pro uite superest subsidio, vestram rogamus deuotionem et adhortamur in domino, presentibus vos monentes, quatenus ad reedificationem prefati claustri, quod de nouo incepit, et sustentacionem dominarum earumdem, que nullas adhuc possessiones habent, nisi quantum domina Herburga supradicta ipsis addidit, de bonis, a domino vobis prestitis, vestras elemosinas erogetis, vt per hec et alia opera caritatis possitis felicitatis gaudia promereri. Nos etiam confisi de misericordia omnipotentis dei omnibus, qui ad edificationem eiusdem claustri manum porrexerint adiutricem, quadraginta dies indulgencie impertimur, ratas habentes indulgencias domini pape et aliorum episcoporum, que memoratis sororibus super hoc sunt concesse. Datum Vratislauie anno a natiuitate domini MCCLXXX. In die Sancte Agate virginis et martyris.

Ex originali ejusdem monasterii in archivo S. J. Brunensis. — Excusum ibidem — pag. 69.

CLXXII.

Tobias, episcopus Pragensis, ratihabet compositionem amicabilem de metis inter Kogeljn et Bezmjrow factam inter se et Budiš, abbatem Gradicensem. Dt. in Kogeljn, VII. Idus Februarii, 1280.

In nomine domini amen. Nos Thobias, dei gratia Pragensis episcopus, et Budis, abbas *Gradicensis,* Premonstratensis ordinis, diocesis Olomucensis, tenore presentium notificamus et testamur, quod inter nos super metis et finibus loci forensis episcopatus nostri, dicti *Kogietin,* et uille predicti monasterii Gradicensis, dicte uulgariter *Bezmirow,* orta esset materia questionis, tandem tractatu communi amicorum nos predictus episcopus, habendo nobiscum honorabiles uiros, dominos Gotfridum prepositum, Gregorium decanum, et Petrum archidiaconum Pragensem, ac dominos Thomam, s. Egidii, et Allexium, Olomucensis ecclesiarum prepositos, nec non magistrum Theodoricum, archidiaconum Gradicensem, predicte Pragensis ecclesie canonicos, Peregrinum militem, camerarium nostrum. Nos predictus abbas habendo nobiscum Woyslaum prepositum, et Ioannem, camerarium eiusdem monasterii nostri, Budislaum, seruientem nostrum de Wessele, elegimus, et compromisimus in eosdem: ut ipsi, habendo deum pre oculis, metas et fines inter predictum locum forensem Kogietin et eandem uillam Bezmirow pro utraque parte fideliter ponerent ac etiam declararent, promittentes firmiter et obligantes nos et successores nostros, ratum semper habituros et firmum, quidquid iam predicti Peregrinus et Budislaus super predictis metis et finibus ordinarent. Qui assumptis secum Swietek, Hostiek et Benek, iuratis eiusdem loci Kogietin, ac Bohuslao Sedlon, nec non iurato forestario, Ospel et Mnihus, ministerialibus de Popowicz, ac Bohuslao Sedlon et Zoris, iuratis predicte uille Bezmirow, et Bratata, forestario de Hradisch, uilla predicti monasterii, predictos fines et metas taliter posuerunt: Prima meta posita est sub ponte, qui est super fluuium, dictum *Hanna,* sicut decurrit in fluuium, dictum *Morauiczam,* ita quod predictus fluuius Hane totus est de territorio Kogetin, et ripa predicti fluuii uersus eandem uillam Bezmirow est de territorio predicte uille, ita quod non liceat nobis predicto abbati uel successoribus nostris in predicta ripa construere molendinum, uel aliquod obstaculum facere in eadem. Et quidquid est inter predictum pontem et primum cumulum, qui est positus super predictum fluuium Hana, et a predicto cumulo usque ad alium cumulum per directum iuxta uiam publicam, que ducit uersus *Chremsir,* totum est pro reparatione pontis predicti. Trans flumen uero predictum Morauiczam per directum usque ad stagnum, dictum *Martin-Sehe,* et a predicto stagno, quod totum est nostri predicti abbatis, usque ad uerticem dicti stagni per gyrum mete sunt posite, a predicto uertice ipsius stagni usque ad fluuium, qui dicitur *Dyelnastruha;* trans predictum autem fluuium per directum mete sunt facte, que *Kopci* uulgariter dicuntur, usque ad uiam, que dicitur *Bezmirowska cesta;* que uia diuidit seu distinguit usque ad fluuium, dictum *Radsche;* et trans fluuium predictum predicta uia distinguit usque ad fluuium, dictum *Teba.* Quas metas et fines, prout superius sunt expresse, nos predicti episcopus et abbas ratas habentes et gratas, ipsas acceptamus, et tenore presentium confirmamus. Ad huius autem rei memoriam et robur perpetuo ualiturum presentes litteras exinde fieri fecimus, et nostrorum ac predictorum, Gotfridi prepositi, Gregorii decani, Petri archidiaconi, Thome et Alexii prepositorum, ac magistri Theodorici, archidiaconi, sigillorum munimine roborari. Actum et datum in Kogetin. Anno domini M. CC. LXXX. VII. Idus Februarii. Indictione VIII.

Ex Annalibus Gradicensibus MSS. — Excusum ibidem — pag. 70.

CLXXIII.

Bruno, episcopus Olomucensis, Conrado de Jarohněwice, famulo suo, feudum in Pustoměř confert. Dt. in Kelč, feria IV. ante dominicam Laetare. 1280.

Bruno dei gracia episcopus Olomucensis, famulo suo dilecto *Chonrado. dicto de Gernowiz* et heredibus suis in perpetuum. Dignum agimus et racione mouemur, dum eorum qui se nobis, et ecclesie nostre seruiles exhibent et fideles. recompensamus seruicia fauore ac gracia speciali, vt feruencius nostris insistant obsequiis, dum fauorem nostrum sibi senserint affuisse. Hinc est, quod inspectis sinceritatis tue seruiciis, que nobis in ecclesie nostre negociis et vtilitatibus, non parcendo rebus et persone promtitudine grata iam diucius impendisti, et intendas in huiusmodi persistere seruiciis incessanter. Cumque benefecisse bonis fidelibus sit omni parte lucrosum, Nos tibi qui te, tam fidei puritate, quam seruiciorum et laborum exigencia, retribucionis premio dignum reddis damus et conferimus liberaliter et libenter in feodum, capituli nostri accedente consensu, in *Pustimir* duos mansos et dimidium, ibidemque nostri pomerii medietatem, et alia tria pomeria, que tuis laboribus et sumptibus comparasti, cum omnibus vtilitatibus eorundem, videlicet cum censu, iudicio, steuris omnibusque prouentibus, qui supradictis mansis et pomeriis insunt vel inesse poterunt in futuro, nullo diminuto vel excepto, vt per te, ac heredes tuos filios dumtaxat, et non filias, titulo feodi teneas et possideas, ac racione ipsius feodi *ius fasallorum Magdeburgensis* ecclesie habeas in omnibus indistinctum, quod et aliis concessimus infeodatis a nobis, quodque heredes tui filii tantum, sicut premissum est gaudeant ipso iure. Dabis etiam annis singulis in recognicionem bonorum eorundem, canonicis nostris Olomucensibus de quolibet manso mensuram tritici, quemadmodum ceteri infeodati a nobis, dare tenentur, Nobis vero annis singulis, omnium fructuum et vtilitatum decimam dare de prescriptis tribus pomeriis non obmittes. Vt autem omnia premissa perpetuam obtineant firmitatem. nos ad rei memoriam sempiternam, presentem paginam inde conscribi, nostrique sigilli iussimus munimine roborari. Et nos Olomucense capitulum, ego videlicet Budislaus decanus. Allexius prepositus. Cyrus archidiaconus. Iohannes scolasticus. Lampertus custos. Bartolomeus. Thidericus de Vvlmensteyn. Thidericus de Yglauia. Vlricus. Petracus. Thomas. Hartmannus, ceterique canonici consensum liberaliter adhibentes nostrum, presens scriptum super premissis omnibus in testimonium, et sigilli nostri munimine roboramus. Datum in Gelz anno domini M. CCLXXX. feria quarta ante dominicam, Letare Ierusalem.

Ex originali in archivo archiepiscopali Cremsiriensi.

CLXXIV.

Bludo de Gičjn monasterio Gradicensi curiam in Žerotjn oppignorat. Dt. in Hradišť, Nonis Maji, 1280.

Uniuersis presentem paginam inspecturis *Bludo de Gichin* salutem et sinceram in domino charitatem. Uniuersitatis uestre notitie, ac memorie posteritatis secuture tenore presentium testificor et protestor, me uenerabili domino Budis, abbati et conuentui ecclesie *Gradicensis,* curiam meam cum quatuor laneis, et decem laneis censualibus in *Sirelyn* pro centum et septem marcis argenti usque ad octauas beati Martini obligasse, quos laneos, si in termino prenotato ab ipsis pro predicta summa redimere non ualebo, ex tunc predicti lanei ad iurisdictionem prefati domini abbatis et sui conuentus cedent iure hereditario possidendi, committendi nichilominus cum tota uilla Siretyn taxationi discretarum et honorabilium personarum; qua taxatione peracta si prescripti lanei una cum reliqua parte uille Siretyn ualorem suum centum et septem marcarum attingere non poterunt, ipsi domino abbati de bonis nostris in uilla nostra *Pneuicii* tantum spondeo iure hereditario assignare, quantum adiunctum ad Siretyn pro centum et septem marcis fuerit estimatum. Sin autem taxatione habita prenotati lanei simul cum parte uille residua eiusdem ualorem centum et septem marcarum excesserint, mihi reliquam et supercrescentem partem pecunie dictus dominus abbas persoluens, totam uillam Siretyn iure hereditario possidebit. Cuius facti attestationem domino Onsoni, patruo nostro carissimo, camerario Olomucensi, coram beneficiariis meo uerbo et uoluntate commisi propalandam. Qui amore mei dictum negotium in suam curam assumendo, coram beneficiariis castri Olomucensis, uidelicet: Hodisone, iudicio loco regis presidente et camerarii, Martino, uillico camerarii Onsonis prefati, Woyslao iudice, Wawricone, citatore regis, Svieticone, citatore camerarii, Sdislao de Medlowye, subiudice, fuit in palam et manifeste omnia supra dicta protestatus. Ut autem nulli super huiusmodi facto aliquod dubium possit generari, presentes feci conscribi, et sigilli nostri munimine roborari. Actum et datum in Gradisch. Anno domini M. CC. LXXX. Nonas Maii. Huius rei testes sunt: Onso, prenominatus camerarius Olomucensis de Chisteslem. Adam de Dobromilicz. Dreslaus de Chistesleme. Budislaus de Wessele. Woyslaus de Uiesd. Bohuhualus de Stretes. Mirech de Pneho, filius Poliunconis. Swohanus de Hermanicz, miles abbatis. Mladie, armiger abbatis de Topolan, et alii quam plures fide digni.

Ex Annalibus Gradicensibus MSS. — Excusum in dissertatione mea: Mähren unter König Rudolph dem Ersten — pag. 73.

CLXXV.

Bruno, episcopus Olomucensis, testatur, militem Sudjk resignasse villam Lubtjn Heinrico et Gottfrido de Němčj. Dt. in Kelři, die ***10.*** *Maji,* **1280.**

Nos Bruno, dei gratia episcopus Olomucensis, tenore presentium protestamur, et constare volumus vniuersis, quod dilectus nobis Zudico, miles noster, in nostra presentia pro se, et filiis suis, et omnibus amicis suis villam siue hereditatem in *Luptyn Henrico et Golfrido, fratribus de Nemse*, et eorum heredibus iure hereditario libere resignauit. Ita quod eadem villa siue hereditas in Luptyn ad eosdem in perpetuum debeat pertinere, super quo presentes litteras in testimonium dari fecimus, sigilli nostri munimine roboratas. Testes autem, qui huic resignationi interfuerunt, sunt hii: dominus Chuno de Chunstat. dominus Milota. dominus Bohuss, marschalcus Morauie. dominus Thasso. dominus Herbordus, dapifer de Fullenstein, et Iohannes, filius ipsius. dominus Wocko. dominus Spizlaus. Wocko, frater Benessii. dominus Wolframus de Petrowicz, et Ieroslaus, et Bohuss de Petrowicz. Hermannus de Lobenstein. Marcward de Nacidel. Fredericus de Lodenicz. Dirsco de Dirscowicz, et Iesco, filius eius. Lupus de Nacidel, et alii quam plures fide digni et honesti. Datum in Ketschir, anno domini M. CC. LXXX. in die beatorum Gordiani et Epimachi martirum.

E codice Olom. I. chartaceo pag. 72. — Excusum ibidem — pag. 75.

CLXXVI.

Bohuš de Drahotuš, marschalcus Morariae, filiae suae Hercae et claustro Oslowanensi in subsidium confert villam Zbiškowice. Dt. Brunae, die ss. Processi et Martiniani, **1280.**

In nomine sancte. et indiuidue trinitatis. amen. Cum discreta hominum prouidencia hanc induxerit consuetudinem ab antiquo, quatinus ne ea que sub tempore fiunt cum tempore tabescant, in perpetuum duratura, virtute instrumentorum et testium roborentur. Nos *Bohusch* Marschalcus Morauie dictus *de Drahatusch*. presenti scripto protestamur, quod de assensu filiorum nostrorum et consilio amicorum dilecte filie nostre domine Herche, ad obsequium conuolanti sponsi sui, domini Iesu Christi, cui voluntarie se deuouit, nec non et claustro de *Ozla*. villam nostram *Zbiscowiz* nominatam, in subsidium et solacium libere contulimus, videlicet cum iure patronatus ecclesie, agris, pratis, vineis, et siluis ceterisque attinentibus, cultis et incultis in perpetuum possidendam, sperantes nos per hoc non solum filie nostre predicte fidem naturalem ostendere, et debitam, uerum eciam ratione memoratarum sanctarum dominarum in Ozla, inter quas commorabitur, nobis et predecessoribus nostris, salutem animarum feliciter obtinere. Ne autem hec donacio nostra sincera et deuota violari valeat in futurum, presens scriptum, super hoc editum, sigillo nostro ac sigillis (fratrum nostrorum videlicet fratris petri lectoris fratrum predicatorum de Brunna et domini Hartmanni de Holsteyn et) aliorum amicorum nostrorum duximus roborandum. Acta sunt hec in Brunna. Anno domini M. CC. LXXX. in die Sanctorum Processi et Martiniani.

Ex originali duplici cum tribus sigillis illaesis monasterii Oslowanensis.

CLXXVII.

Fridericus de Schomburg homines monasterii Coronae s. Mariae a jurisdictione eximit, ipsumque monasterium duabus silvis juxta Budjksdorf donat. Dt. Triboviae, II. Idus Novembris, 1280.

Fridericus dictus de Schomburg uniuersis presentes inspecturis salutem. Sub religionis habitu pie vite studio vacantibus ita debemus esse propitii, ut in diuinis beneplacitis exequendis nullis possint obstaculis impediri. Cum igitur dilecti nobis *fratres eremite ordinis sancti Augustini de Corona sancte Marie Morauie* in hereditate nostra, quondam sororis bone memorie Bohuzlai de Rysemburg, nobis intimarint, se nonnullis exactionibus ac aliis molestiis sepius perturbari, et ob idem non posse diuino cultui diligentia debita inherere; nos quoque a sorore nostra Agatha, relicta prefati domini Bohuzlai, accepta plena auctoritate in hereditate supradicta regendi et gubernandi, agendi et dispensandi, eorundem fratrum prouidere quieti, et ipsorum obstaculis obuiare cupientes, volumus, ut omnia, que possident, sub iure sint tam libere constituta, ut ipsi ac eorum rustici, de omni exactione ac seruili opere, et quauis iudiciali causa, nec non omni grauamine exemti, nulli aduocatorum, iudicum, ac ciuium nostrorum ullatenus teneantur in aliquo respondere. Preterea syluulam, sitam inter villam, que *Zudendorff.* et aliam, que *Budiesdorff* nuncupatur, et *boscum*, qui inter iam dictam villam Budiesdorff et Zazauiam interiacet, fratribus eisdem a dilecto nobis milite Cunrado dicto de yeres collatum, decernimus eos perpetuo retinere, condonamus nichilominus ipsis fratribus auctoritatem, capitales causas, que de eorum iudicio ad nos pertinere videntur, interposito proprio suo iudice agitandi. Volumus enim, ut nullis aduersitatibus, vel molestiis lesi, pro nostra ac sepe dicte sororis nostre, parentum et propinguorum nostrorum tam viuorum, quam mortuorum salute, deum omnipotentem libere valeant exorare. Et ne quis hanc nostrorum statutorum ac donationum paginam audeat infirmare, testes ei idoneos decernimus inserendos, videlicet Cunradum strenuum militem dictum de Yeres. Berngerum, qui vulgo dicitur magister. Haynricum dictum de Borsendorff. Aduocatum Gotfridum. Haynricum dictum de Gebischa, et fratrem eius Bertholdum. Insuper presentes nostras de pluries dictorum fratrum sigillorum munimine duximus roborandas. Datum in Tribouia Morauiensi anno domini MCCLXXX. II. Idus Nouembris.

E copia vidimata. — Originale in archivo monasterii s. Thomae Brunae adservatur.

CLXXVIII.

Concordia de metis villarum capituli Olomucensis et monasterii Gradicensis. Dt. Olomucii, pridie Kalendas Decembris, 1280.

Nos Budis, miseratione diuina abbas ecclesie *Gradicensis,* ordinis Premonstratensis, Olomucensis diocesis, et Alexius, decanus Olomucensis, tenore presentium profitemur vniuersis, quod controuersia, que inter nos longo tempore agitabatur, ratione metarum et terminorum in foribus claustri Gradicensis ex una parte, et uillam *Predmoste* ecclesie Olomucensis ex altera, et etiam inter insulas circa pontes claustri prefati ex una, et uillam *Hodynan* ecclesie prefate ex altera, nec non in uilla *Semitesicz,* que est utriusque ecclesie, occasione agrorum et uirgultorum, inter uillas *Drozetyn, Chwalkouicz* et *Towir* hinc inde inutiliter commixtorum; et etiam ratione cuiusdam paruule aree, in predicta uilla Semitesicz inter areas domini abbatis site, arbitrantibus probis uiris et discretis, uidelicet: Sobolone de Rowczin, Libinckone, iudice de Stephansdorff, Suatocio, procuratore domini decani, Nicolao notario, et Nagrado, ministeriali decani eiusdem, colonis itidem predictarum uillarum fide dignis, quos ad hoc ex utraque parte elegeramus; agris, uirgultis equanimiter limitatis. ac prout expedit utrique ecclesie. et omnibus in melius communitatis metis secundum ius terre per aceruos, qui uulgo Kopci dicuntur, distinctis, inter nos totaliter est sopita domino concedente. Exitum uero gregum, qui uulgariter Drahy nominantur, tam ex parte Olomucensi quam claustri ipsius, campis equaliter acceptis, ordinamus. Pascua uero hominibus prefate uille communia erunt in solidum, exceptis duntaxat domini abbatis siluis, sine omni contradictione. Via vero publica similiter utramque contingens partem habebitur perpetuo obseruata. Ut autem hec ordinatio inter nos facta firma et stabilis in perpetuum maneat, presentem litteram, nostrorum sigillorum specialium atque capituli ecclesie Olomucensis, nec non conuentus Gradicensis munimine fecimus roborari. Acta sunt hec in Olomucz, anno domini M. CC. LXXX. pridie Kalendas Decembris, presentibus arbitris suprascriptis, et aliis quam pluribus.

Ex Annalibus Gradicensibus MSS.

CLXXIX.

Albertus de Sternberg ecclesiis Olomucensi et Gradicensi pro damnis illatis et absolutione excommunicationis obtinenda satisfacit. Dt. in Sternberg, V. Idus Januarii, 1281.

In nomine domini amen. Notum sit uniuersis, ad quorum notitiam peruenerit sequens scriptum, quod ego *Albertus de Sternberg,* antiqui hostis suggestione seductus, sanctas ecclesias, *Olomucensem,* uidelicet et *Gradicensem,* quas defensare ac tueri tenebar potius quam grauare, in ipsarum colonis, seruitoribus ac possessionibus, spoliis ac captiuitatibus, ignium cremationibus perturbaui enormiter atque lesi. Pro quibus excessibus monitus canonice, ut predicta per satisfactionem congruam emendare curarem, in me autem admonitionem contemnentem predictam pro prefatis meis excessibus excommunicationis sententia auctoritate domini nostri Brunonis, Olomucensis episcopi, exstitit rationabiliter promulgata, exstinctis candelis et campanis pulsatis. Et quia nec sic corrigi volebam, omnipotens deus, qui non vult mortem peccatoris, sed ut magis conuertatur et viuat, me infirmitate corporis grauissima visitauit, et fecit dono sancti Spiritus, ut ingemiscerem de predictis et de aliis meis excessibus, meum maleuolum animum conuertendo ad bonam intentionem, ut vitam pacis eterne mee anime saltem in futuro seculo procurarem. Itaque certum meum nuncium ad reuerendum dominum patrem nostrum predictum, Olomucensem episcopum, destinaui, cum omni humilitate absolutionis beneficium postulando. Qui ut pater nulli reuertenti sinum sancte matris ecclesie claudere volens, venerabili abbati Gradicensi vices suas commisit, ut mihi humiliter petenti absolutionis gratiam impenderet iuxta sacrorum canonum sanctiones. Quo cum duobus sui conuentus fratribus, priore Hermanno et Andrea camerario, dominis quoque Budislao decano, canonico Olomucensis ecclesie, et fratre Ulrico, predicatorum lectore ibidem, assecurato eis a me conductu prius per obsidem, dilectum scilicet filium meum Sdislaum, ad me venientibus, licet essem validissima corporis grauitate deiectus, sana tamen mente sanoque consilio me in predictorum dominorum aduentu deuotus erexi, omni uoluntate poscens absolui ab excommunicationis sententia, quam maleficorum modis incurreram antedictis. Verum licet, proh dolor, mee essent offense manifeste et tales, ut estimari propter multitudinem damnorum illatorum plene non possent, tamen veniam tandem plus, quam credideram, apud ipsos inuentam, totam partem hereditatis mee in *Trepsin,* et quinque laneos in *Luczicz,* contiguos porte, iacenti versus *Conitz,* in satisfactionem meorum excessuum, quos in bonis predictarum ecclesiarum commisi tantummodo Olomucensis et Gradicensis, pro centum marcis argenti pure et simpliciter obligaui eisdem pro pignore in hunc modum: Si ego uel heredes mei infra tres annos, a festo purificationis beate Marie uirginis proxime uenturo computandos, non exsolueremus datis centum marcis argenti, ex tunc, quinque laneis in Luczicz mihi et heredibus meis resignatis, libere totam partem hereditatis mee in Trepsin cum omnibus pertinentibus, omni exceptione semota, per me aut heredes meos fortasse suscitanda, imposterum prefata Olomucensis et Gradicensis ecclesia iure hereditario perpetuo possidebunt; per triennium vero eorundem bonorum fructus in sortem pecunie soluende minime computabuntur. Que omnia tacto propria manu signo sancte Crucis per iusiurandum promisi firmiter et inuiolabiliter obseruare, nec unquam aliquo ingenio vel facto contrauenire; supradicto etiam iuramento promittens, quod de offensis, que tangunt venerabilem patrem, dominum episcopum, satisfaciam, prout ipsius gratiam per me et meos amicos facilius potero inuenire; satisfacturus nichilominus etiam canonicis Olomucensibus: domino Budislao decano, et domino Theodorico, pro dampnis, que per me et meos homines in eorum patrimoniis sunt perpessi. Insuper simpliciter et absolute sub eodem iuramento bona Gradicensis ecclesie, que occupaueram, dimitto libere dicte ecclesie possidenda, secundum limites et terminos, qui in priuilegiis ipsius ecclesie continentur. Ceterum sub eodem iuramento pepigi, si superuixero in posterum, me prefatis ecclesiis et canonicis in patrimoniis eorum, videlicet Budislao decano et Theodorico minime nociturum. Cuius rei testes sunt: Frater Ulricus, lector predicatorum in Olmucz. Frater Gregorius eiusdem ordinis. Dominus Chasta de Chrenaw. Dominus Trutwinus de Heroltiz. Dominus Wran de Othiehrib. Bludo de Medritz. Riwinus de Lippnan. Ceren, filius Riwini. Mingotus, ciuis Olomucensis. Dobroslaus de Wcsiechowitz. Iacobus, ciuis Olomucensis, et alii quam plures fide digni. Et ut prefata omnia inconuulsa permaneant, presentes scribi feci, et sigilli mei munimine roborari. Actum et datum in Sternberg. Anno dominice incarnationis MCCLXXXI. V. Idus Ianuarii.

Ex Annalibus Gradicensibus MSS. saepius citatis.

CLXXX.

Wladislaus, dux Opoliae, confert fratri Cunrado, Praemonstratensis ordinis, ad claustrum aedificandum centum mansos circa terminos Moraviae. Dt. in Ratibor, Idibus Martii, 1281.

In nomine domini amen. Quoniam propter tractum temporis longeui sepius defficit sufficientia probationis, et sit veritas falsitatis inimica, plurimum in dubium reuocatur, si litterarum testimonio vel testium subscriptione lucidius non roboratur. Notum sit igitur vniuersis tam presentibus quam futuris, hanc paginam inspecturis, quod nos *Wladislaus,* dei gracia *dux de Opol* cum consensu et uoluntate dilecte coniugis nostre *Eufemie,* nec non et filiorum nostrorum cultum dei pocius augeri cupientes quam minui ob remissionem nostrorum peccatorum viro prouido ac deuoto *fratri Cunrado et suis confratribus ordinis premonstratensis de regula b. Augustini* dedimus et contulimus centum franconicos mansos magnos a terminis ville, que *Lubna* dicitur, circa terminos *Morauie* iuxta fluuios *extraniam (ostrauiam)* et *silinam,* vbi eligerint claustrum pro libito suo edifficare, quos centum mansos locabunt pro suo libito voluntatis. Dedimus etiam ipsis molendina libera, quotquot pro claustro in ambitu suo voluerint edifficare, tabernas liberas, iudicium liberum, et alias vtilitates, quascunque poterint in districtu suo reperire, preter aurum, sal et argentum, que vsibus nostris et nostrorum successorum volumus reseruare. Et quia probationum copia sepius subtrahitur, et ueritas ocultatur, ne hoc factum postmodum malorum hominum suggestione valeat violari, presentem paginam in huius rei perpetuam memoriam sigilli nostri karactere fecimus roborari. Datum in ratibor per manum vnebosi clerici in annuntiatione beate virginis. anno domini M. CC. octuagesimo primo. Presentibus hiis: domino arnoldo notario, comite Henrico subcamerario de Thesin. Comite Semiano. domino Iacobo capellano, et aliis multis.

Ex originali in archivo c. r. aulico Vindobonae, olim in archivo monasterii Gradicensis.

CLXXXI.

Tabula electionis Theoderici in episcopum Olomucensem sequenti die post Annuntiationem Mariae factae. Dt. Olomucii, VII. Kalendas Aprilis, 1281.

Reuerendo in Christo patri et domino suo domino . . sacrosancte Maguntine sedis archiepiscopo Sacri inperij per Germaniam archicancellario. Budislaus decanus, Alexius prepositus, Cyrus archidiaconus totumque capitulum *Olomucensis* ecclesie omnimode subiectionis reuerenciam tam debitam quam deuotam. Sacris canonibus nouimus esse cautum ut vltra tres menses pontifice proprio cathedralis non vacet Ecclesia ne lupus rapax per defectum pastoris gregem inuadat dominicum aut in suis facultatibus ecclesia viduata graue dispendium paciatur. Ea propter felicis et digne recordacionis reuerendo patre et domino. B.(runone) ecclesie nostre Olomucensis et nostro Episcopo proxima secunda feria post dominicam qua cantatur, Exurge domine, sicut placuit domino ab hac luce subtracto et corpore ipsius prout moris est ecclesiastice tradito sepulture. Nos conuenientes in vnum diem uidelicet proximam post festum annunciacionis beate Virginis Marie ad eleccionem futuri pontificis canonice celebrandam duximus pro termino statuendum citatis prius omnibus presentibus et absentibus qui debuerint, voluerint et potuerint commode interesse. Adueniente termino igitur prefato quia in nostra Ecclesia cathedrali que est in castro Olomucensi sita *propter turbacionem terre Morauie* que prochdolor nondum est plene sedata nos recipere non potuimus in ecclesia sancti Petri in ciuitate que pridem exstitit kathedralis pulsata canpana ibidem curauimus conuenire. et missa de sancto spiritu sollempniter celebrata sermone ad clerum et populum nichilominus subsequente tandem exclusis omnibus alijs eorum non intererat interesse eleccioni canonice celebrande ibidem nos recepimus ante maius altare, de eleccione futuri nostri pontificis tractaturi. et post diuersos tractatus inter nos habitos et discussiones multiplices placuit nobis vniuersis et singulis per uiam compromissi nostre viduate ecclesie prouidere. Dedimusque potestatem eligendi vnanimiter et concorditer. domino Budizlao decano Olomucensi Magistro Iohanni preposito Satcensi, Chunoni decano Wissegradensi. Iohanni Scolastico, Bartholomeo canonicis Olomucensibus viris vtique prouidis et honestis veluti nostre eleccionis arbitris sub hac forma, vt quemcumque ipsi arbitri de gremio ipsius ecclesie Olomucensis quatuor quintum ex se uel omnes quinque aliquem alium de capitulo concorditer eligerent dummodo esset ydoneus electus pro futuro pastore et pontifice a nobis omnibus haberetur. Qui in scriptis sub sigillo Capituli nostri predicta potestate recepta secesserunt in partem et deliberacione inter se prouida et diligenti habita postremo in virum honorabilem dominum *Theodricum* ecclesie nostre canonicum vnanimiter conuenerunt virum vtique plene et mature etatis, morum laudabilium preditum gravitate et sciencia maxime sacrorum canonum merito commendandum inde legitimo matrimonio natum et nobili ab utroque parente in sacris ordinibus constitutum. Quem dominus Budizlaus decanus Olomucensis arbiter ex voluntate et mandato suorum collegarum in scriptis inhuc (hunc) modum elegit. In nomine patris, et filii et spiritus sancti, amen. Anno domini Millesimo CC. LXXXJ. sequenti die post annunciacionem beate virginis Marie. Ego Budizlaus decanus Olomucensis de voluntate et consensu et expresso mandato meorum collegarum uidelicet magistri Iohannis prepositi Satcensis. Chunonis decani Wissegradensis. Iohannis Scolastici et Bartholomei canonicorum Olomucensium auctoritate nobis data a capitulo Olomucensi inuocata spiritus sancti gracia nomine meo et vice mea ac collegarum meorum et uice omnium de capitulo Olomucensis ecclesie dominum Theodericum concanonicum nostrum. in nostrum et nostre ecclesie eligo Episcopum. et pastorem et eleccionem ipsam in scriptis et sollempniter mox publico in communj. Licet autem ipse electus more bonarum mencium primo esset renitens tandem uictus precum instancia eleccioni de se cum timore consensit Dictam igitur eleccionem sic canonice et sollempniter celebratam et publicatam in communj. omnes unanimiter recepimus et approbauimus. Te deum laudamus more solito decantantes deportacionis sollempnitate congrua accedente. Reuerende igitur uestre paternitatj duximus vnanimiter supplicandum ut cum noster predictus electus propter uiarum discrimina et tempora impacata ad vestram paternitatem ut affectuose uoluit, nobis tamen propter causas predictas sub spe vestre paterne uenie uix ipsum retinentibus nequeat accedere. venerabilj patri domino . . Pragensi Episcopo digneminj uices uestras committere ut eleccionem supra dictam examinacione diligentj prehabita confirmare, et munus consecracionis nostro electo dignetur iuxta formam canonum impertirj. quatenus auctore deo nobis uelut ydoneus pastor et toti dyocesi in hijs que ad Episcopum spectant preesse ualeat et prodesse. Nosque et alij sibi commissi sub eius sacro regimine possimus deo salubriter militando. bene uiuere et feliciter terminare. Vt autem omnium nostrum uota in predictis omnibus et singulis concordasse. et in hanc eleccionem et peticionem conuenire noscatis. benignitatj vestre reuerende pater hoc canonicum decretum mittimus roboratum propriis manibus et subscriptum. et ad maiorem cautelam sigillo capituli nostri et eciam propriis qui propria habuimus sigillatum. Actum et datum Olomucii in Ecclesia sancti Petri. Anno dominj Millesimo. CC. LXXXJ. VII. Kalendas Aprilis.

Ego Budislaus decanus Olomucensis ecclesie ut predictum est elegi et propria manu subscripsi. Ego Alexius prepositus olomucensis ecclesie huic eleccioni interfui consensi et propria manu subscripsi. Ego Cyrus archidiaconus olomucensis Ecclesie huic eleccioni interfui. consensi et propria manu subscripsi. Ego Iohannes scolasticus Olomucensis Ecclesie huic eleccioni interfui et consensi et propria manu subscripsi. Ego Lambertus custos Olomucensis Ecclesie, huic Electioni interfui, consensi. et propria manu subscripsi. Ego Bartholomeus Canonicus Ecclesie Olomucensis huic electioni interfui et consensi et propria manu subscripsi. Ego Detricus Canonicus Ecclesie Olomucensis huic eleccioni interfui et consensi et propria manu subscripsi. Ego vitcho Olomucensis canonicus, huic eleccioni interfuj, et consensi et propria manu subscripsi. Ego magister Iohannes canonicus Olomucensis huic eleccionj interfuj et consensi et propria manu subscripsi. C. Ego Cuno canonicus Olomucensis huic eleccioni interfui et consensi et propria manu subscripsi. Ego Petrus Canonicus Olomucensis huic eleccioni interfui et consensi et propria manu subscripsi. C. Ego thomas Canonicus Olomucensis huic electioni interfui et consensi et propria manu subscripsi. C. Ego Magister velenus de mandato Gotfridi Canonici Olomucensis presentis et consencientis huic eleccioni propria manu subscripsi. Ego Vlricus Canonicus Olomucensis huic electioni interfui et consensi et propria manu subscripsi. Ego Petrus Canonicus Olomucensis huic eleccioni interfui et consensi et propria manu subscripsi. Ego Hartmannus Canonicus Olomucensis huic eleccioni interfui et consensi et propria manu subscripsi. Ego Bredborius Canonicus Olomucensis huic electioni interfui et consensi et propria manu subscripsi. C. Ego Erchinbertus Canonicus Olomucensis huic eleccioni interfui et consensi et propria manu subscripsi.

Ex originali archivi capituli Olomucensis.

CLXXXII.

Elisabeth, relicta Kadoldi Orphani, hospitali crucigerorum cum stella rubea ecclesiam in Hodonice confert. Dt. Znoymae, die 23. Junii, 1281.

Vniuersis Christi fidelibus presentem litteram inspecturis. Ego Elisabeth relicta Kadoldi ad rei memoriam sempiternam. Ne facta hominum apud posteros in obliuionem labantur, cautum est et solitum, ut populi testimonio et scripti memoria perennentur. Hinc est quod ego Elisabeth relicta Kadoldi. Omnibus Christi fidelibus, quibus presens compillatio exhibita fuerit, notum volo fieri, quod sana mente et deliberato animo, Magistro cum fratribus hospitalis sancti Francisci in pede pontis Pragensis ecclesiam sancti Iacobi in villa, que dicitur *Hodenicz*, cum decimis, et aliis omnibus iuribus ad dictam ecclesiam pertinentibus, in remedium anime mee et antecessorum meorum contuli in perpetuum possidendum. In cuius rei testimonium presentem literam sigilli mei munimine firmiter roborari iussimus. Testes autem huius facti sunt. Dominus Gerhardus de Obersecz. Dominus Milota. Dominus Hartlebus de Duben. Dominus Sporo. Dominus Lupus de Plauecz. Dominus Iencz Dochmez. ceterique barones terre viri prouidi, fide digni. Data sunt hec in Znoym. Anno domini milesimo ducentesimo octuagesimo primo in vigilia sancti Iohannis Baptiste.

E Monastico MS. archivi Rayhradensis in tomo cum inscriptione „Religiosi O. S. Francisci" pag. 110., desumtum ex autographo praepositurae Pöltenbergensis.

CLXXXIII.

Jeneč de Schönberg famulo suo Hořinae duos laneos cum silva ad villam Towěř in feudum confert. Dt. Brunae, VI. Nonas Julii, **1281.**

In nomine sancte trinitatis et indiuidue unitatis. amen. Ab humana quam sepe memoria temporis processu facta mortalium euanescunt, nisi scriptis autenticis iuxta veterum traditiones celeberrimas fuerint perhennata. Nos igitur *Ienzo de Schonberch* tam presentibus quam futuris innotescere cupimus vniuersis, fidelem nostrum *Horinam*, famulum et dilectum, suosque heredes duobus laneis cum suis attinentiis inuestiuisse iure feodali seu etiam emphyethetico, quod in vulgari *Brrchrecht* nuncupatur, superaddentes sibi de gracia speciali, quod, si antedictus Horina seu sui heredes noluerint fore sub iugo seruitutis, ex tunc de laneis sibi datis per nos et concessis vnam marcam argenti singulis annis nobis nostrisque successoribus soluere teneantur, securi ab omni impetitione collectarum, obsequiorum ceterorumque iudiciorum predicta bona liberaliter retinentes. Insuper prelibatis H. et suis heredibus damus de silua nostra, que ville nostre *Towirs* adiacet, vbi duo sui lanei sunt iniuncti, quantumcumque sue curie necessarium fuerit, vt vtantur, perhenniter possidere. Si vero nobis in futurum placuerit dictam villam Towirs vendere vel obligare, aut alicui hominum dare iure heredali, volumus, vt hoc fiat saluo iure quolibet predictorum. Ne vero sepedictis H. suisque heredibus nec per nos nec per successores nostros ante recitata sibi concessa et data violentur, sigilli nostri munimine et domini karissimi et soceri nostri Gerhardi dicti de Obersaz, appensione sui etiam sigilli, virorumque nobilium testimonio presentia duximus roboranda. Testes sunt hii: dominus Schocho de Trubek. Zbilut de Woderat. Adam cum filio suo de Dobromiliz. Podoba. Donatus. Brunk. Gezdon de Opatowiz. Woyzlaus de Ywaniz. Onso de Srimiz. Marcinek. Odolen. Fridericus aduocatus et magister monete Olomucii. Item Wigandus quondam aduocatus Olomucensis. Conradus ibidem. Scabinus. Tyrwardus. Henricus de Vgest notarius. Baroch. Datum Brunne, anno domini MCCLXXXI. VI. nonas Iulii.

Ex originali cum duobus sigillis illaesis in arch. Carthusiae Olomucensis.

CLXXXIV.

Hartliebus de Dubna, camerarius Znoymensis et Bitoviensis monasterio Tišňowicensi vendit villam Augezd juxta Pohořelice sitam. Dt. Brunae, die 4. Julii, 1281.

In nomine domini amen. Quoniam rerum gestarum memoriam quam delet obliuio litterarum perpetuant monimenta, idcirco Nos Hartlybus Camerarius Znoymensis et vethouiensis dictus de Dubna, notum esse uolumus vniuersis presentem paginam inspecturis, quod villam nostram, *Vgiesd,* in districtu Znoymensi iuxta Pohrlicz sitam, de consensu vxoris et liberorum nostrorum vendidimus pro centum triginta marcis puri argenti, domine Abbatisse, ac conuentui sanctimonialium de *Tuschnowicz,* hereditario iure perpetuo possidendam, et promisimus ipsam villam cum suis attinenciis, prefatis dominabus infra tempus determinatum secundum terre consuetudinem defensare. Vt igitur huiusmodi contractus sev vendicio robur obtineat firmitatis, presentem paginam conscribi iussimus nostro sigillo, filii quoque nostri Hartlibi iuuenis, ac aliorum nobilium, ipsam ad cautelam ampliorem firmius muniendo. Testes huius rei sunt, Mylota, camerarius Morauie. Chuno de Chuonstat. Gerhardus de Obrzazz. Bohusch et Hartmannus filii domini Cyronis, Tazzo filius domini Wsnate de Lompnicz. Matheus de Schyrnahor, et alii quam plures. Acta sunt hec Brunne anno domini M. CC. LXXXI. in die. Odalrici confessoris et pontificis.

Ex originali cum quatuor ex octo sigillis superstitibus in archivo ejusdem monasterii.

CLXXXV.

Theodericus, episcopus Olomucensis, vasallis suis facultatem vendendi feuda concedit. Dt. Olomucii, Idibus Julii, 1281.

Theodericus, dei gratia episcopus Olomucensis. Vniuersis et singulis Christi fidelibus, ad quorum notitiam presentes peruenerint, salutem in domino. Dignum et iustum est, et consentaneum rationi, ut, quotiens per suorum petitiones fidelium, que tamen ab equitatis tramite non discordent, reuerentia pastoralis requiritur, eis annuens debeat sue liberalitatis dextera arridere, eoque maxime, quo merita postulant personarum. Per presens scriptum constare uolumus vniuersis, quod nos dilectos fideles nostros, vniuersos et singulos homines et seruitores ecclesie Olomucensis, propter grata obsequia, que iidem Olomucensi ecclesie preteritis exhibuerunt temporibus, et exhibere promittunt fideliter in futurum, petitionibus ipsorum benignius inclinati, in bonis, a predecessore nostro, domino Brunone episcopo, et capitulo Olomucensi ipsis et heredibus eorum masculi sexus tantum collatis, secundum ius et consuetudinem ecclesie Magdeburgensis nos promittimus et volumus conseruare, eis nichilominus iniungentes, vt, si qui ex ipsis hominibus nostris ad tantam necessitatem deuenerint, quod nobis et ecclesie nostre iuxta institutionem et consuetudinem hucusque seruatam seruire aliquatenus non valerent, quod eis aliquibus personis, statui suo comparibus, bone fame, nobis prius super hoc specialiter requisitis, feuda ipsorum vendere liceat, et talibus precipue, qui nobis ea seruitia de ipsis bonis exhibeant, que is exhibere deberet, qui ea vendit, si ea sine alienatione aliqua possideret; adiicientes, quod in omnibus et singulis, que superius sunt expressa, predictis hominibus et seruitoribus nostris ac ecclesie nostre nullum de nouo creare in aliquibus bonis ius intendimus per presentes, sed ipsos in eo iure, quod eis temporibus predicti domini Brunonis felicis recordationis in ipsis bonis eorum de iure competebat, volumus confouere. In cuius rei testimonium presentes fieri, et sigillis tam nostro quam capituli Olomucensis de consensu dominorum prelatorum et canonicorum dicte ecclesie nostre, videlicet Budizlai decani, Alexii prepositi, Cyri archidiaconi, Petri, Cunonis, Bartholomei, Thome, Vlrici, Iohannis, Lamberti, Witkonis, Petraci, Theoderici, Hartmanni totiusque capituli Olomucensis iussimus sigillari. Actum et datum Olomunz, anno domini M. CC. LXXXI. Idus Iulii.

E codice Olomucensi I. chartaceo pag. 32.

CLXXXVI.

Conradus de „Jerez", burggravius Triboviensis, monasterio Coronae sanctae Mariae damna illata resarcit. Dt. Triboviae, XV. Kalendas Augusti, **1281.**

In nomine domini amen. Nouerint uniuersi, tenorem presentis pagine conspecturi, quod nos *Chunradus* dictus *de Ierez,* purggrauius Tribouie loco domini nostri Friderici de Schonburg, tutoris puerorum de Rysenburg conferimus nemus existens in conterminis et metis ville *Budic* usque Zazauiam *domui Corone beate Marie et Eremitis ordinis sancti Augustini* in ea habitantibus racionabiliter possidere pro damno eisdem quinque marcarum illato, et ob salutem et remedium animabus domini B.(orsonis) de Rysenburg et suorum heredum. Item conferimus eisdem quoddam nemus inter uillam, que *Zudendorf,* et aliam, que *Budicsdorf* appellatur, similiter possidendum. Et ne alicui ambiguitas siue dubium oriatur, testes apponimus eidem facto: Berngerum, qui uulgariter Magister nominatur, Heinzonem de Iebischa, Heinricum de Borsendorf, Gotfridum aduocatum, H. iudicem de Thetnicz, insuper et sigillo dicti domini Friderici solidamus, cuius uices dimittendi in hereditate ista gerimus et agendi. Datum in Tribouia Anno domini millesimo ducentesimo octogesimo primo, decima quinta Kalendas Augusti.

Ex originali, quod in archivo monasterii s. Thomae Brunae adservatur.

CLXXXVII.

Bohuš de Drahotuš bona sua in Studyň legat monialibus Oslowanensibus. Dt. Brunae, XI. Kalendas Septembris, 1281.

In nomine domini amen. Nos Bohus de Drahotus omnibus et singulis, presentem visuris vel audituris litteram, quolibet submoto volumus constare dubio quod bona nostra sita in *Studyn* aratrorum tota cum instructura, ceterisque cunctis attinenciis suis contulimus deuotarum collegio sanctimonialium in *Ozla,* post presentis vite nostre decursum suos in vsus pro libito libere redigenda et proprie perpetuo possidenda. Ceterum commisimus eciam fratri nostro domino Hartmanno de Holsteyn quod si ordinacione diuina nobis morientibus superstes vixerit, predictam collacionem seu legacionem nostram contra quoslibet inpeditores tueatur, perducens eam anime nostre pro remedio ad effectum. Vt autem hanc donacionem nostram specialiter ad honorem beate virginis factam perpetue nullus heredum vel successorum nostrorum quorumcunque presumat aut infirmare valeat, presentes fecimus communiri nostri, prenotatique fratris nostri, domini Hartmanni, nec non et fratris nostri petri, lectoris fratrum predicatorum de Brunna munimine sigillorum. Testes aderant huic facto, domini Gerardus de Obersetz, Bznato, Gallus, aderant quoque iudex prouincie Brunnensis Henricus, et Wecemilus Zudarius eiusdem prouincie, et plures alii fide digni. Datum Brunne, Anno domini MCCLXXXI. XI. Kalendas Septembris.

E vidimus Theoderici, episcopi Olomucensis, ab eodem anno.

CLXXXVIII.

Heinricus, episcopus Warmiensis, vices gerens episcopi Brunonis, ecclesias in Dukowany et in Bohuslawice consecrat, et filias ecclesiae in Dubňany esse profitetur. Dt. in Bohuslawice, VII. Kal. Septembris, 1281.

Nos Henricus dei gratia Varmiensis ecclesie episcopus vices gerentes domini Brunonis uenerabilis episcopi Olomucensis omnibus in perpetuum. Tranquillitatem bonumque statum ecclesiarum ex officii nostri debito quantum possumus perpetuare uolentes, et unicuique ecclesie ius suum relinquere illibatum, ne ratione consecrationis nostre inter ecclesias calumpnie et litium discrimina suscitentur, dotem earum, quas consecrauimus, ut iuris est, solicite proferimus, confirmamusque ea, que iusto possident titulo, auctoritate nobis tradita et concessa, seu et si ad alias tanquam filie ecclesias respectum habuerint, publice declaramus. Quapropter constare uolumus uniuersis tam presentibus, quam futuris, quod ad instantiam uiri discreti domini Henrici plebani de *Dubna,* et plebis ipsius ecclesias in *Tocuan* et in *Bohuslaus* consecrauimus, quas filias esse ecclesie in *Dubna* et ad ipsam tanquam ad matrem ecclesiam pertinere legitime et in omnibus habere respectum presentibus profitemur, nolentes ratione consecrationis huiusmodi matri ecclesie in Dubna aliquod per filias preiudicium generari et maxime cum prout prediximus ad eam pertineant pleno iure. In cuius rei testimonium roburque perpetue firmitatis presentes conscribi iussimus, et nostri sigilli pendentis munimine communiri ad clariorem euidentiam huius facti. Datum in Bohuslaus anno domini M. CC. LXXXI. VII. Kalendas Septembris.

Pelzel — Beiträge zur Geschichte des Templerordens. — Originale ipsum in archivo M. Prioratus Melitensium Pragae adservatur.

CLXXXIX.

Nicolaus, dux Opariae, castrum Edelstein cum suburbio Zukmantel ecclesiae Wratislaviensi confert. Dt. Nissae, die 2. Septembris, 1281.

In nomine domini amen. Quia memoria hominum simul labitur cum tempore et etate, necessarium fuit, ut illa, que perpetuitatem continent, ad hoc, ut firma et rata permaneant, scripturarum serie roborentur. Hinc est, quod nos *Nicolaus,* dei gratia filius quondam incliti regis Bohemie, considerantes gverram et discordiam, que vertebatur ex parte una inter Othonem et fratres suos de Lyuania homines, et terram ecclesie beati Ioannis Vratislauiensis diocesis, de castro lapideo, quod *Edelstain* dicitur, impugnantes, et ex altera inter venerabilem patrem Thomam, dei gracia episcopum Vratislauiensem, et homines ecclesie sue, suas iniurias postulantes; intendendo, prout tenemur, reformationi pacis et concordie inter ipsos, castrum predictum Edelstain per Othonem et fratres ipsius nobis fecimus assignari, cuius castri possessionem adepti pacificam et quietam, quia cognouimus euidenter, multa et grauia tam in personis hominum quam in rebus de predicto castro esse facta episcopo et ecclesie memoratis, predictum vero Othonem et fratres suos non esse in soluendo, ut imposterum materia et questio omnis dissensionis et discordie penitus amputetur, et etiam ut satisfiat de dampnis et lesionibus ac iniuriis domino episcopo nec non et ecclesie sue superius nominatis: castrum sepe fatum Edelstain cum suburbio, quod *Czucmantel* dicitur, cum utilitatibus et iuribus, ad territorium dicti castri Edelstain pertinentibus, domino episcopo sepe nominato et ecclesie sue beati Ioannis Vratislauiensis diocesis conferimus mere et libere perpetuo possidenda; ipsius episcopi et sue ecclesie optioni relinquentes, ut castrum predictum, prout est constructum, pro suis usibus retineant, vel demoliri et destrui faciant, sicut ipsis potius videbitur expedire. Et ut hec firma et rata permaneant, presentes litteras nostri sigilli munimine duximus consignandas. Actum et datum Nisse, sabatho ante natiuitatis sancte Marie virginis. Anno domini millesimo ducentesimo octuagesimo primo, presentibus: illustri principe, domino Henrico, duce Silesie. Domino Bernhardo de Camentz, preposito Mysnensi. Domino Chynringero. Domino Henrico de Habolt. Fratre Henrico de Oppauia, ordinatoribus huius facti. Domino Conrado de Rheno. Conrado Sucuo. Hanigo et Erricho de Vlmenstain. Pezcone Cemca.

E confirmatione privilegiorum episcopatus Wratislaviensis in registratura c. r. Gubernii Moravici. — Excusum apud Sommersberg — Scriptores rer. Siles. T. I. 796.

CXC.

Heinricus, dux Silesiae et dominus Wratislariae, confirmat episcopatui Wratislariensi collationem castri Edelstein cum suburbio Zukmantel factam a Nicolao, duce Opariensi. Dt. Nissae, die 13. Septembris, **1281.**

In nomine domini amen. Nos Henricus, dei gracia dux Silesie et dominus Vratislauie, notum facimus vniuersis, presentes inspecturis, quod *Nicolaus,* dei gracia filius quondam regis Bohemie, nomine, rogatu et voluntate Othonis et fratrum ipsius de Lyuania, cum venerabili patre, domino Thoma, dei gracia episcopo, super dampnis rerum et personarum ac iniuriis per predictos Lyuanienses de castro *Edelstain* in Nyssensi et Othomochouiensi territoriis concordiam ordinauit, quam ut insinuaremus, et nostris litteris sigillo nostro munitis innotesceremus, utriusque partis fuit voluntas unanimis et consensus. Nos vero ipsius compositionis, ordinationis siue diffinitionis tenorem nostris scriptis inserere volumus, qui talis est: *(In nomine domini amen. Quia memoria etc. Actum et datum Nisse, sabatho ante natiuitatis sancte Marie virginis, anno MCCLXXXI. Vide n. praecedentem.)* Nos igitur, qui bona pacis et concordie diligimus et dirigimus, quantum possibile est, maxime ut ecclesia Vratislauiensis in suis iuribus de cetero non ledatur, et dissensiones prius habite sopiantur, concordiam ipsam tenore presentium declaramus, ut et, qui nunc sunt, ipsam non ignorent, et sit in memoria posterorum. In cuius rei robur presentes litteras sigilli nostri munimine duximus roborandas. Datum Nisse feria quinta post natiuitatis sancte Marie. Anno domini Millesimo ducentesimo octuagesimo primo, presentibus dominis: S. preposito, A. archidiacono, N. custode Vratislauiensi, Bernardo preposito Mysnensi, Henrico de Habold, Chynringerio, Iaroslao, Budyvoyo, de Cone Cemca, militibus nostris et aliis multis.

Ex eadem confirmatione.

CXCI.

Cruciferi ecclesiae s. Joannis Brunae domum a domina Geisla Smidlinna resignatam et duo pomeria ibidem eidem sub censu elocant. Datum XV. Kalendas Octobris, 1281.

Cruciferi ecclesie s. Iohannis *Brunne,* omnibus presentem litteram inspecturis, salutem in eo qui est salus omnium saluandorum. Quia pro qualitate temporum agenda hominum disponuntur, ideo euenit, quod mutabilitate illius omnia permutantur, nisi viuaci testimonio roborentur litterarum. Hinc est quod quedam domina *Brunne* morans nomine *Geisla smidlinna,* nobis soluere tenetur. XIX marcas, minus uno lotto. Nos huic domine confidenciam non adhibentes ab ea certificari voluimus vadio. Hec Geisla serium nostre diffidentie conspiciens, *domum quandam in ciuitate,* et *duo pomeria* *ante eandem ciuitatem* sita, iudice et iuratis presentibus primo in vadio obligauit, de inde per successum temporis coacta iuris sentencia huius ciuitatis Brunnensis, ipsa geisla simul cum suis pueris eandem domum et duo pomeria ante ciuitatem nobis libere resignauit. Item omni iure hereditarie constituto et peracto huius ciuitatis brunnensis, ter tribus quatuor decim diebus transactis, predictam nobis resignatam domum et duo pomeria, more solito in iudicio exibuimus manifeste. Quo pacto ordinatione virorum proborum et discretorum eidem domine geisle eandem domum et pomeria sub censu duximus collocandam, ita quod nobis dare debeat V. fertones argenti proximo anno, qui a proximo festo s. Michaelis per anni circulum finietur. Item eodem anno finito sententia iuris dictante, predicte ciuitatis. B. optinuimus, quod predictam domum, et pomeria sine omni impedimento possidere vel vendere libere debeamus. Vt ergo hec ordinacio firma et incassa permaneat, eam sigilli munimine huius ciuitatis Brunnensis, voluimus roborari. Huius ordinacionis acte testes sunt, Dietmarus iudex, Vlricus de Meneis, Vlricus procurator, Wilhelmus, Hanselmus, Lutoldus, Dietwinus, Gotsalcus. Nicolaus de turri. Datum dominice incarnationis anno. M. CC. LXXXI. XV. Kalendas Octobris.

Ex originali in archivo M. Prioratus Melitensium Pragae.

CXCII.

Theodericus, episcopus Olomucensis, confirmat monasterio Oslowanensi literas super collata bona in Studyň et jure patronatus ecclesiae in Zbiškowice. Dt. apud Modřice, XIV. Kalendas Octobris, 1281.

Theodricus dei gracia episcopus Olomucensis dilectis in Christo abbatisse et conuentui sanctimonialium in *Ozlauan* ordinis cisterciensium salutem et sinceram in domino caritatem. Sollicitudo pastoralis officii nos ammonet et inducit, vt ea, que in pias causas donantur maxime tamen locis religiosis nostro regimine, et quouis debito adiutorio foueantur, ne malignitate hominum, vel presentibus temporibus vel futuris, nutare valeant vel infligi. Constare igitur volumus vniuersis, quod nobilis viri domini Bohus de Drahotus Marsalci Morauie priuilegia vidimus, non abolita, non cancellata, nec in aliqua parte sui viciata, que vestro monasterio pro salute anime sue pie dinoscitur contulisse, quorum tenor de mandato et voluntate nostra presentibus inclusus talis est de verbo ad uerbum. *(In nomine etc. Acta in Brunna, anno* **1280.** *in die sanctorum Processi et Martiniani. Vide n. CLXXVI. — et: In nomine domini etc. Dat. Brunne* **1281.** *XI. Kal. Septembris. Vide n. CLXXXVII.)* Has igitur pias donaciones, sev collaciones, presertim de iure patronatus ecclesie de *Sbizowich*, in vestrum monasterium translacionem saluo iure dyocesano et archidiacono pertinenti ac aliorum prelatorum, secundum ius et consuetudinem laudabilem hactenus obseruatam, auctoritate ordinaria confirmamus, precipientes sub pena anathematis, ne quis eas infringere audeat, vel eis ausv temerarie contraire. In cuius confirmacionis testimonium presentem paginam vobis concessimus nostri sigilli munimine roboratam. Datum apud Modrich, anno domini M. CC. LXXXI. XIIII. Kalendas Octobris. Indictione IX. pontificatus nostri anno primo.

Ex originali ejusdem monasterii cum sigillo illaeso.

CXCIII.

Idem confirmat eidem monasterio privilegia super jus patronatus nonnullarum ecclesiarum. Dt. apud Modřice, XIV. Kalendas Octobris, 1281.

Theodericus dei gracia Olomucensis episcopus. Dilectis in Christo . . abbatisse et conuentui sanctimonialium in *Oslauan*, Cysterciensis ordinis salutem et sinceram in domino caritatem. Porrecta nobis per honorabilem uirum dominum Wysundonem prepositum vestrum, peticio continebat, vt iura patronatus, in monasterium vestrum pie translata, de quibus poterat per priuilegia predecessoris nostri constare, confirmare auctoritate ordinaria sub nostro sigillo de benignitate solita curaremus. Cum igitur iustas petitiones conueniat exaudiri. Nobis priuilegia uestra exhibita sub sigillo predecessoris nostri, domini *Brunonis* Olomucensis Episcopi pie memorie, legi fecimus et inspici diligenter, que siquidem non erant abolita, non cancellata, nec in parte sui aliqua uiolata. Ex quorum vno colligebatur, et sciri poterat euidenter, quod felicis recordacionis dominus Rubertus

Olomucensis Episcopus, noster predecessor ad petitionem domine Margarete, et liberorum ipsius, vestro monasterio ius patronatus Ecclesie sancti Petri in *Miroslau,* et decimas duarum villarum *Wolchers,* et *Podoliche* confirmauit. Ex altero autem priuilegio, ius patronatus Ecclesie in *Nuwenkyrchen,* similiter ad vestrum monasterium lucide spectare constabat. Ex tertio quoque Ecclesiam *omnium Sanctorum ante ciuitatem Brunnensem,* quoad ius patronatus vestri esse monasterii euidentius apparebat. Ex quarto etiam declarabatur, quod nobilis vir, Ekhardus dictus de Miroslau Ius patronatus quod habuerat in Ecclesia de *Troskouicz* in uos duxerat transferendum. Per quintum etiam apparenter constabat, Ecclesiam in *Mohiln,* quantum ad ius patronatus pertinet, ad vestram ordinacionem spectare. vnde cum predictus dominus Bruno iura patronatus predictarum omnium Ecclesiarum, prout in vestris patet priuilegiis exinde confectis sub sigillo ipsius Episcopi dignatus fuerit confirmare. Nos affectantes uestrarum orationum in Christo deuotarum participationem, quibus possumus beneuolentie studiis lucrari, et graciosius adipisci, precibus uestris paternis affectibus inclinati, Iura patronatus, in Miroslau, Newkirchen, omnium Sanctorum ante portam ciuitatis Brunnensis, in Troskouicz et in Mohyln, Ecclesiarum, ad uestram ordinacionem pertinentia, auctoritate ordinaria confirmamus similiter, salua auctoritate dyocesani Episcopi, et Archidiaconi, ita ut eorum iuri in nullo debeat derogari, maledictiones ingerentes eternas omnibus, qui uos, et monasterium vestrum in iure patronatus prenominatarum Ecclesiarum qualibet presumpserint perturbare audatia, vel nostre confirmationis sententie ausu temerario contraire. In cuius rei testimonium presentes uobis litteras concedimus, nostri sigilli munimine roboratas. Datum aput Modricz Anno domini M. CC. LXXXI. XIIII. Kalendas Octobris. Indictione IX.

Ex originali ejusdem monasterii cum sigillo integro.

CXCIV.

Nicolaus, dux Opariae, pro remedio animae patris sui Otakari fratribus hospitalis sanctae Mariae Teutonicorum confert jus patronatus parochiae in Jaegerndorf. Acta XIII. Kalendas Octobris, 1281.

Nicolaus, dei gracia dux Oppauiensis. Vniuersis inperpetuum. Quoniam, ut ait scriptura, elemosyna a morte liberat, et non sinit diu in penis animas detineri, et ideo nos uolumus diem extremum misericordie operibus preuenire, et seminare in terris, quod redemptore domino metamus in celis: noscat igitur tam presens hominum etas, quam futura posteritas, quod spe premiorum eternorum inducti, libere et plenissime ob honorem dei omnipotentis et ipsius genitricis Marie, virginis gloriose, pro remedio anime beate memorie patris nostri Ottochari, inclyti regis Boemie, et pro salute nostra omniumque progenitorum nostrorum contulimus et donauimus in perpetuum *fratribus hospitalis S. Marie teuthonici Ierosolimitani* ius patronatus ecclesie siue parochie in *Iegerndorf* cum omni iure, ad nos spectante, assignando et renunciando predictis fratribus quasi possessionem prefati iuris patronatus. Volentes igitur in perpetuum hanc nostram donationem inuiolabiliter et irrefragibiliter obseruari, precipimus vniuersis, ne quis predictos fratres in premisso iure patronatus predicte ecclesie in Iagerndorf audeat aliquatenus molestare. Vt autem hec nostra donatio perpetue firmitatis existat, presentem litteram in signum collationis plenissime et perfectissime sigilli nostri munimine cum testibus infrascriptis iussimus roborari. Testes sunt hii quoque: Woko de Crauar. Heningus de Vvllenstein. Conradus de Vvllenstein, camerarius noster. Benesius de Lobenstain. Bludo de Tyzin. Prothiua de Wilciuwe. Theodoricus de Wvllenstain, plebanus de Brunna, et frater suus Henricus, notarius noster, et Herbordus Puso de Vvllenstain. Otto de Linauia, et frater suus Vlricus. Crafto et Winandus, iudices in Oppauia. Heningus Albus. Buchardus, et Henricus, frater suus. Guntherus et Gerhardus, ciues Oppauienses. Tillemannus, iudex de Iagerndorf, et Hinnanus de Noua Ecclesia, ciuis in Iagerndorf, et alii quam plures. Acta sunt hec anno domini MCCLXXXI. XIII. Kalendas Octobris.

E copia simplici in musaeo Moravico. — Originale in arch. Freudenthalensi adservatur.

CXCV.

Elisabeth, relicta Kaloldi Orphani, confirmationem collatae a se hospitali sancti Francisci Pragae ecclesiae in Hodonice expetit. Actum Znoymae, die 24. Septembris, 1281.

Reuerendo in Christo patri ac domino Theoderico, Olomucensis ecclesie episcopo soror *Elisabeth, relicta quondam Katholdi Ways* orationes in Christo deuotas. Reminiscentes ex interioris ac exterioris hominis motu, quod humane nature conditio semper trahit ad se hominis miseriam et defectum, et quanto plus homo in hoc mundo foris transitoriis rebus inuoluitur, tanto magis virtus interior eneruatur. Hinc est, quod uestre paternitati notum fieri cupimus per presentes, quod, uolentes consulere fragilitati nostre, pro remedio peccatorum nostrorum nec non et quondam mariti nostri Katholdi, ob reuerentiam dei et beati Francisci ius patronatus, quod in ecclesia sancti Iacobi in *Hednitz* dignoscimur a longe retroactis temporibus quiete et pacifice possidere uel quasi, *fratribus stelliferis hospitalis s. Francisci in pede pontis,* et ipsi hospitali libere et pure resignamus, cedimus et donamus, cum eo iure, quo possedimus, quiete et pacifice imposterum ab hac die in antea possidendum. Unde paternitati uestre supplicamus humiliter et deuote, quatenus intuitu dei et orationum nostrarum huic nostre resignationi, cessioni seu donationi consensum proprium dignemini adhibere, eam authoritate diocesana de benignitate solita confirmantes. Ne igitur super hac donatione nostra aliqua suboriatur negligentia, uel controuersie admittatur occasio fraudulenta, summam rei geste posterorum memorie scripto transmittere duximus, eam sigillorum domine ducisse Saxonie, et conuentus minorum fratrum in Znoym, ac nostri munimine roborantes. Acta sunt hec anno domini M. CC. LXXXI. proxima feria quinta ante festum beati Mauricii et sociorum eius in ecclesia fratrum minorum in Znoym, presentibus his testibus: *domina ducissa Saxonie,* fratre Gothardo, guardiano, et toto conuentu et aliis.

E copia vidimata in archivo monasterii s. Clarae Znoymae. — Autographum in archivo praepositurae s. Hippolyti invenitur.

CXCVI.

Theodericus, episcopus Olomucensis, hospitali s. Francisci Pragae collatam ecclesiam in Hodonice confirmat. Dt. apud Cremsirium, VIII. Kalendas Octobris, 1281.

Reuerendo in Christo patri ac domino Theodorico, Olomucensis ecclesie episcopo, soror Elisabeth, relicta quondam Kadoldi Ways. . . .

Acta sunt hec anno domini MCCLXXXI. proxima feria quinta ante festum beati Mauritii et sociorum eius in ecclesia fratrum minorum in Znoyma. (Vide praecedentem numerum.) Nos igitur, qui ex iniuncti officii nobis debito iustis et honestis precibus adhibere debemus assensum fauorabilem et benignum, prefate domine Elisabeth commendatam habentes prouidentiam, eius deuotis, maximeque honorem dei et profectum ecclesie continentibus precibus inclinati translationem iuris patronatus ecclesie in *Hednitz* in fratres stelliferos supradictos, resignationemque, cessionem seu donationem ipsam authoritate ordinaria confirmamus, ita ut iidem fratres ad predictam ecclesiam religiosam personam sine diminutione prouentuum eiusdem ecclesie debeant presentare. In cuius memoriam sub sigillo nostro presentes conscribi fecimus sempiternam. Datum apud Cremsyr anno domini MCCLXXXI. octauo Kalendas Octobris. Pontificatus nostri anno primo.

E copia vidimata in eodem archivo.

CXCVII.

Idem civibus in Cremsir silvam quandam juxta eorum vineas exstirpandam et in agros convertendam confert haereditarie. Datum apud Cremsirium, VI. Kalendas Octobris, 1281.

Theodericus dei gracia episcopus Olomucensis dilectis ciuibus suis in *Cremsir* inperpetuum. Dignum et iustum est et a racionis examine non recedit vt eos qui sue fidelitatis merita propagare non desinunt circa dominicam reuerenciam eius benignitas presequatur prerogatiua gracie specialis. Hinc est quod nos vestre fidelitatis pensantes studia meritorum vobis in auxilium siluam nostram continguam vineis ciuitati Cremsiriensi adiacentibus et pertinentibus ad eandem ad exstirpandum et in agrorum vsus immutandum possidendumque perpetuo mere liberalitatis de gracia duximus conferendam quatinus illi qui eosdem agros in predicte silue fundo excultos possidebunt steuras seu iuuamina que predicte ciuitati per nos seu successores nostros imposite fuerint eo melius nobis reddere sint parati de predictis agris nobis et nostris successoribus nichilominus maiores decimas perpetuo soluturi siluam totam in . . . ligamus eandem preter quandam partem seu . . . . s ipsius collatam vel collatos in feodum per predecessorem nostrum collatione eadem scripture testimonio roborata. In cuius nostre liberalis donacionis eis facte et pleniorem euidentiam et robur perpetue firmitatis, presens scriptum eis contulimus nostri sigilli munimine communitum. Actum et datum in Cremsir anno domini MCCLXXXI. VI. Kalendas Octobris. Pontificatus nostri anno primo.

E copiario MS. civitatis Cremsiriensis saec. XV.

CXCVIII.

Idem confirmat ad instantiam fratrum militiae de Templo domus de Gamolice literas praedecessoris sui Brunonis, et Heinrici, Warmiensis episcopi, super ecclesiis in Dubňany, Dukowany et Bohuslawice. Datum in Modřice, Kalendis Decembris, 1281.

In nomine sancte et indiuidue trinitatis amen. Considerationis humane prouidit circumspectio prouida, ac prouidentia circumspecta, humanis dispositionibus utpote caducis et mutabilibus, adhibens scripture testimonium et literarum efficax monimentum, quo calumpniarum insidias, et iniuriarum enatare valeant tempestates, adeo ut et scriptis aliquotiens renouationis remedium sagaciter et prouide consueuerit adhibere. Hinc igitur est, quod nos *Theodericus* dei gratia episcopus Olomucensis notum esse volumus uniuersis presentibus et futuris, quod nos venerabilis domini Brunonis Olomucensis episcopi pie memorie predecessoris nostri vidimus literas non cancellatas non abolitas nec in aliqua parte sui vitiatas, quas presentibus inseri mandauimus in hec verba: *(Nos Bruno Dei gratia Olomucensis Episcopus etc. Datum in Modriz pridie Kalendas Septembris MCCLXXIX. Vide numerum CLXVI.)* Vidimus preterea et literas venerabilis domini Henrici Varmiensis ecclesie episcopi non cancellatas non abolitas, nec in aliqua parte sui lesas similiter in hec verba: *(Nos Henricus Dei gratia Varmiensis Ecclesie Episcopus etc. Datum in Bohuslaus VII. Kalendas Septembris MCCLXXXI. Vide num. CLXXXVIII.)* Et nos ad maiorem prefatorum omnium firmitudinem et euidentiam clariorem confirmationes et protestationes prescriptas predictorum dominorum domini videlicet Brunonis et Henrici episcoporum ratas et gratas habentes sicut rite et rationabiliter sunt facta auctoritate nostra ordinaria ad predictorum dilectorum nobis in Christo *fratrum de templo domus de Gemolitz* instantiam, confirmamus, volentes ut nulli umquam hominum liceat eos iniuriose super prehabitis infestare, confirmationemque nostram predictam sigilli nostri munimine roborantes. Datum aput Modritz anno domini M. CC. LXXXI. Kalendis Decembris. Pontificatus nostri anno primo feliciter.

Pelzel — Beiträge zur Geschichte des Templerordens. — Ex autographo archivi M. Prioratus Melitensium Pragae.

CXCIX.

Kunegundis, regina Boëmiae et domina Opaviae, confirmat fratribus sancti Joannis literas quondam Otakari regis super decimas frugum et thelonei ecclesiae in Hlubčice. Dt. „Hlupczizhc" (Leobschütz), 1281.

Nos Chunegundis dei gratia Boemie regina, et domina opauie. Vniuersos scire cupimus per presentes, nos uidisse sigillatas, et in nulla parte uiciatas litteras in hec uerba: *(Nos otthacarus qui et Premizl, dei gracia dominus regni Boemie etc. Actum et datum in Znoym anno MCCLIX. XV. Kalendas Decembris. Vide num. CCLXXXIII. T. III.)* Cum itaque de plenitudine gracie specialis honorabilibus viris, magistro . . . et *fratribus hospitalis sancti Iohannis Iherosolymitani,* nos ius patronatus prescripte ecclesie iuste et racionabiliter contulerimus perpetuo possidendum prefatam decimam decime frugum, decimam septimanam in theloneo, et etiam decimam census nostri in prelibita ciuitate *Hlupchyzch* prefatis fratribus confirmamus, dantes ipsis presentes litteras, sigilli nostri robore confirmatas, testes sunt Zauissius noster purcrauius de Gredcz, Wokco magister Wernherus, et alii quam plures, Actum et datum in Hlupchizhc. anno domini millesimo ducentesimo octuagesimo primo.

Ex originali in archivo M. Prioratus Melitensium Pragae.

CC.

Nicolaus, dux Opaviae, civibus de Jaegerndorf in recompensam damnorum quatuordecim laneos silvae in haereditate sua Opawice confert. Datum in Hlubčice, 1281.

In nomine domini amen. Gesta vite mortis excidio decidentis obliuionis exterminio prorsus in nichilum rediguntur, nec non uniuersa viue vocis frustrata testimonio recidiuum suscipiunt, nisi scripture vigorate patrociniis sigillorumque freta munimine tempori simul, et etati perpetue consenescant. Igitur ad noticiam presentium deuenire volumus, et memoriam futurorum, quod nos *Nicolaus,* dei gratia *dux opauie filius Othakari regis Bohemie,* dilectis fidelibus nostris ciuibus in *Iegerndorfe* propter merita deuotionis eorum, qua se gratos nostre reddiderunt celsitudini et acceptos in eo, quod nobis ad terram nostram oppauie venientibus nos dominum eorum recognoscentes esse naturalem pie susceperunt, et honorifice secundum exigentiam eorum fidei, et honorum, et etiam in recompensationem laboris, et seruitiorum suorum, que post susceptionem nostram nobis in debita exhibuerunt reuerentia, et honore; quin immo etiam in meliorationem ciuitatis eorum, et in alleuationem damnorum, que ante nostrum dispendiosum aduentum sunt perpessi per disturbium malignorum, de maturo nostrorum nobilium, atque ciuium consilio, et consensu XXIIII laneos sylue in hereditate nostra *oppauicz* dedimus, ita quod numerum laneorum sylue prenotatum habeant completum intra riuulum transeuntem per *villam Godesalci* progredientem, a sinistra parte montis versus aquam dictam oppau, qui numerus laneorum finem habebit intra aquarum spacium iam dictarum, liberaliter, perpetuo, et inuiolabiliter possidendos. Ne autem in nostra collatione retrogradi possimus in posterum inueniri predictis ciuibus nostris pro memoria sempiterna presentes inde confectas dari fecimus, nostri sigilli munimine roboratas. Testibus, qui huic tunc aderant, nostre collationi subnotatis, qui sunt: Wocco de Cravar, Iohannes dapifer noster, Zbyzlaus de Cchuth, Conradus camerarius noster, Benesius de Lobenstein, Rudigerus aduocatus, Hermanus Rose, Waltherus de Sanvricz, Waltherus de Lysenticz, Tylo de Cracovia. Gerbotho, Hartemundus, cives de Lubschicz, et alii quam plures. Actum anno domini M. CC. LXXX. primo. datum in Lubschicz, per manus Henrici nostri cancellarii, die, et loco prefatis.

E confirmatione privilegiorum ejusdem civitatis.

CCI.

Hartliebus de Dubna, camerarius Znoymensis et Bitoviensis, protestatur, dominam Troykam, relictam Sifridi de Zbraslaw, monasterio Oslowanensi contulisse villam Podolčice. **1281.**

Nos Hartlebus de Dubna, camerarius Znoymensis, et vethuiensis. Notum fieri uolumus aput quoslibet presencium inspectores et sub certissima nostre assercione fidei protestamur, quod domina *Troyca relicta domini Sifridi de Zbralaus* pie deuocionis affectu, et inspirante domino, in remedium anime sue nec non et dilecti mariti sui prememorati omniumque progenitorum suorum de uoluntate et assensu filii sui eciam *Nycol* dicti villam *Podolizzycz* ecclesie beate virginis in *Ozlawan* iure quouis hereditario contulit perpetuo possidendam, presentibus nobis Czuzkrayo zudario, et Eberuschone iudice prouinciali eiusdem districtus, et aliis uiris nobilibus quam plurimis fide dignis, quos eadem domina in attestacionem huius donacionis deuotis precibus applicuit et attraxit. In cuius rei testimonium presentem paginam conscribi iussimus nostri sigilli caractere roboratam. Acta sunt hec anno domini M. CC. LXXXI.

Ex originali cum sigillo fracto ejusdem monasterii.

CCII.

Gerhardus de Obřany protestatur, Bohušium, marschalcum Moraviae, contulisse filiae suae et monasterio Oslowanensi villam Pispitz et mediam villam Studyň. Dt. Brunae, **1281.**

Suboriri solet de gestis hominum multa calumpnia, nisi viuorum testium robur adhibeatur aut scriptura. Quapropter nos Gerhardus de Obersezze. presentibus protestamur, quod dominus Bohusius, marscalcus, morauie, vir nobilis ac amicus noster, in presentia Baronum de prouincia Brunnensi, ob remedium anime sue et vxoris, ac omnium antecessorum, nec non karissime filie sue, que in Ozlaviam votum fecit, villam ipsius Bohusii *Pyspiz* nuncupatam, cum omnibus suis attinenciis, cultis et incultis, de voluntate optima ac consensu omnium heredum suorum, ecclesie in *Ozlauia* dedit iure proprietario perhenniter, libere et quiete. Preterea uice uersa, venerabilis abbatissa ac prepositus, et conuentus eiusdem ecclesie, mediam villam in *Studin,* que monasterium iure hereditario respicit, ipsi domino Bohusio dabunt, et dederunt, sine contradictione qualibet ad dies suos, tali interposita cautione, quod post decessum ipsius domini Bohusii, tam illa pars ecclesie, quam etiam secunda pars, comparata per dominum predictum, ad ecclesiam prehabitam libere, iure proprietario reuertatur, absque quolibet inpedimento. Vt autem hec gratia tam a parte religiosarum personarum, quam etiam a parte domini Bohusii et suorum heredum, rata permaneat et inconuulsa, presentem paginam cum subscriptis testibus fecimus communire. Datum in Brunna presentibus viris prouidis et discretis, Domino Hartmanno de Holenstein, camerario Brunnensi. Domino Bznetone de Mezeriesch. Domino Tazzone de Tazzowe. Wezemilo zvdario. Heinrico villico, et aliis quam pluribus. Actum anno domini M. CC. LXXXI.

Ex originali in archivo ejusdem monasterii cum sigillo illaeso.

CCIII.

Bohuslawa, relicta Neplachonis de Horka, renuntiat in lite cum monasterio Gradicensi omni juri dotis suae in media villa Těšetice. Dt. Olomucii, IV. Kal. Augusti, 1282.

In nomine domini amen. Anno dominice incarnationis MCCLXXXII. IV. Kalendas Augusti ego *Bohuslaua, relicta domini Neplach* bone memorie, constituta in iudicio coram beneficiariis Olomucensibus, per aduocatum meum Teruardum, ciuem Olomucensem, non per uim, non coacta, nec per aliquem subornata, in causa, que uertebatur inter uenerabilem uirum *Budis,* abbatem, et conuentum ecclesie *Gradicensis,* Premonstratensis ordinis ex una parte, et me ex altera, super conditionibus et circumstantiis siue iuribus quibuscunque, ad ius et proprietatem dotis mee in media uilla *Tiesseticz* quocunque ad me titulo pertinentibus, attinentiisque vniuersis, testimonio presentium litterarum renuntio iuri et actioni, quod ius uel actio mihi uel meis quomodolibet competere uidebatur, de mea bona uoluntate; et committo me pure ac simpliciter, sine omni exceptione doli seu fraudis, prefatorum gratie dominorum abbatis uidelicet et conuentus, promittens non contrauenire, quoadusque uixero, renuntationi, ordinationi et promissioni presenti, spontanea uoluntate protectioni eorum me subiicio dominorum temporibus uite mee. Pro qua renuntiatione seu cessione litis et cause prescripte predicti domini abbas scilicet et conuentus, me ipsorum gratie luminibus intuentes, mihi coram prefato iudicio utilitatem eorum bonorum duntaxat in agris, pascuis, pratis et media silua, que adiacet ipsi uille, exceptis aliis bonis ibidem, que apud Sipotam iure hereditario redemerunt, et excepto iure patronatus ibidem, temporibus uite mee beneuole concesserunt, et insuper quatuor equos ad aratrum, duas vaccas, duas sues, pullos et anates, duos modios siliginis Brunensis mensure, et duos mixte auene, sicut in agris eiusdem curie prouenit, non aliunde, et super hoc semina hyemalia et estiualia, quantum aratrum predictum coluerit. Finito autem uite mee curriculo, et me uiam carnis vniuerse ingressa, nec filius meus, nec simpliciter aliquis cognatorum uel amicorum meorum cum eisdem bonis et vtilitate mihi concessa quidquam habebunt disponere, sed immediate et absque omni contradictione ipsorum utilitas cum bonis predictis cedent ecclesie memorate. Et ut hec mea renuntiatio uel protestatio per nullum amicorum uel mihi quomodolibet attinentium possit amplius impediri, sed potius robur obtineat perpetue firmitatis, presentes feci conscribi, et sigillorum honorabilium dominorum, qui presentes fuerunt, uidelicet Onssonis camerarii, Budislai decani, Cyri prepositi Olomucensis, et domini Chaste de Chrelow rogaui munimine roborari. Huius rei testes sunt: Onsso camerarius, Budislaus decanus, Cyrus prepositus prefati. Bartholomeus, canonicus Olomucensis. Johannes, frater Conradi, castellani Olomucensis. Chuniczco de Vinar, uillicus prouincie Olomucensis. Swietik de Swesedlicz, uillicus predicti Onssonis camerarii. Stach. Chasta de Chrelow. Smil de Ostieradicz. Budiss de Olomucz. Marquardus, castellanus domini Olomucensis episcopi de Kelcz. Wran de Otiehrib. Tarwardus, ciuis Olomucensis, et alii quam plures. Actum et datum in Olomucz. Anno et die prefatis.

Ex Annalibus Gradicensibus Mss.

CCIV.

Theodoricus, episcopus Olomucensis, formam compositionis per arbitros factae inter abbatem Gradicensem, et dominos de Krawař ratam habet. Dt. Opariae, VI. Kal. Septembris, 1282.

Nos Theodericus, dei gracia episcopus Olomucensis. Notum esse et constare uolumus vniuersis, quod dominus Fridericus, Olomucensis, et dominus Vlricus, Znoymensis archidiaconi, preterea dominus Pardus de Horka, dominus Zbyslaus de Kuth, et Johannes de Ratkow, item Petrus, dictus Zub, Sobiehrad de Cheliznicze, Protiwecz de Chononicz, in causa, que uertebatur inter uenerabilem in Christo fratrem, dominum *Budis,* abbatem, et conuentum canonicorum regularium, Premonstratensis ordinis in *Gradisch* ex una, et dominos Wokkonem et Benessium filium suum de Krawar, et Benessium de Branicz, nec non Beneschium de Schitin parte ex altera, de consensu et uoluntate partium unanimi electi arbitri, arbitratores, seu amicabiles compositores, arbitrium suum sub hac forma nostra in audientia protulerunt, quatenus predicti domini, Woko uidelicet de Krawar, Beneschius, filius suus, Beneschius de Branicz, et Beneschius de Schytin prefati dominum abbatem predictum et conuentum eius, bona ipsorum seu homines, ad eos pertinentes, de cetero in nullo aggrauare, imo potius in omnibus, etiam non requisiti, consilio, auxilio et opere, occulto et manifesto, fideliter debeant promouere; super quo in manus nostras uice iuramenti, quod in sacro altari facere debuerant, iuxta formam arbitrarii fide data fecerunt manuale promissum. Preterea, quod dominus Wocko de Crawar in uilla *Budissowicz,* ad Gradicensem ecclesiam pertinenti, uite sue temporibus quinque laneos et dimidium possideat, sicut in concesso sibi priuilegio continetur; ita tamen, ut iidem lanei ad heredes ipsius non transeant, sed decurso uite sue curriculo ad ecclesiam libere redire debeant Gradicensem, omni contradictione et tergiuersatione semotis. In aliis autem bonis ecclesie, puta mellificiis, siluis, piscationibus et aliis utilitatibus occupatis, nullam habeant potestatem. Sed propter predictos laneos teneantur, eundem dominum abbatem, homines et bona ipsius, in iudiciis et in aliis specialius promouere. Item quod dominus Beneschius de Branicz simpliciter et absolute omni iuri et accommodationi, que sibi competere uidetur in *Hranicz* et *Camenecz,* et ad ea pertinentibus, seu aliis bonis ecclesie Gradicensis, renuntiet, et cedat eidem abbati et ecclesie sue de bonis omnibus occupatis; quod in manus abbatis eiusdem in nostra presentia immediate idem Beneschius facere non ommisit. Amplius quod predicti domini, Wocko uidelicet et ceteri in principio nominati in bonis ecclesie predicte nullos habeant seruitores, et si inueniuntur huiusmodi, sua Burgrecht ante festum beati Martini proxime uenturum uendant et recedant, alioquin dominus abbas et conuentus de ipsorum burgrecht se ex tunc absque omni contradictione intromittant. Ad hec, quod iidem domini omnia et singula predictorum, sub pena excommunicationis nostre siue Olomucensis episcopi, promittant obseruare inuiolabiliter et tenere, quod et fecerunt publice in manus *nostras in domo fratrum minorum in Oppauia,* in nostra presentia constituti. Ceterum, quod dominus abbas de ipsis non subito credere debeat delatori, et excusationis honeste ac rationabilis gratiam non negare. Postremo domini iam sepius nominati ante festum s. Martini nunc uenturum debent uenire personaliter ad ecclesiam Gradicensem, et a dominis abbate, priore et toto conuentu humiliter implorare et petere ueniam de commissis, et manuale promissum in manus prefatorum dominorum facient iterato, monasterium et bona ac homines monasterii ipsorum non ledere, uti predictum est, sed potius fideliter promouere. Cum igitur dominus abbas pro se et conuentu suo, tum etiam dominus Woko et ceteri domini superius nominati de bona uoluntate ac consensu unanimi eandem formam compositionis seu arbitrii predictorum acceptauerint, et acceptatam coram nobis sub modo predicto promiserint firmiter obseruare: Nos eam ratam et gratam habentes tenore presentium confirmamus, sigillorum tam nostri quam ipsorum, Wockonis uidelicet et Beneschii utriusque, nec non archidiaconorum amborum, Friderici et Vlrici, supradictorum testimonio suo et munimine roboratam. Actum et datum in Oppauia. Anno domini M. CC. LXXXII. VI. Kalendas Septembris.

Ex Annalibus Gradicensibus Mss.

CCV.

Nicolaus, dux Opaviensis, testatur, Benešium de Štitjn resignasse Theodorico, episcopo Olomucensi, pro satisfactione damnorum ecclesiae illatorum villam Skorotjn. Dt. Opaviae, VI. Kal. Septembris, 1282.

In nomine sancte et indiuidue trinitatis amen. Cum dispositionum natura fluxibilis humanarum tante soliditatis culmen attingere nequeat, vt de ipsis lituras obliuionis et calumpniarum insidias non oporteat formidari: consequende vtcunque stabilitatis gracia litterarum accessit rationabile fulcimentum. Quocirca nos *Nycholaus,* dei gracia *dux Opauiensis,* notum esse et constare volumus vniuersis tam presentibus quam futuris, quod dominus Benessius de Schytin, filius quondam domini Dersizlai bone memorie, pro illatis venerabili in Christo patri domino Theoderico, ecclesie Olomucensis episcopo et ecclesie sue predicte dampnis grauibus excommunicationis promerite sententia ab eodem domino episcopo innodatus, absolutionis promerende gracia per satisfactionem debitam, constitutus innostra presentia in domo fratrum minorum in Opauia coram nobis et terre nobilibus ac beneficiariis Opauiensibus villam suam nomine *scorotin* cum suis pertinentiis, sitam in districtu Prerouiensi, quoad terre iudicium pro satisfactione dedit et resignauit in manus eiusdem domini Theoderici, venerabilis episcopi Olomucensis, sibi et ecclesie sue Olomucensi iure hereditario perpetuo possidendam. Omni actioni et iuri, quod in eadem uilla scorotin habet uel habere potest, pro se et fratribus suis Wokcone et Iarozlao, nec non liberis ac heredibus ipsius renuntians, et promittens iureiurando, nulla arte, studio uel ingenio per se uel heredes, aut fratres seu heredes ipsorum, uel quempiam aliorum contrafacere uel uenire; quod si, quod absit, facere presumpserit, eandem prioris excommunicationis incurrat sententiam, diminutionique subiaceat fame, fidei et honoris, et ad satisfactionem nichilominus de dampnis illatis domino episcopo et ecclesie sue predicte ex integro teneatur. Nos itaque satisfactionem, donationem et cessionem predictam, vtpote rationabilem et salubrem, ratam et commendatam habentes, rogati et inducti precibus vtriusque, domini episcopi videlicet et Benessii predictorum, amplioris ad cautele habundantiam presens scriptum conscribi fecimus, et sigillorum, nostri scilicet et ipsius Benessii ac amicorum eius, domini

Wokkonis de Crawar et domini zbyzlai fratris eius ordinauimus munimine roborari. Actum et datum in Opauia anno domini MCCLXXXII. VI. Kalendas Septembris. Sub testimonio magistri Henrici doctoris decretorum, commendatoris Opauiensis. domini abbatis Gradicensis premonstratensis ordinis dicti Budis. Bartholomei, notarii nostri. Milconis, capellani domini alberti de lessan; virorum quoque nobilium domini Alberti de lessan. Bludonis de Gychin. Parduz de Horca. Syffridi de Baruth. Theoderici stange camerarii Morauie. Wokconis de Crawar. Bohus de petrouicz. Nycholai de Schowenburg. domini Stonarii. Borute de Byztricz. et aliorum quam plurium fidedignorum virorum.

Ex originali cum septem sigillis appensis in archivo archiepiscopali nunc Cremsirii.

CCVI.

Idem protestatur, Benešium de Branic eidem episcopo Olomucensi pro satisfactione eadem proventus villae Bykow dedisse. Datum Opariae, V. Kal. Septembris, 1282.

In nomine domini amen. Cum dispositionum natura fluxibilis humanarum tante soliditatis culmen attingere nequeat, vt de ipsis lituras obliuionis et calumpniarum insidias non oporteat formidari, consequende utcunque stabilitatis gracia litterarum accessit rationabile fulcimentum. Quocirca nos *Nycholaus,* dei gracia *dux Opauiensis,* notum esse et constare volumus vniuersis tam presentibus quam futuris. Quod dominus Benessius de Branicz, filius quondam Benessii de Czwilin, burchrauii Znoymensis bone memorie, pro illatis venerabili in Christo patri domino Theoderico, ecclesie Olomucensis episcopo, et ecclesie sue predicte dampnis grauibus excommunicationis sententia promerite ab eodem domino episcopo innodatus, absolutionis promerende gracia per satisfactionem debitam, constitutus in ciuitate Opauia in nostra presentia, coram nobis et terre nobilibus ac beneficiariis Opauiensibus duodecim marcarum argenti redditus annuales in villa sua *Bycow,* sita in districtu Opauiensi, pro satisfactione dedit et resignauit in manus eiusdem domini Theodrici venerabilis episcopi Olomucensis, sibi et ecclesie sue Olomucensi iure hereditario perpetuo possidendos, renuncians pro se et uxore sua ac liberis seu heredibus suis omni iuri et actioni, quam habet uel habere potest in eadem villa, et promittens iureiurando, nulla arte, studio uel ingenio per se uel heredes suos, uxorem suam uel quempiam aliorum contrafacere uel venire; quod si, quod absit, facere presumpserit, eandem prioris excommunicationis incurrat sententiam, diminutionique subiaceat fame, fidei et honoris, et ad satisfaciendum nichilominus de dampnis illatis domino episcopo et ecclesie sue predictis integraliter teneatur. Ad cauendum etiam de euictione predictorum reddituum in eadem villa Bycow per terminum secundum terre consuetudinem ab omnibus eidem domino episcopo et ecclesie sue prehabite obligatus. Nos itaque satisfactionem, donationem et cessionem predictam, vtpote rationabilem et salubrem, ratam et commendatam habentes, rogati et inducti precibus vtriusque, domini videlicet episcopi et Benessii predictorum, amplioris ad cautele habundantiam presens scriptum conscribi fecimus, et sigillorum, nostri scilicet et ipsius Benessii ac amicorum eius, domini Wockonis de Crawar et domini Zbizlay fratris eius de Kuth, ordinauimus munimine roborari. Actum et datum in Opauia, anno domini MCCLXXXII. V. Kalendas Septembris, sub testimonio magistri Henrici, doctoris decretorum, commendatoris Opauiensis. Bartholomei et venceziai, notariorum nostrorum. et Milconis, capellani domini Alberti de Lessan; virorum quoque nobilium, domini Alberti de Lessan, Bludonis de Gychin. siffridi de Baruth. Theoderici Stange, camerarii Morauie. Wokkonis de Crawar. Bohus de Petrouicz. Nycholai de Schowenburg. Stonarii. Borute de Bistricz. domini Parduz de Horka, et aliorum fide dignorum virorum.

Ex originali cum septem sigillis appensis archivi archiepiscopalis nunc Cremsirii.

CCVII.

Judices per Albertum, ducem Saxoniae, tutorem Morariae, causis decidendis delegati cessionem mediae villae Těšelice per matronam Bohuslawam monasterio Gradicensi factam protestantur. Dt. Olomucii, XVI. Kal. Octobris, **1282.**

Nos Chuno de Cunstat, Wssieborius de Namyesscz, assessores illustris principis, domini nostri *Alberti, ducis Saxonie, tutoris Morauie,* per ipsum in ipsius prouincia iudices constituti; Onsso, camerarius, . . . burgrauius Olomucensis, in iudicio seu curia in Olmucz sollempniter celebrata super decidendis conquerentium quorumlibet causis et litibus, scripto profitemur presenti: nos eidem prouinciali colloquio seu curie de mandato dicti domini ducis uice et nomine ipsius presedisse XVI. Kalendas Octobris; et tunc domina *Bohuslaua, relicta domini Neplach* bone memorie, non coacta, nec per aliquem subornata, sed de sua libera uoluntate per aduocatum suum, Adamum de Dobromilicz, coram nobis et testibus subnotatis taliter est locuta: Donaueram quondam vna cum mariti mei consensu Neplach dotem meam ecclesie *Gradicensi;* nunc autem pro eiusdem dotis mee requisitione dominum Budiss, venerabilem abbatem, et conuentum Gradicensis ecclesie excitaui in causam, quam causam seu litem et omnem actionem resigno, et omni iuri, quod mihi uel meis super media uilla *Tyesseticz,* dote mea, cum omnibus suis pertinentiis competere uidebatur, cedo simpliciter et in toto, et committo me pure ipsorum gratie dominorum. Requisita autem a nobis dicta domina Bohuslaua, an uerba domini Adami, sui aduocati, de sue beneplacito procederent uoluntatis, aperte respondit, suum esse uerbum, quidquid per dictum Adam, suum aduocatum, fuerat protestata. Ipse uero dominus Budiss, abbas prescripte ecclesie Gradicensis, presens assistens, capitis inclinatione prestita more terre, in signum cause sue seu litis euicte duos denarios iudiciales, qui uulgo prisudni dicuntur, Ludero de Kokor, Olomucensi czudario, presentauit. Nos autem, ne prefata domina Bohuslaua, uel aliquis amicorum suorum, uel sibi quomodolibet attinentium, contra predictos dominos, abbatem scilicet et conuentum Gradicensis ecclesie, pro predictis bonis, que ipsa domina Bohuslaua, cedens uoluntarie iuri, actioni et liti, ipsorum dominorum iurisdictioni dignoscitur uendicasse, litem seu causam ualeat imposterum suscitare: presentes litteras predictis dominis, abbati uidelicet et conuentui ecclesie Gradicensis sepius nominate conscriptas dedimus, nostrorum sigillorum munimine roboratas. Huius rei testes sunt: Cyrus, prepositus Olomucensis, cancellarius Morauie. Bohussic de Drahothuss. Luderius de Kokor predictus. Mattheus de Czrnahora. Witko de Upa. Pardus de Horka. Wilhelmus de Dubicz. Onsso de Trssicz. Petrus de Lossicz. Scoch de Vyezdlicz. Ratmirus de Penczyn. Adam de Dobromylicz. Boruta de Bystricz. Predbor de Zelatowicz, et alii quam plures. Actum et datum in Olomucz. Anno domini millesimo ducentesimo octuagesimo secundo. XVI. Kalendas Octobris.

Ex Annalibus Gradicensibus MSS.

CCVIII.

Budiš, abbas Gradicensis, cum conventu suo concedunt eidem Bohuslawae ad tempora vitae utilitatem mediae villae Těšetice. Datum in monasterio Gradicensi, XI. Kal. Octobris, 1282.

Nos Budis, miseratione diuina abbas, et conuentus ecclesie Gradicensis, protestamur vniuersis, presentes litteras inspecturis, nos honeste domine *Bohuslaue, relicte domini Neplach* bone memorie, utilitatem medie ville nostre *Tiesseticz* ad usus ipsius tantummodo cum agris, pascuis, pratis et media silua, que adiacet ipsi ville, et cum iure patronatus ecclesie ibidem, preter bona, que iure hereditario apud Sybotam redemimus, vite sue temporibus concessisse de gratia speciali, ita, ut excurso vite ipsius curriculo statim et sine omni contradictione amicorum seu cognatorum dicte domine Bohuslaue eadem bona simul et utilitas ad nostram ecclesiam deuertantur. De quibus bonis iure, actione et causa eorundem bonorum, quam dicta domina Bohuslaua contra nos acceperat pro eisdem bonis, in prouinciali iudicio XVI. Kalendas Octobris in Olomucz celebrato coram *illustri principe Alberto, duce Saxonie, tutore Morauie,* et sibi assidentibus terre baronibus, videlicet domino Chunone, Wsseborio, beneficiariis Olomucensibus, et aliis nobilibus terre, sicut in ipsorum assessorum et beneficiariorum litteris, super ipsam resignationem confectis, plenius continetur, cessit voluntarie, non coacta, nec per aliquem subornata. Ut autem hec nostra temporalis concessio sepedicte domine Bohuslaue ipsa uiuente per nullum nostrum successorem valeat imposterum violari, sibi presentes litteras dedimus, nostrorum sigillorum munimine roboratas. Actum et datum in Gradis. Anno domini M. CC. LXXX. II. XI. Kalendas Octobris.

Ex eisdem Annalibus Gradicensibus MSS.

CCIX.

Nicolaus, dux Opariae, fratribus domus Teutonicorum possessionem silvae Libuša cum monte Raudenberg post resignationem Alberti de Sternberg confirmat. Dt. in Lobenstein, X. Kal. Aprilis, **1283.**

In nomine domini. Amen. Cum vita hominum, que vniuersis subiacet casibus, labilis sit et caduca, tempus vero mobile et inconstans memoriam hominum labefaciat, incognitum ipsum assiduo circinando, necessarium dinoscitur ac consultum, ut ea, que aguntur, non solum semel scriptis solidentur idoneis, verum etiam si detur opportunitas denuo robore muniantur; duplici enim affirmatione certior fieri promissio perhibetur. Quocirca nos *Nicolaus,* dei gratia *dominus Opauie,* notum facimus vniuersis viuentibus et victuris, quod dominus *Albertus de Sternberg,* in nostra constitutus presentia, ciuiliter actioni, quam pretendebat contra *fratres hospitalis sancte Marie domus Teuthonice* occasione silue et bonorum, que dicuntur vulgariter Lubuscha, cum suis attinentiis, ad que bona se ius habere legitimum astruebat, respiciens ad deum et conscientiam suam, cessit liberaliter et libenter, abrenuntians omni iuri coram nobis, coram czuda, ut consuetum est, et coram baronibus nostris, quod ipse vel heredes sui habere dinoscebantur ad eadem bona, uel habere poterant; et eosdem fratres in possessione predictorum bonorum suorum pacifica et quieta absque impeditione futura pro se et suis successoribus publice quietauit. Quibus bonis habitis et adeptis ipsi fratres, ut predicta bona ipsis confirmare dignaremur, que a patre nostro felicis memorie, rege Boemie, tenent, supplicarunt nobis humiliter et sincere. Nos vero primum cupientes ad gratiam inueniri impertientes cum ipsis hilariter et libenter, quia se ea dignos reddunt apud nos multo fidei et deuotionis, cognita etiam iusticia, quam ipsi fratres habent ad eadem bona ex collatione et priuilegio patris nostri, super qua collatione ipsum ab eo priuilegium obtinuerunt, siluam et bona sepedicta *Lubuscha* cum monte *Rudinberg,* cum omnibus pertinentiis et iuribus suis, prout limitata sunt et distincta circumferentialiter terris suis atque metis, sepe memoratis fratribus domus Teuthonice hospitalis S. Marie ob remedium anime parentis nostri et salutem nostram ratificamus et confirmamus et innouamus de nostrarum plenitudine graciarum. Presentibus: Wokone de Krawar, camerario Oppauie. Ioanne de Crenouitz. Sbyslao de Cuth. Beneschio de Branitz. Trutuino de Lublitz. Dirschone, Czudario Brunnensi prouinciali. Marquardo de Nasile. Beneschio, filio Wokonis. Wokone et Iaroslao, filiis Dirschlai. Ieroslao de Petrouicz, et aliis multis. In cuius rei euidens testimonium presentem paginam inde confectam nostri sigilli munimine mandauimus roborari. Actum Lobstein anno domini MCCLXXXIII. decima Kalendas Aprilis.

E copia simplici in museo Brunensi. — Originale in archivo ejusdem ordinis Freudenthalii asservatur.

CCX.

Witek, praepositus de Wolframskirchen, ceterique filii Theoderici de Dobronice vendunt monasterio Lucensi bona sua patrimonialia in Mühlfraun. *Pridie Kal. Aprilis,* 1283.

Anno domini MCCLXXXIII. pridie Kalendas aprilis. Nos Witko, prepositus de Wolframskirchyn, Stephanus. Gotfridus. Ostoy. Zobezlaus. Ingramus, filii quondam Theoderici de Dobronitz, tenore presentium protestamur, quod domino Th. abbati et conuentui *Lucensis* ecclesie, bona nostra patrimonialia in *mulwren* de terris, molendino, piscationibus et aliis rebus, ad nos patrimonio pertinentibus, pro XL. marcis argenti usualis monete uendidimus pure et sine omni conditione, purificationem argenti, que in uenditione hereditatis iuxta consuetudinem terre deberetur, eisdem pro animarum patris et matris nostre remedio relaxantes. Sane quia ius patronatus ecclesie, in predicta uilla constitute, ad nos in parte alia iure saluo domino abbati et suo conuentui, quod in eadem ecclesia ad eos dinoscitur pertinere, idem ius nostrum, ut cum uniuersitate transeat, concedimus, volumus, consentimus, simpliciter et de plano, renuntiantes omni iuri et actioni, si quod uel qua nobis in predicto iure patronatus posset competere uel deberet; iure tamen saluo in tribus laneis de *borotitz*, quod Ingramus, frater noster, ratione plebanie predicte ecclesie debet, quamdiu sibi de iure competit possidere, donec sibi per diuinam misericordiam prouisum fuerit in beneficio pinguiori. Et quia ego Ingramus tempore venditionis predicte extiti minor XXV annis, proprio sacramento firmaui, quod contra predictam venditionem factam a fratribus meis et a me aliquatenus non uenirem. Datum et actum anno et die supradictis, et ad meliorem cautelam presentem paginam sigillo domini Th. abbatis de Sabardwitz, et domini Her. prepositi de Cunitz, una cum sigillo nostro W. prepositi de Wolframskirchin, et sigillo domini Werneri, decani Znoymensis, plebani de Roatitz, nec non sigillo domini Iohannis, plebani S. Nycholai de Znoym, qui predicte venditioni interfuerunt, fecimus roborari, et per manum fratris, Iohannis, sacerdotis canonici montis Syon procurauimus hec conscribi; presentibus: Winando, priore, Th. suppriore, *Symone quondam abbate de Sabardwitz*, paulo preposito, gerlaco, et aliis senioribus fratribus monasterii Lucensis.

Ex originali cum tribus appendentibus sigillis illaesis in museo Brunensi. — Alterum exemplar in archivo ejusdem monasterii asservatur.

CCXI.

Theodoricus, episcopus Olomucensis, monasterio ad s. Jacobum Olomucii possessionem villae Tráwnjk a Budislawa de Ratay collatae confirmat. Dt. Cremsirii, in die Parascere, 1283.

Nos Theodericus dei gracia episcopus Olomucensis, vniuersis et singulis presencium habituris noticiam declaramus quod nobilis mulier domina *Budizlaua uxor quondam Crisonis de Ratay,* anno domini millesimo ducentesimo, octuagesimo tercio, in die Parascheue, in Cremsir in nostra presencia constituta, sana mente et corpore, diuino concita spiritu, villam suam *Traunik* cum omnibus attinenciis ipsius pro remedio animarum patris et matris ac mariti sui, et omnium predecessorum suorum, conuentui dominarum *sancti Iacobi in Olomuncz,* pure et simpliciter donauit, ita tamen quod ipsa utifruatur prouentibus dicte ville Traunik ad tempora uite sue, et quod ea decedente possessio prefate ville Traunik, ad monasterium et conuentum predictarum dominarum sancti Iacobi plenarie deuoluatur, petens a nobis, ut dictam donacionem ratificare et confirmare auctoritate ordinaria curaremus. Nos vero peticionibus suis gratum prebentes assensum, donacionem prenominatam, ratam et gratam habentes, eam tenore presencium confirmamus. In cuius donacionis et peticionis prefate domine

Budizlaue, ac confirmacionis et ratihabicionis nostre testimonium, presentes fieri, et sigilli nostri munimine iussimus roborari. Testibus, qui ad hoc specialiter rogati donacioni predicte interfuerunt, presentibus subnotatis qui sunt hii videlicet, domini Wseborius de Namesch. Luderius de Cocor. Ratmirus de Dolan. Milicius de Chethow. Wolurammus de Petrouicz. Predborius de Zelechouicz. Bohuzlaus de Neznamislicz. Wecemilus de Selesicz. Wran de Othehreb. Gilge de Welethin. Sauise et Slaua de Welethin. Iacobus de Dhiuicz. Hrut et Iacobus de Wlcos. Nicolaus de Pocenicz. Predborius de Pribizlauicz. Smil et Conradus de Hosteradicz, et quam pluribus aliis. Datum in Cremsir anno et die predictis.

Ex originali in arch. capituli Olomucensis.

CCXII.

Cyrus, praepositus Olomucensis, fratribus praedicatorum ibidem in lite cum Conrado, rectore ecclesiae in Bystřice, quandam aream adjudicat.

Pridie Kalendas Augusti, 1283.

Nos Cyrus, Olomucensis ecclesie prepositus, coram hominibus tam presentibus, quam futuris huius tenore pagine protestamur, quod cum prius iam dicte ecclesie essemus archidiaconus, causam, que inter *fratres predicatorum ordinis in Olomucz* ex una parte, et Hainricum Hluzam, ciuem Olomucensem ex parte altera vertebatur supra quadam area sita sub priuata fratrum predicatorum iuxta murum, quam Hainricus Hluza suam esse asseruit, diligenti iuris examine decidimus, ita quod partibus utrobique coram nobis super proprietatem et possessionem prefate aree respondentibus, Hainricus supradictus nichil proficui aut validi pro se valuit ostendere; verum fratres predicatores tam testibus, quam priuilegio, quod Premysl illustris quondam marchio Morauie ipsis super eorum domus areas liberaliter contulit, memoratam aream suam esse rationabiliter ac validius ostenderunt, nec unquam, utpote propriam, ad possessionem ipsius Hainrici transisse. Quod iure debuimus, fecimus, fratres predicatores in possessionem supradicte aree canonice sententiauimus, decretum nostrum facientes per censuram ecclesiasticam obseruari. Retroactis post hec aliquibus temporibus Chunradus rector ecclesie in Wistricz filius memorati Hainrici dicti Hluze, causam iam iudicatam refricare cupiens, fratres predicatores super area iuretenus obtenta et sua grauare nititur, se ad iudicium conferens seculare. Super quo literas venerabilis patris domini atque Olomucensis episcopi recepimus, nobis strictius iniungentes, ut causam inter fratres predicatores et Chunradum, rectorem ecclesie de Wistricz super quadam area debeamus ecclesiastice decidere, prout in litera nobis missa desuper plenius continetur. Cui mandato humiliter obedientes, causam, ut prius conuocatis partibus diligenter audiuimus, et nichil de vetera iudicii examinatione poteramus alicere, nisi quod supradicte aree proprietas ac possessio ad domum fratrum predicatorum ex iuris debito pertinet. Adiudicauimus itaque ipsis fratribus iterato eandem aream, ut suam propriam merito possidendam; Chonrado predicto, rectori ecclesie in Wistricz, Hainrico patri, dicto Hluze, suisque successoribus per censuram ecclesiasticam et auctortate nobis desuper dedita de requisitione predicte aree silentium perpetuum imponentes. In huius igitur iudicate cause testimonium, et si deinceps aliquis hominum presumet fratres predicatores super memorata area inaniter attemptare, presentes conscribi statuimus et nostri sigilli munimine roborauimus. Actum anno domini **MCCLXXXIII.** pridie Kalendas Augusti.

Ex originali in archivo ejusdem monasterii.

CCXIII.

Wenceslaus, rex Boemiae, monasterio Tišnowicensi censum de laneis Woytae de Wšechowice adjudicat. Dt. Brunae, VIII. Idus Novembris, **1283.**

Nos Wenceszlaus dei gracia rex Boemie et marchio Morauie. Notum esse volumus vniuersis tenorem presencium inspecturis. Quod cum nos iudicio in Brunna presidere contingeret. Venerabilis domina Anna abbatissa in *Thussnowicz.* nobis in Christo dilecta. una cum preposito domino Conrado coram nobis querulose proposuerunt. Quod Woytha de Schechowicz censum debitum ad quem de iure teneretur de laneis suis.

ipsis soluere recusaret. Cum tamen ipsa villa *Schechowicz* pleno dominio ad eas pertineat ut volunt suis priuilegiis demonstrare. ipse vero Woitha e conuerso allegabat, quod lanei quos coleret sibi et suis successoribus collati et dati essent, pro seruiciis exhibitis et adhuc exhibendis, ita quod eos cum suis successoribus perpetuo deberet libere possidere. quod tamen nullo autentico probare potuit instrumento. Nos vero de liberalitate regia dissensionis et altercacionis materiam decidere et sopire volentes, statuimus et ordinanimus de consilio nobilium terre. Quod ipse Woytha una cum filiis suis ad tempora vite sue et suorum filiorum ipsos laneos quos hucusque coluit absque omni impedimento debeat possidere vlterius pacifice et quiete. Sed postquam dominus dictum Woytham cum filiis suis ex hoc seculo euocauerit, ex tunc omnia bona sua tam mobilia quam immobilia, scilicet laneis agris cultis et incultis pratis siluis cum omnibus suis iuribus et pertinenciis quibuscunque sine omni contradiccione seu impeticione omnium amicorum suorum ad predictas dominas in Thussnowicz libere deuoluentur. In cuius rei testimonium et robur validius presens priuilegium dicte domine Anne abbatisse, totique conuentui dominarum in Thussnowicz. damus sigillorum nostrorum robore communitum. Datum Brunne per manus magistri Ioannis prepositi Saccensis. prothonotarii Morauie. anno domini Millesimo. Ducentesimo. LXXX. Tercio. Octauo Idus Nouembris, presentibus baronibus videlicet. Domino Artlebo camerario Znoymensi. et Vethouiensi. Domino Chunone de Chunstat. Domino Gerhardo de Obrzez. Domino Bohuschone et Hartmanno filiis domini Cyronis et domino Matheo de Schirnahor. ceterisque terre nobilibus fide dignis.

Ex originali in archivo ejusdem monasterii, cujus sigillum est avulsum.

CCXIV.

Hartmannus de Holenstein donat monasterio Zábrdowicensi villam Bukowany. Dt. Brunae, Katendis Decembris, 1283.

Vniuersis Christi fidelibus presentes literas inspecturis, Dominus Hartmannus dominus de Holenstein salutem in omnium saluatore. Quoniam temporis instabilitas factorum veterum obliuionem adducit, necesse est, bene gesta scripti testimonio confirmari. Vestre igitur vniuersitati notum esse volumus, quod nos villam nostram dictam *Bukowan*, cum ecclesia, syluis, ac aliis suis attinentiis ecclesie S. Marie virginis in *Zabrdouicz*, et conuentui ibidem, iure proprietatis, diuina nobis gratia inspirante, contulimus post mortem nostram libere possidendam. Ne autem aliquod super eo dubium oriatur in posterum, presentem literam ipsis dedimus sigilli nostri munimine roboratam. Huius actionis testes sunt dominus Bohuz dictus de Borsswicz, Wecemilus zudarius Brunensis, Prostimirus ciuis Brunensis, dominus Leopoldus plebanus in Leig, dominus Heinricus plebanus de Kobariz, magister Heinricus plebanus in Telez, frater Theobaldus sacerdos, frater Godeschalcus diaconus, frater Trebata, canonici in Zabrdouicz, et alii quam plurimi. Datum in Bruna anno domini M. CC. LXXXIII. Calendis Decembris.

Ex Annalibus Zábrdowicensibus MSS. in registratura c. r. Gubernii Moravici.

CCXV.

Hermannus et Čeněk, fratres de Přimislaw, conveniunt cum monasterio Zarensi circa metas et limites controversas. Dt. Zar, 1283.

Suboriri solet de gestis hominum multa calumpnia, nisi bonorum uirorum robur adhibeatur, aut scriptura. Quapropter nos *Hermannus* et *Schenko fratres*, dicti *de Przemislabe*, scire facimus vniuersos presentium inspecturos, quod de bona uoluntate et consensu optimo et fauore, et in remedium animarum nostrarum et parentum, ab omni impetitione seu lite, quam ad metas seu terminos monasterii sancte Marie in *Sar* habuimus, cessimus uoluntarie tali pacto: quod eadem ecclesia per nos et nostros successores ac heredes in ipsis metis sine terminis impeti nunquam debeat uel infestari; adiicientes, ubicunque mortui fuerimus, uel ipsis fratribus eiusdem monasterii noster obitus fuerit denuntiatus, iuxta consuetudinem fratrum in ipsa ecclesia eligimus sepeliri. Datum et actum in Saar, anno domini millesimo ducentesimo octuagesimo tercio; presentibus uiris prouidis et discretis, amicis nostris karissimis: dominus Hermannus de Louchtenburch. dominus Gerardus de Obers. Chuno de Chunenstat. et filii sui

Bosco et Bohusius. Hrabisius de Bobrowa, et tres filii sui: Egidius, Scheborius et Nicolaus. Zmylo de Louchtenburch, et Vlricus et Remundus, fratres sui. Witigo de Swabeniz, et duo filii sui: Bosco et Gerhardus Luduicus de Medliz, et alii quam plures fide digni.

Steinbach — II. 34. ex originali.

CCXVI.

Decimae vinearum montium ad Kailing ecclesiae Schatawiensi adjudicantur. Dt. Znoymae, in die b. Agnetis, 1284.

Nos Vlricus, archidiaconus Znoymensis, notum facimus vniuersis, presentes litteras inspecturis, quod in causa, que uertebatur inter uenerabiles uiros, dominum abbatem et conuentum monasterii *Lucensis*, ordinis premonstratensis, ex vna, et discretum uirum Alsichonem militem ex parte altera, super decimis omnium montium circa *Kornich* siue *Howranich*, in nos extitit tanquam in arbitrum seu arbitratorem, siue amicabilem compositorem ab vtraque parte uoluntarie compromissum, ut, quidquid per nos consilio, tractatu ac uoluntate habitis honorabilium uirorum, fratris Martini, gardiani Znoymensis, domini Lupi de Plautz, domini Simonis, prioris Lucensis, domini Ioannis, plebani S. Nicolai in Znoym, determinatum et decisum foret in causa predicta, siue stando siue sedendo, presentibus siue absentibus partibus, in scriptis siue sine scriptis, cum adiectione pene ratum et firmum ab vtraque parte obseruaretur et penitus inconuulsum. Nos igitur in domo fratrum minorum in Znoym ad partem sedentes, cum predictis tanquam sapientibus et consiliariis habita diligenti examinatione et tractatu cause predicte, requisito consilio et habita uoluntate predictorum sapientum, sepe dictam causam in hunc modum decidimus arbitrando, quod omnis decimatio uinearum montium dicte uille cultarum, et de noualibus colendarum ad ecclesiam in *Schattow*, que est monasterii Lucensis, in perpetuum debeat pertinere, ita quod dictus Alsicho a possessione dicte decime ex nunc pro se et suis heredibus debeat cedere facto et iure, et eo ordinante et non impediente de cetero predicta decimatio ecclesie de Schattow tempore uindemiarum in uineis integraliter persoluatur. Preterea ut predictus Alsico seruitiis et meritis ac fidelitate dictis abbati et monasterio ac ecclesie de Schatow obnoxius teneatur, nos de consilio predictorum sapientum arbitraria potestate statuimus, ut dictus abbas et conuentus annis singulis sepe dicto Alsiconi usque ad tempora uite sue, siue quamdiu possessionem antedicte uille Kurnich siue Howranich habebit, de uino decime, si et tantum in montibus circa predictam uillam tunc existat, duas carratas et mediam mensure nunc consuete in montibus siue in uineis prenotate uille tempore uindemiarum ante uineas educto uino soluere teneatur, retenta pro se decima per ipsum Alsiconem duarum uinearum et quartali, quas idem Alsico propriis excolit sumptibus, ad tempora uite sue, uel quamdiu est possessor, ut dictum est, uille predicte, de ipsius abbatis et conuentus gracia speciali, ita quod hec solutio, scilicet duarum carratarum et medie prefatarum, ad heredes siue heredem ipsius Alsiconis non transeat, sed ab ea persoluenda monasterium Lucense prefatum modo predicto sit penitus absolutum. Hec est autem pena, per nos adiecta, ut quecunque partium antedictarum arbitrio prenotato contraire presumpserit, causam suam amittat, et parti stanti arbitrio in quadraginta marcis, et domino Olomucensi episcopo in quadraginta, nobis et consiliariis in quadraginta marcis usualis argenti et ponderis remaneat obligata, ad solutionem ipsius pene et obseruationem predictorum et infradictorum per dominum episcopum siue nos, non obstante, quod iudex uideamur esse in causa nos contingente, per censuram ecclesiasticam compellenda. In cuius rei testimonium nostras litteras una cum predictorum consiliariorum et partium sigillis sigillatas partibus duximus assignandas. Acta sunt hec in Znoym, in domo minorum fratrum. Anno domini M. CC. LXXXIV. in die beate Agnetis uirginis. Presentibus domino Wernhardo, decano Znoymensi. Henrico notario domini episcopi Olomucensis. Gotfrido, scolari domini archidiaconi in consiliis supradictis.

Ex originali ejusdem monasterii Lucensis.

CCXVII.

Nicolaus, dux Opaviensis, concordiam pacis cum civibus Opaviensibus init, eorumque libertates conservare promittit. Datum Opaviae, fer. II. post Palmarum, **1284.**

Cum humane fragilitatis memoria decidat tanquam flos decidens et arescens, necessarium esse iudicatur, ut acta temporis scriptis, testibus et sigillis confirmentur. Nos ergo *Nicolaus* dei gratia *dux Opauie,* fidentes propter imbecillitatem conditionis humane iam quasi toti mundo fidei et charitatis discrepantiam inherere, cuius defectui fama tantis repleta malis a creatoris plasmatione communi sub gyro celi dilatata querelatur, ad nostram terram experimento euidenti alis velocibus cognoscitur euolasse. Nam guerrarum tempestas valida et fluctuatio inundationis stragium, incendiorum et rapinarum nulla fere dissensionis materia preiacente per omnes terre nostre angulos ventillatur, ita quod propter inualescentiam tanti mali dicta terra nostra solitis et consuetis inhabitatoribus siue cultoribus videtur iam esse quasi priuata. Huiusmodi defectum intercipere cupientes cum ciuibus *Oppauiensibus* concordauimus in hunc modum. Quod dicti ciues treugis expirantibus, quas recepimus cum eisdem, nullo medio tempore protectionis recepto refugio, ut in treugarum continetur priuilegio, nobis utpote fideles nostri fideliter adherebunt, ut omnes fideles nostri terre nostre, ministeriales, milites, clientes et ciuitatenses alii nobis obedientes, impulsationem domini ac fratris nostri et dei gratia heredis regni Bohemie et marchionatus Morauie, si quam erga nos habere ceperit, quod non credimus non magis quam alie nostre ciuitates et quilibet nostri fideles animaduertentes vel curantes, sed consilio fidelium nostrorum et aliarum nostrarum ciuitatum regentur, ita quod quicquid idem fideles nostri aggressi fuerint de consilio unanimi, et ipsi Opauienses aggredientur cum eisdem. Nos ergo eorum grauaminibus compatientes et eorum lesionibus ipsis tempore guerrarum per nos ac nostros ipsis illatis satisfacere volentes de gratia speciali fauoris, quo ipsos perpetuo amplecti volumus, presentibus promittimus et spondemus omnem gratiam, libertatem per dominum et fratrem nostrum eisdem ciuibus nostris factam extra et intra muros, ut in eorum continetur priuilegio, salubriter conseruare. Preterea pollicemur puro cordis ex affectu dictam ciuitatem nostram Opauiam atque ciues uniuersos debere iuribus consuetis inuiolabiliter congaudere, que nominatim ad maioris securitatis expressionem in nostro presenti priuilegio manifestari volumus, videlicet monetam, superuenientium mercimoniorum depositionem et curiam nostram et iudicia nostra prouincialia et quelibet iura, cum quibus dicta ciuitas esse constructa memoratur. Item promittimus nullum memoratorum ciuium nisi vero tramite iudicii ac iusticie in ipsa ciuitate Opauia prius eo deuicto velle aliqualiter ledere vel grauare, nullamque opinionem mali propter discordiam inter nos habitam habere volumus nec debemus contra quenquam. Insuper spondemus sepe dictis ciuibus non solum intra muros ciuitatis, sed nec in terminis eiusdem ciuitatis aliquam munitionem velle vel debere construere, edificare vel plantare. Ciues vero, ut eo securius curiam nostram et iudicia nostra cum nostris hominibus habere valeamus, nostris hominibus omnes lesiones ipsis illatas tempore guerre moderne indulgent omnimodis et relaxant. Datum in Opauia anno domini millesimo **CC. LXXXIIII.** feria secunda proxima post diem Palmarum.

Apographum in codice privilegiorum civitatis Opaviensis in museo ibidem — f. 3.

CCXVIII.

Theodericus, episcopus Olomucensis, monasterio Lucensi decimas omnium ecclesiarum ipsius competere pronunciat. Dt. Znoymae, Kal. Julii, **1284.**

In nomine sancte et indiuidue trinitatis. Amen. Theodericus, dei gracia Olomucensis ecclesie episcopus, dilectis in Christo abbati et conuentui monasterii *Lucensis*, premonstratensis ordinis, Olomucensis diocesis, in perpetuum. Porrecta nobis ex parte claritatis uestre pia et deuota supplicatio continebat, quod, cum monasterium uestrum in possessione decimarum plurimarum uillarum a longe retroactis temporibus, qvorum non extat memoria, extitisset, suffultum priuilegio pie recordationis domini Roberti, Olomucensis episcopi, et etiam priuilegio domini Brunonis, successoris eiusdem Roberti, renouantis priuilegium ante dictum predecessorum nostrorum, per que priuilegia iusto titulo et bona fide ad prescriptionem legitimam vos peruenisse dicebatis, prout poteratis testibus fide dignis et idoneis comprobare, et quidam ex testibus senio et ualitudine uidebantur confecti: ne in posterum probationis copia uobis et monasterio uestro subtraheretur, prouidere nobis ex paterna sollicitudine curaremus. Nos igitur religionis feruore et iuris equitate propensius inclinati, uolentes et uestro monasterio et aliis ecclesiis, quod suum est, reddere et conseruare, denunciatione canonice facta uiua uoce plebanis eo tempore ecclesiarum infrascriptarum, quos negotium presens contingere uidebatur, in qvorum presentiam per idoneos testes, uidelicet patrem *Simonem*, quondam abbatem Zaberdouicensem, et patrem Gerlacum, canonicos monasterii uestri, Fridmannum, Iuriconem et Raczconem laicos, in parochia de Lodnicz in ipsa villa *Lodnicz* maiores decimas, in uilla *Odrenouicz* maiores decimas et minores, in parochia de Oleckvicz in ipsa uilla *Oleckuicz*, et in uilla *Schenckouicz* maiores decimas et minores; in *Steckouicz*, autem et *Boroticz* tantum maiores, plebano duorum in Schenckouicz et duorum in Steckouicz laneorum plene decimis competentibus; in parochia de Chatow in ipsa uilla *Chatow*, in *Cleynedorpff*, *Cornick* et *Wnesindorpff* maiores decimas, in uineis omnibus et in agris; in ecclesia de Dyax in ipsa uilla *Dyax* et in *Qvalendorff* maiores decimas; in parochia de *Primeticz* in uilla *Cucharczouicz* maiores; in parochia de *Lukow* in uilla *Scormiericz* maiores, preter duos laneos, qui ad plebanum pertinent pleno iure, et de aliis singulis laneis ipsius uille due metrete; in parochia de Domamil ipsius uille *Domamil* dimidie, et tocius uille *Lutochor* maiores decimas; in parochia de *Rotikil* ibidem de dimidia uilla maiores, quarum etiam ecclesiarum prenotatarum ius patronatus ad uestrum monasterium dignoscitur pertinere; item in parochia de *Wribitz* in uilla *Dlochonocz* maiores, exceptis quatuor modiis minoris mensure, et minoribus decimis, que pertinent ad plebanum; decimas etiam ante ciuitatem *Znoymensem* tam in uineis, quam in agris non ad ecclesiam *s. Nicolai in Znoym*, cuius ius patronatus habetis, sed ad uestrum monasterium cum decimis uillarum, pertinentium ad parochiam Lucensem, a quadraginta annis et ultra, clare et aperte probastis vestrum monasterium percepisse. Cum ex priuilegiis ante tactis bona fides et iustus titulus, et ex dictis testium approbatorum coram nobis legitima prescriptio sit probata, ante dictarum uillarum, ut superius est expressum, decimas uobis et uestro monasterio pronunciamus competere, easdem uobis et ecclesie uestre auctoritate ordinaria perpetuo confirmantes; uolentes nichilominus, ut abbas, qui pro tempore fuerit, impedientes seu contradicentes solutionem decimarum, uobis debitarum, censura ecclesiastica, monitione premissa canonica, auctoritate nostra ualeat coarctare, absolutione ipsorum nobis et nostris successoribus reseruata, sub interminacione anathematis prohibentes, ne plebanorum seu aliorum quispiam ausu temerario presumat superioribus contraire, sed quisque propriis terminis et iuribus expressis superius sit contentus, alioquin indignationem omnipotentis dei sancteque genitricis ipsius Marie ac beati Wencezlai martiris gloriosi se nouerit incursurum. In cuius rei testimonium et robur presentes litteras seu priuilegium fieri iussimus, et nostri ac capituli nostri Olomucensis sigillorum munimine consignari. Actum et datum Znoyme. Anno domini Millesimo Ducentesimo octuagesimo quarto, Kalendis Iulii. Indictione duodecima. Testibus presentibus: Domino Petro Wissegradensis et Cremsiriensis ecclesiarum preposito. domino Friderico Olomucensi, et domino Vlrico Znoymensi archidiaconis. Domino Theoderico custode, Rannozziro, Theconcio et Leone canonicis Olomucensibus, et aliis pluribus fide dignis.

Ex originali ejusdem monasterii.

CCXIX.

Wenceslaus, rex Boemiae, monialibus ad s. Jacobum Olomucii literas binas ab annis 1223. et 1225 confirmat. Dt. Olomucii, V. Kal. Septembris, **1284.**

Wencezlaus dei gracia dominus et heres Boemie et marchionatus Morauie. Ex christiane zelo fidei quam simpliciter sed firmiter profitemur inducti, religioni cuilibet excellencie nostre fauor arridet, utpote unius tendenti finis ad brauium, et honestatis titulum pretendenti; Nouerint igitur vniuersi tam presentis etatis homines quam future presentis tenorem priuilegii inspecturi, quod nos piis ac honestis precaminibus religiosarum dominarum in domo *sancti Iacobi* penes ecclesiam sancti Petri in *Olomucz* domino famulancium, et petencium a nobis, priuilegia progenitorum nostrorum super bonorum donacionibus, et ipsorum libertatibus eisdem dominabus concessa, potestatis nostre plenitudine confirmari, fauorabiliter annuentes, et contenta in ipsis, que coram nobis examinari mandantes, non abolita, non cancellata, nec uiciata inuenimus, de verbo ad uerbum transcribi mandauimus, et primi tenor priuilegii talis erat: *In nomine sancte trinitatis .. Notum sit uniuersis .. Dt. in Brunna VI. Nonas Martii .. 1223. .. (Vide num. CXVIII.)* Secundi vero priuilegii tenor et continencia talis: *In nomine sancte trinitatis et indiuidue vnitatis. Cum principalem deceat honestatem .. dt. in Cralicz, V. Idus Maii ... 1225. (Vide num. CLXIII.)* Nos autem cupientes, vt ea que a nostris progenitoribus sunt ad diuini laudem nominis racionabiliter erogata, robur obtineant firmitatis, predicta priuilegia collaciones bonorum, libertates, exempciones et alias gracias continencia assensus nostri suffragio approbantes, ipsa ex certa nostra sciencia confirmamus. Vniuersis camerariis, purchrauiis, iudicibus, aduocatis, uillicis ceterisque fidelibus suis dantes tenore presentis priuilegii districcius in mandatis ne predictas dominas, bona et homines ipsarum grauare uel molestare presumant, contra libertates et gracias, que superius continentur. In cuius rei testimonium et robur perpetuis temporibus duraturum, presens priuilegium fieri et sigillis nostris mandauimus communiri. Actum et datum in monasterio Gradicensi iuxta Olomucz per manus magistri Welizlaÿ prothonotarii nostri, Pragensis et Wissegradensis ecclesiarum canonici. Anno domini Millesimo CC. octoagesimo quarto. Quinto Kalendas Septembris. Indiccione duodecima.

Ex originali in archivo capituli Olomucensis.

CCXX.

Idem ecclesiae Olomucensi donationem curiae in Břicholjn a vicario Mutiš factam confirmat. Dt. Olomucii, IV. Kalendas Septembris, 1284.

Wenceslaus dei gracia dominus et heres regni Boemie et marchionatus Morauie omnibus in perpetuum. Pio operi benignum prestare assensum et iusticie ratio et honestatis decentia nobis persuadet. Per presens igitur priuilegium noscant tam presentis etatis homines, quam future: Quod constitutus in nostra presencia honorabilis vir dominus Budizlaus decanus

Olomucensis ecclesie exposuit nobis, quod Mutis vicarius Olomucensis ecclesie attendens statum instabilem huius mundi curiam in *Brsuchothyn* ad eum iure successionis et ex debito nature spectantem, de qua tamen vite sue temporibus vsufructum percipiet, ecclesie *Olomucensi* cum agris pratis et vniuersis pertinentiis dedit, contulit atque tradidit perpetuo possidendam sub onere, quod dictus Mutiss in ordinacione sui exprimet testamenti petens humiliter, vt donacionem seu tradicionem factam per eundem Mutiss Olomucensis ecclesie ratam et gratam habentes ipsam confirmare de nostre benignitatis gracia dignaremur. Nos autem peticionibus prefati decani surdas aures accomodare nolentes donacionem, tradicionem et collacionem prefate curie, agrorum, pratorum et attinentium omnium factam ecclesie memorate ratam et gratam habemus, ac eam tenore presentis priuilegii duximus confirmandam, volentes, ut deinceps prenotata curia gaudeat iure, priuilegio, libertate, quibus gaudent et utuntur alia bona ecclesie pretaxate. In quorum ratificacionis et confirmationis nostrarum testimonium et robur perpetuo valiturum presentes literas fieri et sigillis nostris iussimus communiri. Actum et datum in Olomucz per manus magistri Welizlai Pragensis et Wissegradensis canonici, prothonotarii regni nostri. Anno domini MCC. octuagesimo quarto. IIII. Kalendas Septembris duodecime indictionis.

Apographum in codicibus Olomucensibus I. fol. 38. et II. fol. 31.

CCXXI.

Idem monasterio Zarensi jus patronatus ecclesiae in Blučina (Laučice) cedit. Dt. Pragae, VII. Idus Septembris, 1284.

Wencezlaus dei gratia Dominus et Heres Regni Boemie et Marchionatus Morauie. Inter curas continuas quibus aula nostri pectoris estuans agitatur, illud frequenter occurrit, qualiter anime olim Genitoris nostri domini Otakari, Incliti Regis Boemie felicis memorie, accepti ope suffragii succurramus. Set cum nullum tam efficax auxilium, quam elymosinarum largicio et precipue locis religiosis, in quibus pro defunctorum animabus oratur assidue, prestita valeat reperiri, tenore presentis priuilegii notum facimus vniuersis tam istius etatis hominibus quam future, quod nos pro remedio anime predicti patris nostri ius patronatus, quod habuimus uel habere potuimus in Ecclesia *Luchens* Olomucensis dyocesis, Abbati et Conuentui Monasterii de *Sar* et eorum successoribus concessimus perpetuo possidendum. Volentes, ut Abbas et Conuentus dicti Monasterii, quicunque pro tempore fuerint, dictum ius patronatus habeant et possideant perpetuo pacifice et quiete, et in ipsos ex certa scientia nostra ius omne ac dominium, quod habemus uel habere possumus in ipso iure, plenarie transferentes, eiusdem iuris fiant veri domini et legitimi possessores. In cuius rei testimonium et robur firmiter ualiturum presens priuilegium fieri, et sigillis nostris fecimus communiri. Datum Prage per manus Magistri Welizlai Prothonotarii Regni nostri, anno domini Millesimo Ducentesimo Octoagesimo quarto. Septimo Idus Septembris, duodecime Indictionis.

Ex originali cum sigillo admodum laeso in archivo ejusdem monasterii. — Excusum apud Steinbach — II. pag. 36.

CCXXII.

Idem concedit abbati et conventui Gradicensi, ut civitates suas seu villas ferenses munire possint. Dt. in Misenberg, pridie Idus Septembris, **1284.**

Wencezlaus dei gracia Dominus et Heres Regni Boemie, et Marchionatus Morauie. Digne et laudabiliter agere credimus dum religiosa loca, ea maxime, que a nostris progenitoribus de nostro patrimonio sunt creata, eis graciis preuenimus, quibus inimicorum et aliorum malignancium conatibus resistere poterunt, et ipsorum inpetuosa grauamina, et grauia pericula non timere. Per presens igitur priuilegium nouerint vniuersi tam posteri quam presentes, quod nos cupientes vt Monasterium *Gradicense* Premonstratensis ordinis Olomucensis diocesis, quod ex preteritis guerrarum discriminibus in suis possessionibus et iuribus graues sustinuit lesiones, predictas possessiones suas cum hominibus et bonis existentibus in eisdem ab inimicorum insultibus preseruare valeat et in ipsis de cetero tutius se tueri: ad peticionem Capellani nostri dilecti Budissii venerabilis Abbatis eiusdem Monasterii concessimus et concedimus graciose, vt ipse Abbas et suus Conuentus, ciuitates sev villas forenses sui Monasterii videlicet, *Knenicz. Kyiow. Zwitauam. Hranice.* et *Strelnam Abbatis,* in terra nostra Morauia existentes, sepibus, blancis, turribus, fossatis, et aliis municionibus sev munimentis cingere valeant et munire, prout eis ad resistendum inimicorum insultibus videbitur expedire, saluis in omnibus libertatibus et iuribus earundem ciuitatum, que in priuilegiis progenitorum nostrorum ipsi Monasterio concessorum plenius continentur. Nullus ergo nostrorum fidelium predictos Abbatem et Conuentum in predictis ciuitatibus muniendis audeat inpedire, sicut graciam nostram sibi diligit conseruare. In cuius concessionis nostre testimonium et robur firmiter duraturum presens priuilegium fieri et sigillis nostris mandauimus communiri. Datum in Mysemberch per manus Magistri Welizlay Prothonotarii nostri, Pragensis et Wissegradensis Canonici. Anno domini Millesimo CC. Octoagesimo Quarto. Pridie Idus Septembris. Indiccionis duodecime.

Ex originali cum sigillo admodum laeso ejusdem monasterii. — Apographum in Annalibus Gradicensibus MSS.

CCXXIII.

Idem omnia privilegia ejusdem monasterii confirmat. Dt. in Misenberg, pridie Idus Septembris, 1284.

Wenceslaus, dei gracia dominus et heres Boemie et marchionatus Morauie. Honestatis nos inducit equitas, et exigit exigentia rationis, ut ea, que piis locis a nostris progenitoribus in animarum suarum remedium rationabiliter sunt impensa, debeamus ratihabitionis et confirmationis nostre suffragio fauorabiliter confouere. Ea propter notum fieri uolumus vniuersis tam presentibus, quam futuris presentis tenorem priuilegii inspecturis, quod nos precibus dilecti capellani nostri Budissii, uenerabilis abbatis monasterii *Gradicensis,* Premonstratensis ordinis, Olomucensis diocesis, supplicantis nobis humiliter, ut priuilegia quondam Ottacari, illustris regis Boemie quinti, charissimi patris nostri, et aliorum progenitorum nostrorum, Boemie et Morauie principum, ipsi monasterio Gradicensi concessa, et omnia, que continentur in ipsis, rata habere de benignitate solita dignaremur, benignius inclinati eadem priuilegia, sicut uera existunt, et sicut ea, que in ipsis continentur priuilegiis, per predictos patrem et alios progenitores nostros iuste atque rationabiliter sunt impensa, rata et grata habemus, nostreque potestatis plenitudine tenore presentium confirmamus. In cuius ratificationis et confirmationis nostre testimonium et robur perpetuis temporibus valiturum presens priuilegium fieri, et sigillis nostris mandauimus communiri. Actum et datum in Misenberg, per manus magistri Weleslai, prothonotarii nostri, Pragensis et Wissegradensis ecclesiarum canonici. Anno domini millesimo CC. LXXXIV. pridie Idus Septembris. Indictione duodecima.

Apographum in Annalibus Gradicensibus MSS.

CCXXIV.

Theodericus, episcopus Olomucensis, confirmat compositionem litis de decimis ecclesiae in Přibice. Dt. apud Modřice, pridie Idus Octobris, 1284.

Theodericus dei gratia episcopus Olomucensis ecclesie, vniuersis presencium noticiam habituris in perpetuum. Vt ea que racionabiliter aguntur a memoria non excidant posterorum: Noueritis quod nos litteras honorabilium virorum, domini Vlrici Olomucensis ecclesie canonici, nec non magistri Henrici de Vitis canonici Cremsiriensis, sub sigillis ipsorum et domini Iacobi abbatis *Syloensis,* ac domini Hermanni prepositi *Chunicensis,* non cancellatas, non abolitas, nec in aliqua parte sui viciatas vidimus, et diligenter perspeximus per omnia hiis sub verbis: *Vniuersis presentes litteras inspecturis. Vlricus Olomucensis canonicus, et magister Henricus de Vitis Cremsiriensis canonicus, salutem et sinceram in domino caritatem. Noscat vniuersitas vestra, quod super causa decimarum, que verti sperabatur inter honorabilem fratrem Hermannúm dictum Honlo, preceptorem domorum* hospitalis Ierosolimitani *per Boemiam, Poloniam et Morauiam, nomine ordinis sui et plebani ecclesie in* Pribicz, *ex parte vna, et venerabilem virum dominum Hermannum prepositum et conuentum dominarum monasterii* Chunicensis *premonstratensis ordinis Olomucensis diocesis, ex altera, per nos amicabilis composicio intercessit, videlicet vt decima allodii ville* Eywans *ad ecclesiam in Pribicz in futurum plenarie debeat pertinere, decimas vero maiores et minores villarum in* Thopolan, *et* Wranouicz, *exceptis plenis decimis octo laneorum ad prefatum ecclesiam in Pribicz* *racione consuetudinalium decimarum ipsarum villarum in signum reconpensacionis spectantibus, in perpetuum possideat et recipiat monasterium Chunicense, sicut ex antiquo cuius non exstat memoria ipsas asseritur possedisse, hoc adiecto, vt si venerabilis pater noster dominus* ***Theodericus Olomucensis*** *episcopus parrochialibus ecclesiis dari de luneis aliqua capetia pro consuetudinali decima ab aliis monasteriis et religiosis locis sue dyocesis ordinauerit, tunc licitum sit plebanis ecclesie in* ***Pribicz*** *totidem capetia cum minutis decimis de singulis laneis ville* ***Wsetat*** *a* ***Chunicensi*** *preposito postulare. Vt igitur hec amicabilis compositio de cetero rata permaneat, duo instrumenta super hiis eiusdem tenoris fieri fecimus, quorum vnum nostris singulis vna cum sigillo prefati* ***Hermanni*** *preceptoris sigillatum assignauimus preposito* ***Chunicensi****, aliud vero cum nostrorum sigillorum nec non abbatis* ***Syloensis*** *et prenominati prepositi* ***Chunicensis*** *appensione ecclesie in* ***Pribicz*** *fecimus assignari, precipientes, vt hec omnia per dominum* ***Theodericum Olomucensem*** *episcopum debeant confirmari in perpetuum duratura, pena posita viginti quinque marcarum* ***Morauici*** *ponderis et argenti, parti obseruanti hanc ipsam composicionem a parte quocunque tempore non seruante de cetero soluendarum, conpulsione ad hoc prefati episcopi accedente. Acta sunt hec* ***Brunne*** *in ecclesia s.* ***Petri*** *anno domini* ***M. CC. LXXXIIII. VI.*** *Kalendas* ***Maii****, presentibus domino* ***Iacobo*** *preposito de* ***Thusnouicz****, magistro* ***Iohanne Romano*** *canonico* ***Pragensi****, et aliis quam plurimis fide dignis.* Cum igitur nostra intersit finem litibus imponere, et materiam litium ex iniuncti nobis pastoralis officii debito amputare, composicionem prenotatam inter personas predictas, per prefatos viros honorabiles et discretos, rite ac racionabiliter ordinatam, ratam et gratam habentes auctoritate ordinaria confirmamus, confirmacionem nostram tenore presencium munientes sigilli nostri autentico reboratam. Nulli ergo ipsorum liceat hanc nostre confirmacionis paginam infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem eorum hoc attemptare presumpserit, ad pene conotate in predictis litteris tenebitur piaculum, et indignacionem nichilominus omnipotentis dei et nostram se nouerit incursurum. Datum apud **Modricz** per manum magistri **Symonis** notarii nostri, anno domini **M. CC. LXXXIII.** pridie **Idus Octobris. Indictione XIII.**

Ex originali in archivo M. Prioratus Melitensium Pragae.

CCXXV.

Canonici Zábrdowicenses vendunt censum trium hortorum infra muros hospitalis s. Joannis Brunae eidem hospitali. Dt. 1284.

Th. dei gratia abbas totusque conuentus monasterii in *Saberdawiz* ordinis premonstratensis olomucensis diocesis, vniuersis presencium inspectoribus noticiam subscriptorum. Quoniam facile labitur ab hominum memoria, quod testimonio non committitur scriptorum, placuit presentibus intitulare sequencia, ne ea uetustatis obliuio memorie nouerca noticie subrepiat futurorum. Ad perpetuam igitur rei geste memoriam: Nouerint vniuersi tam moderni quam in posterum aduenturi, quod nos non modica nostri monasterii necessitate compulsi, censum de tribus hortis, sitis infra muros *hospitalis s. Iohannis in antiqua Brunna* singulis annis proprietatis iure nobis debitum, reuerendis in Christo viris commendatori et fratribus sacre domus *hospitalis ierosolimitani* ibidem mansitantibus, pro duabus marcis et dimidia argenti, ponderis Brunnensis, traditi et soluti nobis precii, in vtilitatem nostri monasterii, quod presentibus profitemur conuersi, uendidimus et tradidimus, vendimus et tradimus, proprietatis titulo perpetuo libere possidendum. Remittente plane et absolute omni actione quam erga dictos commendatorem et fratres racione census dictorum hortorum in retroactis temporibus neglecti habere aliquatenus poteramus. Renunciantes pro nobis nostrisque successoribus omni legum et iuris auxilio, litteris apostolicis inpetratis et inpetrandis, et generaliter omni actioni et exceptioni, per que prefata vendicio ex persona nostra uel eorum quorumlibet in posterum posset impugnari. In cuius testimonium presens instrumentum desuper confectum nostrorum sigillorum munimine ipsis tradimus sigillatum. Actum in nostro capitulo et datum anno domini M. CC. LXXXIIII. Indiccione duodecima. Testibus presentibus rogatis et inductis. Domino Iacobo preposito in Tuschnowicz. magistro Heinrico de Vitis. Domino Erkelino sacerdote. et aliis personis quam pluribus fide dignis.

Ex originali — ibidem.

CCXXVI.

Theodericus, episcopus Olomucensis, donationem ecclesiae in Olšj monialibus in Daubrawnjk factam confirmat. Dt. in Modřice, XV. Kalendas Martii, **1285.**

Theodericus dei gratia episcopus Olomucensis omnibus in perpetuum. Literam *Demetrii de Buccou*, viri nobilis vidimus per omnia in hec verba: *In nomine sancte et indiuidue trinitatis. Amen. Cum ea, que sunt in tempore, labuntur cum tempore, competit, ut ea, que aguntur, in scripta publica redigantur. Hinc est, quod ego Demetrius de Buccou ob amorem dei principaliter et s. crucis reuerentiam in mee, ac meorum predecessorum animarum remedium domui s. Crucis et conuentui sanctimonialium in* Dubraunik *deo famulantium ius patronatus in* Olsse, *quod ad me solum, exclusis fratribus meis et amicis omnibus, pertinebat et pertinet, confero et contuli liberaliter et libenter perpetuo possidendum. In cuius donationis et collationis mee testimonium et stabile fulcimentum presentem paginam super eo confectam eis contuli sigilli mei munimine roboratam. Acta sunt hec presentibus d. Archlebo dicto de Medlow et domino Milkone de Czenvir. domino Stephano de Pernstein, fratre Gallo, Hermanno de Stiepanow, Iancone de Rozzoh et Bobrone de Bochdanouicz plebanis et aliis pluribus fide dignis. Datum in Dubraunik anno domini MCCLXXXV, indictione XIII. epacta XII. concurrente VII. XV. Kalendas Martii.* Nos itaque cupientes omni, quo valemus, loca religiosa subsidio subleuare, donationem predicti Demetrii commendatam habentes, donationem ipsius prenotatam auctoritate nostra ordinaria confirmamus, confirmationem eandem presentem testimonio roboramus sigilli nostri munimine accedente. Datum in Modricz anno et die et ceteris supradictis.

Ex originali in curia Brunensi; lad. J. 4. — cum sigillis Theoderici episcopi, et Demetrii de Bukow appensis, quorum alterum insignia dominorum de Lomnice obtutui praesentat.

CCXXVII.

Pax et concordia inter Theodericum, episcopum Olomucensem, et Fridericum de Schonburg per arbitros composita. Dt. Brunae, IV. Kal. Augusti, **1285.**

Nos Fridericus de Schonburg iunior generalem diligendo profectum, et ad pacis aspirando presidium sancteque matris Olomucensis ecclesie gremio et gracie venerabilis in Christo patris, domini Theoderici eiusdem ecclesie episcopi reformari volentes, ad consilium discreti viri fratris Gerlachi commendatoris de Nouo Sedlicz domini Hartmanni camerarii Brunnensis, domini Gerhardi subcamerarii Morauie ac aliorum nobilium, propter bonum pacis, super dissensione inter eundem dominum episcopum et nos in preiudicium ecclesie sue in districtu Switauiensi, ut ipse fatetur, pro munitione per nos erecta, per formam arbitrii terminanda conuenimus in hac forma: Ex utraque parte fide data, et manuali accedente promisso, quod pars utraque in presentia domini nostri, domini et heredis regni Boemie et marchionatus Morauie, vbicunque interris suis fuerit constitutus, in die sancte Kunegundis proximo instanti debeat comparere, et a curia ipsius non recedere, donec predicta inter nos dissensio terminetur. Et dominus quidem episcopus pro se et ecclesia sua duos, dominum videlicet Ulricum ecclesie Pragensis prepositum, et dominum Woluramum camerarium suum, Nos vero pro parte nostra dominum Fridericum de Schonburg patrem nostrum, et dominum Perengerum de Meldingen, arbitros, arbitratores sev amicabiles compositores elegimus, ad complanandam dissensionem prefatam in termino supradicto, et quicquid isti quatuor super demolitione castri eiusdem uel statu, et super dampnis vtrique parti factis concorditer decreuerint, observare promittimus data fide stabiliter et constanter, salus eo quod castrum predictum interea, in muro et fossatis non firmari nec meliorari per nos debeat exceptis stuba et tectis, sed in eodem statu, inquo nunc inuentum fuerit permanere. Quod si predicti omnes uel singuli haberi in eodem termino non poterunt alii pro eis ab alterutra vel utraque partium eliguntur. Qui quatuor arbitri sev compositores amicabiles si in vnam concordare non poterunt sententiam, dominum nostrum et dominum heredem regni Boemie et marchionatus Morauie Wenceslaum illustrem, eis superaddimus, et in eum vnanimiter compromittimus bona fide, et ad quamcunque partium ex arbitris prenotatis ipse eorum approbando sentenciam accesserit, eam obseruare promittimus firmiter omni contradictione remota. Quod si forte eidem sentencie et tractatui stare nollemus, ad penam duorum milium marcarum argenti parte aduerse tenebimur persoluendam, et de primo millenario dominum Hartmannum Brunnensem camerarium pro trecentis, dominum Gerhardum subcamerarium Morauie pro trecentis, Milotam de Rathchicz pro quadringentis marcis argenti obligamus per uiam fideiussorie cautionis, pro altero vero millenario nos in persona nostra et dominus Theodericus de Meldingen, dominus Henricus Stange et dominus Johannes de Chepow ciuitatem Brunnam intrabimus obstagii nomine non exituri eandem, donec per nos parti aduerse de predicta mille marcarum argenti pecunia fuerit satisfactum. Si ut prediximus predictorum quatuor arbitrorum vel partis eorum, cui bonus vir dominus videlicet noster prefatus adheserit, non tenuerimus sentenciam sicut promisimus in premissis, pacem preterea cum eodem domino episcopo et suis omnibus seruare promittimus cum effectu. Includentes Milotam de Rathchicz paci predicte, omnes amicos, familiares et adiutores nostros etiam a sua infeudatos ecclesia, qui nobis contra eum auxilii suffragiis affuerunt. Ita quod idem dominus episcopus nullum hostem nostrum nobis nocere volentem in suis et suorum adiutorum sev fautorum munitionibus in nostrum et nostrorum preiudicium decetero debeat obseruare, nec ex ipsis munitionibus nobis uel nostris inferre aliquod offendiculum aut grauamen. Erit igitur inter nos pax stabilis et sincera, et si quod absit nostri homines contra eum uel suos excesserint uel econuerso durante eadem, dominus Hartmannus, et dominus Gerhardus sepius nominati de communi nostro consensu iudices electi, huiusmodi ab utraque parte emergentes iniurias forma iuris et iusticie terminabunt et si ambo adesse non poterunt, alter eorum nichilominus infra dies quatuordecim a die delate sibi querimonie eisdem terminandis euocatis partibus presidebit et decidet easdem. Ceterum eisdem quatuor arbitris et domino et heredi regni Boemie et marchionatus Morauie iniurias et dampna, que dominus episcopus et ecclesia sua a vasallis suis nostris adiutoribus in nostris existentibus seruitiis pertulerunt committimus modo prehabito terminanda eorum in hoc sententie et arbitrio efficaciter pArituri. Placuit etiam parti vtrique, vt fideiussores utriusque partis fideiussorum et testium vicem valeant et debeant optinere. Postremo etiam nolumus, quod propter dissensionem hominum domini episcopi, et nostrorum, si qua inter eos emerserit, compromissum et tractatus noster prenotatus pendente arbitrio retrocedere debeat vel rescindi. Et ut idem tractatus firmiori nitatur robore, et stabilius obseruetur, eidem domino episcopo dedimus presens scriptum sigillorum fratris Gerlachi commendatoris de Nouosedlicz, domini Hartmanni Brunnensis camerarii, domini Gerhardi subcamerarii Morauie, domini Theoderici de Meldingen, Milote de Rathchicz, et nostri proprii ac ciuitatis Brunnensis testimonio roboratum. Testes vero huius ordinationis sunt exclericis, frater Ulricus prior fratrum predicatorum domus Brunnensis, frater Stiborius ordinis sancti Francisci, dominus Wernherus et Theodericus ac thechortius canonici Olomucenses, dominus Henricus de Dubrawnik quondam prepositus, magister Henricus de Vitis. Ex militibus omnes supradicti, necnon Stephanus de Medlow, et Ethlaw, et dominus Rathmirus, Adam et dominus Henricus. Exclientibus dominus Henricus comes de Hukenswald, Zobeherdus marschalcus, et Theodericus de Chernouir et Pribek de Lasan. Ex ciuibus autem, Lutherus, Lutoldus, Henningus, Wernhardus, Ulricus de Menes, Prozimirus et Ditho, ciues Brunnenses, et alii plurimi fide digni. Datum et actum Brunne, anno domini M. CC. LXXXV. IIII. Kalendas Augusti.

Ex originali — cujus sigilla integra servantur, in archivo archiepiscopali Cremsiriensi.

CCXXVIII.

Honorius papa V. monasterium Lucense in protectionem apostolicam suscipit, ejusque possessiones confirmat. Dt. Romae, IV. Idus Novembris,

1285.

Honorius episcopus, seruus seruorum dei. Dilectis filiis . . abbati et conuentui monasterii *Lucensis,* premonstratensis ordinis, Olomucensis diocesis, salutem et apostolicam benedictionem. Cum a nobis petitur, quod iustum est et honestum, tam uigor equitatis quam ordo exigit rationis, ut id per sollicitudinem officii nostri ad debitum perducatur effectum. Ea propter, dilecti in domino filii, uestris iustis postulationibus grato concurrentes assensu, personas uestras et monasterium, in quo diuino estis obsequio mancipati, cum omnibus bonis, que impresentiarum rationabiliter possidetis, aut in futurum iustis modis prestante domino poteritis adipisci sub beati Petri et nostra protectione suscipimus. Decimas quoque, uineas, terras, possessiones, ortos, siluas et alia bona uestra, sicut ea omnia iuste et pacifice possidetis, uobis et eidem monasterio per uos auctoritate apostolica confirmamus, et presentis scripti patrocinio communimus, salua in predictis decimis moderatione concilii generalis. Nulli ergo omnino hominum liceat, hanc paginam nostre confirmationis infringere, uel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attemptare presumpserit, indignationem omnipotentis dei et beatorum Petri et Pauli, apostolorum eius se nouerit incursurum. Datum Rome apud Sanctam Sabinam IIII. Idus Nouembris. Pontificatus nostri Anno Primo.

Originale in archivo ejusdem monasterii servatur.

CCXXIX.

Wenceslaus, rex Boemiae, confert ecclesiae Olomucensi villam Wšechowice in dotem altaris ex voluntate matris suae fundandi. Dt. in Hradec, XIV. Kal. Decembris, 1285.

Wencezlaus dei gracia rex Boemie et marchio Morauie. Regie dignitatis fastigio prerogatum rite factis assentire benigne decet, et hiis precipue, in quibus preclara clarent opera pietatis, eo quod non solum racioni consonum, uerum etiam sit honestum. Huius igitur tenore privilegii nouerint tam presentis etatis homines, quam future, quod olim domina *Chunegundis* inclita regina Boemie et marchionissa Morauie, karissima mater nostra, propter grata et utilia seruitia, que vir discretus magister *Wernherus* venerabilis pragensis et olomucensis canonicus, capellanus noster, sibi ac etiam quondam domino patri nostro prestiterat, villam *Vchechowitz* sitam in districtu Opauiensi cum omnibus iuribus et attinentiis suis dedit et tradidit dicto magistro Wernhero iure proprietatis et domini ad tenendum, habendum et possidendum, alienandum quocunque alienationis modo, et faciendum et disponendum de ipsa libere pro sue arbitrio uoluntatis. Postquam uero dicta domina mater nostra decessit, idem magister

Wernherus utpote vir fidelis eorum post fata non ualens immemor fieri, quos in uita dilectionis sincere studio fuerat ueneratus; et cum extreme necessitatis occasum patientibus fidem occidere non permittens dictam villam cum omnibus et singulis iuribus et attinentiis suis dedit ac tradidit *Olomucensi* ecclesie eo iure, quo sibi dicta domina mater nostra dederat perpetuo possidendum, ita tamen, quod uni ex altaribus in eadem sitis ecclesia, quodcunque dictus magister Wernherus duxerit eligendum, in quo pro animabus dictorum patris et matris nostrorum, nostraque salute, ac ipsius magistri Wernheri anime remedio tres misse celebrentur semper qualibet septimana, dicta villa cum vniuersis et singulis iuribus et attinentiis, quibus dictus magister Wernherus eam possederat, ascribatur et perpetuo sit annexa ab illo, cuicunque dictum altare conlatum fuerit, utifruenda pacifice tempore quolibet et tenenda; nec non et quod ab eodem, qui dictam tenebit villam, canonicis dicte Olomucensis ecclesie in quolibet anniuersario dicte domine matris nostre, si prouentus eiusdem ville pati poterint, prandium ministretur. Si uero pati non poterint, tunc hiis, qui missas in eodem anniuersario celebrauerint, in prefato altari et vicariis dicte ecclesie, qui presentes fuerint, ministrare prandium teneatur. Hoc autem ut sortiretur uires ualide firmitatis prefatus magister Wernherus nobis humiliter supplicauit, quod interuentu nostri consensus confirmare benignius dignaremur. Nos autem id esse pium et racionabile attendentes tam donationem de dicta villa dicto magistro Wernhero factam ab olim domina matre nostra, ut prelibatum est, ratam et gratam habentes, quam dationem seu traditionem per prefatum magistrum Wernherum predicte Olomucensi ecclesie de eadem villa factam et ordinationem suam acceptantes huius tenore priuilegii confirmamus et ualere uolumus perpetuis temporibus et tenere inpetitionem persone cuiuslibet contradictione et molestatione, sicut penam grauem quisque uitare uoluerit, in posterum quiescentibus, et priuilegio, confirmatione seu concessione quibuslibet per nos uel alium quibuscunque personis regularibus seu secularibus prestitis, quod uel quas presenti priuilegio irritamus, non obstantibus aliqua ratione. Adicimus etiam de gracia speciali, quod dicta uilla in omnibus eadem gaudeat libertate, quam habere dinoscuntur ville ac alie possessiones Olomucensis ecclesie pretaxate. In cuius rei testimonium et robur perpetuo ualiturum presens priuilegium fieri, et sigillis nostris fecimus communiri. Datum in Gretz per manus magistri Johannis Sacensis prepositi, prothonotarii Morauie, anno domini millesimo, ducentesimo, octoagesimo, quinto; quartodecimo kalendas Decembris; quartedecime indictionis.

Ex originali cum sigillo attrito in archivo archiepiscopali Cremsiriensi.

CCXXX.

Honorius papa V. praeposito Pragensi mandat compositionem litis inter moniales Cellae s. Mariae et plebanos s. Petri et s. Jacobi Brunae. Dt. Romae, XII. Kalendas Decembris, 1285.

Honorius episcopus seruus seruorum dei. Dilecto filio . . preposito ecclesie Pragensis, salutem et apostolicam benedictionem. Conqueste sunt nobis . . priorissa et conuentus monasterii sancte Marie de Cella ordinis sancti Augustini secundum instituta et sub cura fratrum ordinis predicatorum uiuentes, quod . . sancti *Petri* et . . sancti *Iacobi de Brunna* plebium plebani Olomucensis diocesis, super terris, debitis, possessionibus, domibus, villis, pascuis, vineis, molendinis, nemoribus et rebus aliis iniuriantur eisdem. Quocirca discretioni tue per apostolica scripta mandamus, quatinus partibus conuocatis audias causam et appellatione remota, debito fine decidas, faciens quod decreueris per censuram ecclesiasticam firmiter obseruari. Testes autem qui fuerint nominati si se gratia odio uel timore subtraxerint, censura simili appellatione cessande compellas ueritati testimonium perhibere. Datum Rome apud sanctam Sabinam XII. Kalendas Decembris. Pontificatus nostri anno primo.

Originale in tabulario collegii S. J. Brunensis reconditur.

CCXXXI.

Theodericus, episcopus Olomucensis, arbitrium de fundata in Šardic ecclesia latum confirmat. Dt. Brunae, VIII. Idus Februarii, 1286.

Theodericus, dei gracia episcopus Olomucensis ecclesie, omnibus in perpetuum. Quia, quod rite ac racionabiliter geritur, non decet impedimentis contrariis infirmari, et honorabiles ac discreti viri Andreas, decanus et plebanus in Cheych, cum Theoderico, plebano in Chunicz, ex parte domini *Zobehrdi* de *Sardzicz,* viri nobilis; preterea Rudgerus, plebanus de Gernowicz, et Henricus, clericus de Kyiow, ex parte *Wernheri* plebani de *Mystrzin,* in causa, que inter ipsum ex vna et predictum Zobeherdum ex parte altera super oratorio in *Sardzicz* constructo in eiusdem Wernheri et ecclesie sue preiudicium vertebatur, electi arbitri vnanimiter et concorditer a partibus questionem predictam auctoritate arbitraria iuste et laudabiliter deciderunt in hac forma: Vt ante omnia oratorium predictum in villa Sardzicz fundatum in suo et fundacionis sue robore stabile perseueret et ad consecracionem et sublimacionem ipsius omni remoto scrupulo libere procedatur, et cum consecratum fuerit et nomen ecclesie meruerit obtinere, filia sit ecclesie in Mistrzin predicte et ad eam tamquam ad matrem ecclesiam perpetuo debeat pertinere, plebano in Mistrzin subieccionis et obediencie debitum canonice et omnia, que matri ecclesie debentur in filiali ecclesia, seruatura, ipseque Wernherus et successores eius liberam habeant facultatem in Mistrzin siue in Sardzicz, circa matricem videlicet ecclesiam siue filiam residendi, et ad eam personam ydoneam presentandi, si placuerit sibi circa matricem ecclesiam residere; adicientes, ut predictum oratorium seu ecclesia in Sardicz sepulture ecclesiastice et aliorum sacramentorum exhibendi graciam plenam habeat potestatem. Preterea ut idem nobilis prefate in Sardicz ecclesie unum laneum vicinum eidem cum omnibus iuribus suis et pertinenciis integraliter ante quadragesimam proximam absque plebani predicti grauamine et labore, et unam vineam predicte ville cultam cum integritate et plena libertate in dotem eiusdem ecclesie debeat assignare, que idem plebanus iure dotali pacifice possideat et quiete; amplius, ut quilibet laneus eiusdem ville plebano in Mistrzin quatuor metretas tritici, tres saliginis, et tres auene usualis terre mensure nomine decimarum annis singulis reddere teneatur; predictus vero nobilis dominus Zobeherdus et successores seu heredes ipsius de uniuersis agris in predicta villa Sardicz, quos propriis colit et colet sumptibus et labore ad solucionem plebano in Mistrzin plenarum teneatur annis singulis perpetuo decimarum; pro minori vero decima quilibet laneus ville predicte eidem plebano agnellum vnum et aree siue curticule, que vulgariter hofstat dicuntur, prout proporciantur laneo, quatuor siue plures ad omnia et singula predictorum, ad que laneus astringitur, persoluenda eidem plebano annuatim, secundum quod laneum constituunt, parcialiter perpetuo reddenda teneantur. Ceterum ut omnia instrumenta et munimenta quelibet utrique parti congruencia in causa predicta preter cartam arbitrii seu decreti ipsorum viribus careant, et ut hec tantum arbitrii eorum pagina robur obtineat perpetuum, imposito partibus in eadem causa silencio sempiterno; adhibita nichilominus pena parti non seruanti arbitrium prenotatum, que in nostris patentibus confectis super eo litteris est expressa, prout hec et supradicta omnia, secundum quod in eorum apparet, super hec edito euidencius et plenius instrumento ipsorum arbitrorum sigillis munito secundum ordinem exprimitur. Nos partibus in nostra constitutis presencia et requisitis ac consencientibus ordinacioni ipsorum et arbitrio prenotato eorundem arbitrorum ordinacionem et sentenciam, utpote racionabilem et salubrem, ratam et gratam habentes auctoritate nostra, qua fungimur, ordinaria, confirmamus partibus in eadem causa silencium perpetuum imponentes. Ut autem hec ipsorum ordinacio et sentencia nostraque confirmacio robur perpetue obtineat firmitatis, presens scriptum super eis confici mandauimus, et sigilli nostri munimine roborari. Datum Brunne. Anno domini MCCLXXXVI. VIII. ydus Februarii, per manum magistri Simonis notarii nostri.

E codice Welehradensi MS. saepius citato — fol 88.

CCXXXII.

Idem confirmat monasterio Zarensi literas regis Wenceslai (1284) jus patronatus in Blučina (Laučany) concernentes. Dt. Brunae, Idibus Februarii, 1286.

In nomine domini amen. Theodericus dei gracia episcopus Olomucensis ecclesie, venerabili fratri . . abbati et conuentui monasterii de Sar, Cysterciensis ordinis, Pragensis dyocesis, in perpetuum. Serenissimi principis domini Wenceslai, regis Boemie, ac marchionis Morauie gloriosi litteras et priuilegium, vobis et vestro concessas liberaliter monasterio, non cancellatas, non rasas, non abolitas, nec in aliqua parte sui viciatas, saluis sigillis vidimus, per omnia in hec verba: *Wenceslaus, dei gracia . . . . Dt. Prage, 1284. VII. Idus Septembris . . . (Vide n. CCXXII.)* Et quia cum a nobis quod iustum est petitur et honestum, tam vigor equitatis, quam ordo exigit rationis, vt per sollicitudinem officii nostri debitum fortiatur effectum: Nos vestre deuotionis ratione nitentibus ex debito precibus inclinati tante liberalitatis et gracie domini nostri regis Boemie clarissimi et Morauie marchionis, vobis et monasterio vestro facte affectui generoso pium et gratum prebentes assensum, remedium et donationem ipsius quoad ius patronatus ecclesie in *Luchens* predicte nostri pro debito officii canonice confirmamus, consensum et confirmationem nostros predictos tenore presentium, et sigilli nostri munimine roborantes. Datum Brunne anno domini M. CC. LXXXVI. Idus Februarii, per manum magistri Symonis notarii nostri.

Ex originali ejusdem monasterii.

CCXXXIII.

Idem confirmat dotationem vicariae s. Joannis in ecclesia sua factam testamento vicarii Mutiš. Dt. Brunae, XVI. Kalendas Martii, **1286.**

Theodricus dei gracia episcopus Olomucensis ecclesie. B.(udislaus) decanus. Cy(rus) prepositus. Fri(dericus) archidiaconus totumque capitulum eiusdem ecclesie vniuersis presentem litteram inspecturis volumus esse notum: Quod *Mutysius* dicte nostre ecclesie vicarius, positus in extremis in presentia Lupelli et Ortolfi vicariorum, et magistri Bohumili doctoris scolarium ecclesie nostre, Petri quoque plebani ecclesie sancti Petri et Damiany vicarii eius, ac aliorum proborum virorum clericorum et laycorum de bonis patrimonii sui tale fecit et condidit testamentum sana mente sanoque consilio, ordinans et disponens, vt successorum ipsius quilibet in vicaria capelle sancti *Iohannis* annexe turri ecclesie nostre predicte curiam suam in *Bruchotyn,* quam iure hereditario possidebat, obtinere debeat in perpetuum cum suis vsibus et pertinentiis vniuersis, et per eandem curiam prebenda vicarie predicte recipiat incrementum, ea duntaxat condicione adiecta, ut iidem successores de bonis curie prenotate eidem vicarie a prefato Mutissio superadditis vnum fertonem argenti in die sancti Cyriaci et sociorum eius peragendo anniuersario patris sui dicti Wracen, qui tunc occurrit, ac pro aliis amicis eius ad fratres minores in Olomucz dare teneatur, nec non et alterum fertonem ecclesie nostre vicariis in die sancti Valentini assignandum eisdem ad comemorandum et agendum obitus sui diem, de quo loco prebentatis scolaribus in diuinis existentibus et tres pro vicariis presentibus remanebunt. Que omnia vicarius capelle S. Iohannis successor ipsius Mu(tissii) exequi tenebitur depredictis bonis, nisi eum legittima et manifesta destruccio curie inpediat supradicte, dummodo hoc ex sua negligencia non procedat. Cum igitur vltime voluntatis disposicio sit penitus obseruanda, et sicut piam et racionabilem ordinacionem huiusmodi invenimus, ipsam ratihabicione et assensu nostro duximus confirmandam. Ne vero alicui prorsus hominum dictam ordinacionem et confirmationem nostram liceat ausu temerario infringere, aut alias infirmare, auctoritate nostra ordinaria inhibentes presentes scribi, et sigillo nostro capitulique nostri fecimus in perpetuam memoriam communiri. Datum in Olomucz. Anno domini, M. CC. LXXXVI. XVI. Kalendas Marcii. Quarte decime indicionis.

Ex originali capituli Olomucensis.

CCXXXIV.

Wenceslaus, rex Boemiae et marchio Morariae, confirmat venditionem villae Diwak factam a monasterio Zábrdowicensi monialibus Cellae sanctae Mariae Brunae. Dt. Brunae, XII. Kalendas Martii, **1286.**

Nos Wenceslaus dei gratia rex Bohemie et marchio Morauie. Notum facimus vniuersis presentes literas inspecturis, et tenore presentium protestamur, quod vidimus et audiuimus literas venerandi patris Theodorici, quondam abbatis et conuentus monasterii S. Marie in *Zabardowicz* ordinis Premonstratensium de regula S. Augustini, Olomucensis diocesis, non cancellatas, non abolitas, non rasas, nec in aliqua parte sui vitiatas, et sub sigillis integris ipsorum inter cetera continentes: Quod idem abbas de consensu domini Brunonis episcopi Olomucensis et fauore et de assensu regie maiestatis, de communi etiam fratrum suorum consilio pariter et consensu egestate cogente, qua domus eorum tempore charistie premebatur, villam, que *Diwak* vulgariter appellatur, vendidit sanctimonialibus *Celle S. Marie de Bruna* pro pecunia centum viginti marcarum argenti, quam pecuniam ipsemet abbas et conuentus fatebantur in eisdem literis sibi et suis creditoribus esse integre assignatam, seruata omni solennitate iuris, et consuetudine terre, de consilio etiam nobilium terre coram iudicio prouinciali in Bruna resignauerunt sanctimonialibus eisdem secundum quod iuris actio postulabat perpetuo possidendam. Erant quoque predicte litere tredecim testium subscriptionibus roborate et in presentia domini Ioannis abbatis montis Sion facte. Vidimus quoque et inspeximus literas felicis recordationis, domini Othachari serenissimi regis Bohemie, patris nostri charissimi cum sigillis suis pendentibus et decem testium subscriptionibus, nec non presentia domini Brunonis, venerabilis Olomucensis episcopi roboratas, non vitiatas, non cancellatas, nec in aliqua sui parte abolitas, per quas idem serenissimus pater noster perhibebat testimonium predictorum, et venditionem ipsam gratam habens et ratam ipsius scripti sui patrocinio confirmabat. Item vidimus et inspeximus literas predicti domini Brunonis, venerabilis Olomucensis episcopi non vitiatas, non cancellatas, nec in aliqua sui parte abolitas, tredecim testium subscriptionibus roboratas, necnon et presentia et assensu et corroboratione et confirmatione abbatis de Ztrahow, qui alio nomine dicitur montis Sion inter cetera continentes. Quod cum inedia ingruente fratres monasterii S. Marie virginis in Zabardowicz necessitatibus occuparentur quam plurimis, debitis aliquibus obligati Theodoricus tunc temporis abbas eiusdem cenobii maturo habito consilio, una de consensu et voluntate conuentus sui, de ipsius etiam licentia episcopi et fauore villam quamdam, que dicta est Diwak, cum omni fructu perceptione et utilitate sanctimonialibus S. Marie in Bruna iuste et rationabiliter vendidit cum omnibus iuribus et eam pertinentibus iure perpetuo libere ac pacifice possidendam. Accedente ad hoc etiam consensu predicti serenissimi domini regis Bohemie, patris nostri gratia pariter et fauore. Quam villam prenominate sanctimoniales pro centum et viginti marcis argenti compararunt rationabiliter persoluentes pecuniam numeratam, in qua etiam villa sepe nominata sorores emerunt villicationem, iudicium, tabernas, siluas, pascua cum omnibus, quae ad prefatam pertinent villam possidendas iure perpetuo libere et quiete. In cuius rei testimonium presentes literas, ut eis fides adhibeatur plenior, fecimus sigillorum nostrorum appensione muniri. Actum Brune in castro nostro his testibus presentibus, videlicet fratre Vincentio priore fratrum predicatorum in Bruna, fratre Martino confessore nostro et socio eius, fratre Damiano eiusdem ordinis; necnon presentibus nostris fidelibus domino Zauissio de Falkenstein, Witicone fratre eius, camerario nostro Bohemie, burggrauio Znoymensi, Hartlibo de Dubna seniore, burggrauio Brunensi, Beneda de Trobl, burggrauio de Freymberg, magnificis Weleslao Bohemie, et Ioanne Morauie protonotariis, domino Iacobo presbytero, capellano nostro, plebano in Curim, Matheo de Czernahora, burggrauio in Stenicz, Zachithone de Hwezdlicz, Ernesto filio Hroznate, Pragensis burggrauii, et pluribus aliis clericis et laicis. Datum ibidem per manus prefati magistri Ioannis Satcensis prepositi, protonotarii nostri per Morauiam, anno domini millesimo ducentesimo, octuagesimo sexto. XII. Kalendas Martii, indictione decima quarta.

Ex originali in archivo S. J. Brunensis.

CCXXXV.

Honorius papa IV. monasterium Cellae s. Mariae Brunae in protectionem suscipit et possessiones ipsi confirmat. Dt. Romae, X. Kalendas Martii, **1286.**

Honorius episcopus, seruus seruorum dei. Dilectis in Christo filiabus . . priorisse et conuentui monasterii de *Cella sancte Marie in Brunna,* ordinis sancti Augustini, secundum instituta et sub cura fratrum ordinis predicatorum viuentibus, Olomucensis diocesis, salutem et apostolicam benedictionem. Sacro sancta Romana ecclesia deuotos et humiles filios ex assuete pietatis officio propensius diligere consueuit, et ne prauorum hominum malitiis agitentur, eos tanquam pia mater sue protectionis munimine confouere. Quapropter, dilecte in Christo filie, vestris iustis postulationibus grato concurrentes assensu personas vestras et locum, in quo estis diuino obsequio mancipate, cum omnibus bonis, que impresentiarum rationabiliter possidetis, aut in futurum iustis modis prestante domino poteritis adipisci, sub beati Petri et nostra protectione suscipimus, specialiter autem terras, domos, possessiones, grangias, redditus, prata, siluas, pascua et alia bona vestra, sicut ea omnia iuste possidetis, uobis et per uos uestro monasterio auctoritate apostolica confirmamus, et presentis scripti patrocinio communimus. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostre protectionis et confirmationis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attemptare presumpserit, indignationem omnipotentis dei et beatorum Petri et Pauli, apostolorum eius, se nouerit incursurum. Datum Rome apud sanctam Sabinam. X. Kalendas Martii. Pontificatus nostri anno primo.

Ex originali ibidem.

CCXXXVI.

Idem concedit eidem monasterio, ut bona sororum suarum recipere et retinere valeat. ***Dt. Romae, X. Kalendas Martii,*** **1286.**

Honorius episcopus seruus seruorum dei. Dilectis in Christo filiabus . . priorisse et conuentui monasterii de *Cella S. Marie in Brunna* ordinis sancti Augustini secundum instituta et sub cura fratrum ordinis predicatorum viuentibus, Olomucensis diocesis, salutem et apostolicam benedictionem. Deuotiones uestre precibus benignum impertientes assensum auctoritate vobis presentium indulgemus, ut bona mobilia et immobilia per liberas personas sororum et conuersorum vestrorum ad monasterium vestrum mundi relicta vanitate conuolantium et professionem facientium in eodem iure concessionis vel alio iusto titulo si remansissent in seculo contigissent, et . . tranferre in alios libere potuissent, feudalibus dumtaxat exceptis, petere, recipere et retinere libere valeatis sine iuris preiudicio alieni. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostre concessionis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attemptare presumpserit indignationem omnipotentis dei et beatorum Petri et Pauli apostolorum eius se noverit incursurum. Datum Rome apud sanctam Sabinem, decimo Kalendas. Martii. Pontificatus nostri anno primo.

Ex originali ibidem.

CCXXXVII.

*Wenceslaus, rex **Boemiae** et marchio **Morariae**, assignat d. **Elisabeth**, relictae **Kadolti Orphani**, concambio villam **Tasowice** pro bonis **Mohelno**. Dt. **Brunae**, IV. Kalendas Martii,* **1286.**

Nos Wencezlaus, dei gracia rex Boemie et marchio Morauie, ad notitiam presentium et memoriam deferimus futurorum, quod nos domine *Elizabet vidue quondam vxori Catoldi* dicti *orphani* pro bonis ipsius ***Mohilniche*** cum suis attinentiis villam nostram, ***Tassouicz*** dictam, sitam in prouincia Znoimensi, cum vniuersis attinentiis ipsius nomine concambii assignamus iure hereditario perpetuo possidendam. Prefate domine Elizabet harum testimonio concedentes plenam et liberam facultatem, vt ipsa de predicta villa Tassouicz omni tempore et etiam in extrema voluntate sua ordinare possit vendendo, donando, seu quocunque alio modo alienando ipsam villam iuxta sue beneplacitum voluntatis. In cuius rei testimonium presentes fieri, et sigillorum nostrorum iussimus munimine roborari. Datum Brunne per manus magistri Iohannis, prepositi Saccensis, prothonotarii Morauie. anno domini Millesimo CC. LXXXVI. quarto Kalendas Martii.

Ex originali monasterii s. Clarae Znoymensis.

CCXXXVIII.

*Gerhardus de **Kunstat** et in **Obřan** subjectione facta regi **Wenceslao** fidelitatem promittit. Dt. in castro **Brunensi**, II. Kalendas Martii,* **1286.**

Notum sit omnibus presentes litteras inspecturis quod ego Gerhardus de Obrzan non coactus, sed spontanea et libera voluntate mea, testium subscriptorum in ligno crucis dominice iuramento prestito corporali, domino meo charissimo, domino Wenceziao, inclito regi Boemie et marchioni Morauie, vera fide et intentione non ficta promitto per omne vite mee spatium, seruire eidem fideliter et deuote, ac sibi et mandatis suis semper et ubilibet, omni exceptione postposita, obedire, et nichil contra ipsum, terras et terrigenas ipsius in eorum dampnum et preiudicium per me facere, vel ut fiat per alios procurare. Promitto etiam sub eodem iuramento, castra, ciuitates, villas et alia bona mea, que nunc idem dominus meus rex in sua habet et obtinet potestate, per nullum violentie, fraudis vel alicuius coactionis modum, sed per solam humilem supplicationem meam et amicorum meorum ab eodem domino meo rege repetere et requirere cum bona eius et gratuita voluntate. Item promitto sub iuramento predicto, nullos ex nunc habere vel seruare homines, qui predicto domino meo regi, terris et terrigenis suis aliqua nocumenta inferant publice vel secrete. Quodsi contra eadem promissa mea quocunque tempore venero, vel aliquid contra predicta promissa in parte fecero vel in totum, ita, quod de iis, que fecero, vel de quibus predicto domino meo accusatus fuero, me coram eo non potero rationabiliter mediante iustitia expurgare, vel si tales habuero homines, a quibus domino meo regi vel alicui ex ipsius terrigenis nocumentum aliquod inferretur, et ego requisitus per eundem dominum regem illos meos homines in primo, secundo vel tertio termino coram ipso domino rege vel beneficariis eius noluero vel non potero statuere, omnibus de ipsis querelari volentibus responsuros, tunc statim periurus ero, et violator fidei ab omnibus perpetuo reputabor, et insuper castris meis, ciuitatibus, villis et omnibus aliis bonis meis, tam eis, que predictus dominus meus, rex Boemie, in sua nunc obtinet potestate, quam illis, que ego teneo, et mea habeo potestate, et omni iure, quod habeo et habiturus sum in castris, ciuitatibus, villis et bonis meis omnibus supradictis, ex nunc, prout ex tunc, ipso facto tenore presentium pronuntio me priuatum, et volo, ut ad eundem dominum regem et ipsius heredes predicta castra cum ciuitatibus et bonis meis omnibus, tanquam de iure et rationabiliter confiscata, omni exceptione, que mihi contra predicta vel aliquod predictorum suffragari posset, omnia postposita deuoluantur, ad me et heredes meos nullo unquam tempore reditura. Acta sunt hec in castro Brunnensi coram hiis testibus, videlicet: domino Nicolao, duce Opauie illustre. domino Zauissio de Falkenstayn. domino Beneda de Trebl, purchrauio in Phreymperch. domino Bohuzlao de Bor, camerario Pylznensi. domino Hartmanno de Holnstayn, camerario Brunensi. Cunone de Cunstat, patruo meo. Milota de Deditz. Habrissio de Bobrowa. Witicone de Vppa. Mattheo de Chernahora, camerario Pracowiensi. Henrico de Brandiz. Stephano de Medlow. Stephano Vngaro de Zadek. Cerhone de Crazawicz, et pluribus aliis Boemis nobilibus et Morauis. Ad maiorem autem omnium predictorum firmitatem et ad euidens testimonium eorundem predicto domino meo regi presentes dedi litteras, sigillorum subscriptorum testium et mei proprii munimine communitas. Datum ibidem anno M. CC. LXXXVI. II. Kalendas Martii.

Originale cum 15 sigillis pendentibus in archivo c. r. aulico Vindobonae.

CCXXXIX.

Decisione judicii provincialis pars villae Těšelice monasterio Gradicensi adjudicatur. Dt. Olomucii, VIII. Idus Martii, 1286.

Nos Albertus de Sternberg, purgrauius Olomucensis, et Predborius de Boleluce, iudex, et Woyslaus, uillicus domini regis in Olomucensi prouincia, uniuersis presentis scripti tenorem inspecturis constare volumus, et de gestis infrascriptis rationabili testimonio protestamur: quod nobis anno domini M. CC. LXXXVI. sexto Idus Februarii presidentibus iudicio prouinciali in castro Olomucensi, causarum materias fine debito dirimentes, in causa, que inter uenerabilem dominum Budis, *Gradicensem* abbatem, ex parte una, et Boleslaum de Sennicze uxoris sue Iudithe nomine, et Mattheum de Wetenniczicz uxoris sue Bolcze nomine, et filiarum Chaste de Chrelow, super parte uille in *Tiesseticz,* quam dictus Chasta diutius possederat et quietus, et quam sibi dominus abbas dictus ex testamento ipsius Cszaste constituti in ultima uoluntate uendicabat, ex parte altera, uertebatur, lite inter nos legitime contestata, dominus abbas predictus, cum testes idoneos, uidelicet Henricum de Mezerzicz, et Rywinum de Lypnan, et Pardussonem, filium Pardussonis de Horka, nobiles, ad sue intentionis prosequendum effectum in iudicio statuisset, predicti testes minime uacillantes in suo testimonio adstruebant, quod ipsis ex certa constaret scientia quod, quando dominus Scasta in sue esset decumbens lecto egritudinis, in quo iubente domino diem clausit extremum, partem suam uille in Tiesseticz totam cum omnibus attinentiis, tribus duntaxat exceptis laneis, qui prius, per eum alienati fuerant, monasterio Gradicensi pro remedio anime sue perpetuo titulo libere et absolute condonauerit. Cum uero dicti testes omnia, que testati fuerant, ante crucem constituti secundum ius terre, uera esse parati essent adstruere iuramento, Boleslaus et Mattheus predicti, quibus ipsorum uxores iam dicte in priori iudicio protestate in omnem euentum in causa pretacta et in integrum commiserant uices suas, per aduocatum ipsorum, dominum Cogiatam de Drnouicz, sponte omni iuri ac actioni cesserunt, et liti renuntiantes omni iuri, si quod ipsis in causa predicta competere uideretur, partem uille illius totam, pro qua inter eos controuersia mota fuit, in manus abbatis predicti sine contradictione qualibet resignarunt. Demum uero assidente nobis domino Onssone, camerario Olomucensi, anno predicto octauo idus Martii uxores dictorum Boleslai et Matthei, nobilium prefatorum, constitute in iudicio in castro Olomucensi protulerunt per aduocatum ipsarum, Pardussonem de Horka, se ratum et gratum habituras, quidquid in priori iudicio per ipsarum maritos, accedente voluntate sua spontanea, fuerit factum. Preterea dominus abbas prefatus, affectuosa pietatis misericordia inclinatus, uxori Boleslai et uxori Matthei predictis partem uille predicte Tiesseticz iudiciali auctoritate quoad uitam ipsarum cum omnibus suis pertinentiis concessit possidendam, ita ut, postquam vna ipsarum sublata fuerit de medio, pars, quam defuncta possederat, ad ecclesiam Gradicensem cum omnibus seminibus, equis, pecoribus, et ceteris animalibus, et omni vtilitate libere reuertatur. Eandem censuram de reliqua parte decreuit haberi, postquam diuino examini fuerit deputata, ita quod ipsarum mariti presentes uel futuri, uel ipsarum heredes, ipsis mulieribus defunctis, nihil omnino in eadem hereditate sibi iuris ualeant usurpare. Ut igitur hec acta imposterum a calumpnia et controuersia ualeant uindicari, ea sigillis nostris et honorabilium uirorum, domini Cyri, prepositi Olomucensis, et magistri Wernheri, eiusdem ecclesie canonici, abbatis predicti et conuentus ecclesie Gradicensis, Boleslai predicti de Sennicze fecimus communiri, et sigillum dicti Matthei presentibus est appensum.

Apographum in Annalibus Gradicensibus MSS.

CCXL.

Wenceslaus, rex Boemiae et marchio Moraviae, donat Heinrico, capellano et medico suo, bona in Powel juxta Olomucium. Dt. Brunae, V. Idus Martii, 1286.

Wencezlaus dei gracia rex Boemie, et marchio Morauie; Medicine scientia pro mortalium commodo diuinitus destinata, principibus esse tanto debet acceptior, quanto dator ipsius percipitur in doni largitione benignior, et per eam sospitas, qua res nulla gratior, potest certius et diucius preseruari. Huius autem peritum scientie uelut incolumitatis et leticie seruatorem primitus acquirere, acquisitum diligere, dilectum donare muneribus, et honoribus debet rex quilibet decorare. Hac ergo ratione commoniti honorabili viro magistro *Henrico,* capellano et medico nostro, bona omnia in *Powel* iuxta ciuitatem nostram Olomucensem cum agris cultis et incultis, pratis, pascuis, rubetis, aquis, aquarum decursibus, molendinis, edificiis et omnibus et singulis attinentiis et iuribus eorundem concessimus perpetuo libere possidenda: dantes eidem magistro Henrico plenam et liberam facultatem locandi et committendi ea, cuicunque sibi placuerit, obieccione uel contradiccione qualibet non obstante. Quinimo illum, cuicumque dicta bona commiserit seu locauerit, esse uolumus et tenere sub defensione nostri culminis speciali. Eximimus quoque dicta bona cum omnibus attinentiis et iuribus suprascriptis a potestate seu iurisdictione iudicis prouincialis, purchrauii et villici Olomucensium et alterius cuiuslibet officialis Morauie, collectorum vel exactorum, tam presentium quam etiam futurorum, mandantes eis tenore presentium firmiter et precise, quatenus cum dictis bonis uel cum dicto magistro Henrico, uel illo, cuicumque commiserit seu locauerit ipsa, nichil disponere habeant, sed ea permittant et eos ab omni iurisdictione ac seruitute et uexatione qualibet libere ac pacifice permanere. Nullus ergo subditorum, cuiuscumque conditionis exstiterit, presentem nostram concessionom in aliquo uiolare presumat. Siquis autem contrarium fecerit, preter indignationem nostram, quam ipso facto incurrisse se nouerit, pene, quam de ipso mediante iusticia dictauerimus, subiacebit. In cuius rei testimonium et robur firmiter ualiturum presens priuilegium fieri, et sigillis nostris fecimus communiri. Datum Brunne per manus magistri Iohannis prepositi Sachensis, prothonotarii Morauie Anno domini Millesimo, ducentesimo, octoagesimo, Sexto. Quinto Idus Marcii. Quartedecime indiccionis.

Ex originali capituli Olomucensis. — Apographum etiam in codicibus Olomuc. I. f. 34. et Cremsiriensi D. VIII.

CCXLI.

Theodericus, episcopus Olomucensis, confirmat emtionem duorum laneorum in Kurdĕgow monasterio Zábrdowicensi factam. Dt. Brunae, XVI. Kalendas Aprilis, 1286.

Theodoricus, dei gratia episcopus Olomucensis ecclesie, omnibus in perpetuum. Constituti in nostra presentia Brune in domo plebani de monte S. Petri, Leo et Cadoldus fratres de Polehradicz, iuuenes nobiles et honesti, coram pluribus probis viris clericis et laicis, ad hoc vocatis et rogatis testibus, fuerunt manifeste confessi et protestati, hoc cuiuis asserendo, quod ipsi domino Theoderico, venerabili abbati et conuentui canonicorum regularium, Premonstratensis ordinis, ecclesie *Zabrdouicensis,* nostre diocesis, duos laneos in villa *Curdieiow* in monte vinearum cum suis vsibus et pertinentiis vniuersis ad ipsos iure pertinentibus hereditario, pro quinquaginta marcis argenti puri, non examinati, vendiderunt eis Zabrdouicensibus perpetua libertate ac hereditarie possidendas; petiuerunt etiam humiliter ac instanter hanc venditionem ipsorum predictorum literarum nostrarum et sigilli testimonio dignaremur sempiterne memorie commendare. Nos itaque tam venerabilis fratris nostri abbatis et conuentus ipsius, quam eorundem Leonis et Cadoldi precibus inclinati testamur, quod inter eos contractus pernotatus sane, concorditer ac rationabiliter extiterit celebratus, et quod iidem, Leo videlicet et Cadoldus, predictis abbati et conuentui cessione laneorum et montis prefatorum coram nobis facta possessionem assignauerunt publice corporalem, ad amplioris notitie abundantiam et cautelam contractorum, etiam venditionem predictam inter eos habitam, auctoritate, qua fungimur, ordinaria confirmantes. Testes vero huius venditionis, seu contractus fuerunt et sunt: Domini Cyrus prepositus, Fridericus archidiaconus, et Leo canonicus Olomucensis ecclesie; milites vero domini Wolvramus, camerarius noster, Otaslaus de Hoeschicz (?), Iacobus de Diuicz, Laurentius et Lupus de Plauch, Chasta, et Borzuta de Gizcricz (?); famuli preterea Iaroslaus de Knenicz, Wseborius, et Zwoyse de Raicz, et alii quam plurimi fide digni. In cuius venditionis, protestationis, et cessionis ipsorum, ac confirmationis nostre testimonium et robur perpetuo valiturum presens scriptum confici mandauimus, nostri et dominorum Cyri prepositi, et Friderici archidiaconi Olomucensis sigillorum munimine roboratum. Datum Brune per manum Simonis, notarii nostri. Anno domini **M. CC. L. XXX.** sexto, **XVI.** Kalendas Aprilis; indictione **XIIII.**

Apographum in Annalibus MSS. ejusdem monasterii.

CCXLII.

Wenceslaus, rex Boemiae et marchio Moraviae, fundat in ecclesia Olomucensi canonicatum cum prebenda in Powel. Dt. Brunae, XII. Kalendas Aprilis, **1286.**

Wencezlaus, dei gracia rex Boemie et marchio Moranie. Parcere parentibus, dum viuunt et preeminent, ac honoris impendere filialis obsequium satis utique late claret, ac iam defunctis piis adesse suffragiis, et honorabilis ope subsidii subuenire latius elucescit, eo, quod plus claritatis habeat opus pietatis in libero, quam reuerentie debitum in subiecto. Cupientes igitur ea facere, que fere non luminis preradiant potioris, pro salute animarum olim domini Othakari, incliti regis Boemie, et marchionis Morauie, karissimi patris nostri, et domine Chunegundis, inclite regine Boemie et marchionisse Morauie, matris nostre, omnia bona in *Poſla* iuxta ciuitatem Olomucensem cum pratis pascuis, aquis, aquarum decursibus, piscationibus, molendinis, edificiis, agris cultis et incultis, et vniuersis et singulis iuribus et attinentiis eorundem libera, et a quolibet seruitutis genere penitus absoluta ecclesie *Olomucensi,* decano, preposito, custodi totique ipsius ecclesie Olomucensis capitulo dedimus ex nostra certa scientia, et fecimus assignari, ita tamen, quod de prefatis bonis iidem decanus, prepositus, custos, totumque predicte Olomucensis ecclesie capitulum forment vnam prebendam, et ipsam dilecto phisico et capellano nostro, magistro Heinrico, quem nunc ipsis ad eamdem tenore presencium presentamus, conferant, et ipsum in prefata ecclesia in suum concanonicum et confratrem recipiant, sibique vocem in capitulo et stallum in choro assignent et prebeant, tarditate atque difficultate quibuslibet procul motis; nec non et, quod post ipsius magistri Heinrici decessum prefati decanus, prepositus, custos totumque capitulum Olomucense et ipsorum successores illi quemcunque nos vel nostri successores eis ad prefatam prebendam duxerimus presentandum, ipsam prebendam conferant, eumque in canonicum et confratrem in predicta ecclesia recipiant, sibique stallum in choro et vocem in capitulo assignent et prebeant sine difficultate qualibet ac eciam tarditate, et pro animabus dictorum patris et matris nostrorum vna cum eodem orare frequenter debeant, et in die anniuersarii eorundem patris et matris nostrorum in eadem ecclesia missarum sollempnia celebrare; et quoniam volumus, quod predicta bona plene atque perpetue sollacio gaudeant libertatis, presentis tenore priuilegii eadem a qualibet iurisdiccione seu potestate villicorum, iudicum prouincialium, collectorum generalis vel specialis, collecte, steure, camerariorum, et quolibet officialium, quocunque censeantur nomine, atque nobilium et ciuium tam presencium quam etiam futurorum eximimus de nostre plenitudine potestatis, et statuimus, vt omni omnino libertate fruantur, qua fruuntur et frui debent bona et prebende ecclesie pretaxate. Specialiter autem omnem obligacionem omnemque contractum, quibus per aliquem camerarium, villicum, iudicem prouincialem vel alium quemcumque alicui ciui vel alteri cuilibet dicta bona vel eorum pars aliqua quocunque tempore vel quocumque modo vel tytulo fuerint vel dicuntur forsitan obligata, locata vel alienata, tenore presentis, priuilegii similiter de nostre potestatis plenitudine annichilamus, rescindimus, irritamus, et omni penitus carere firmitate volumus et vigore, priuilegio seu rescripto quondam dicti domini patris nostri, nostro vel alterius cuiuslibet, quod super obligacione vel huiusmodi obtentum fuisse dicetur vel ostendetur, quod per presens priuilegium nullas vires penitus in iudicio vel extra volumus obtinere, sed debere fore cassum et friuolum decernimus, quiescente et contradictione cuiuslibet, cuiuscumque condicionis existat, aliquatinus non obstante vniuersis et singulis iudicibus prouincialibus, camerario sub nostro regimine morantibus, cuiuscumque condicionis fuerint, presencium tenore dantes expressius in mandatis, vt dicta bona in Posla vel possessorem ipsorum intoto vel inparte villicis generalis vel specialis collecte seu steure collectoribus, et quibuslibet aliis officialibus, quocumque censeantur nomine, baronibus, clientibus, claustralibus, ciuibus, et vniuersis et singulis sub nostro regimine, vt predictum est, constitutis seu morantibus, cuiuscumque condicionis fuerint, in iudicio vel extra in petere, molestare vel grauare aliquatinus non presumant, sed ipsa ipsorumque possessorem manere permittant pacifice et quiete. Si quis autem in tantam proruperit temeritatis audaciam, vt contra presens mandatum nostrum quicquam audeat attemptare, presenti edicimus priuilegio, quod in quinque marcis auri mulcte nomine nostre camere puniatur, et insuper indignacionem nostram ipso facto se nouerit incurrisse. Et ne de predictis aliqua possit inposterum dubietas exoriri, presens priuilegium fieri, et sigillis nostris et reuerendi in christo patris, domini Theoderici, venerabilis Olomucensis episcopi, cuius predictis omnibus et singulis plenus et ratus accessit consensus, et ad perpetue firmitatis robur muniri fecimus ad integre testimonium ueritatis. Datum Brunne per manus magistri Iohannis, Sacensis prepositi, prothonotarii Morauie. Anno domini millesimo ducentesimo octoagesimo sexto; XII. Kalendas Aprilis.

Apographum in codicibus saepius allatis, Olomucensi videlicet I. fol. 33., et Cremsiriensi D. IV.

CCXLIII.

Idem confert monialibus Cellae s. Mariae Brunae villam Soběšice.
Dt. Brunae, IV. Nonas Aprilis, 1286.

Wenceslaus, dei gratia rex Bohemie et marchio Morauie. Plurimum nobis cedere putamus ad gloriam, si de regie benignitatis clementia nostre preeminentie celsitudo honorabilium personarum desideriis condescendens ipsarum petitionibus oculo gratie fauoralis arridet, et illas precipue preces exaudit, per quas et apud homines laudum preconio munificentia regalis attolitur, et apud Deum retributionis premium promeretur. Inde est, quod nos presentis tenore priuilegii ad notitiam presentium et memoriam deferimus futurorum, quod nos reuerendi patris, fratris Sdizlai prioris prouincialis fratrum predicatorum per Bohemiam, Poloniam et Morauiam deuotis precipus inclinati ob reuerentiam beate virginis patrone ecclesie et monasterii dominarum ordinis fratrum predicatorum in *Bruna* et dilectionem, qua ipsum ordinem prosequimur, et specialiter ob remedium animarum patris nostri et matris nostre villâm nostram *Sobesiczi,* habentem in se duodecim laneos cum agris, siluis, pratis, et ceteris attinentiis suis, eidem monasterio dominarum in Bruna ex certa nostra scientia conferimus de gratia speciali iure proprietatis perpetuo possidendam, vniuersis officialibus, siue villicis nostris dantes districtius in mandatis, vt predictas dominas monasterii prefati in possessione, et bonis predicte ville non presumant aliqualiter molestare, sicut indignationem nostram grauem diligunt euitare. In cuius collationis nostre testimonium et robur perpetuo duraturum presentes fieri et sigillorum nostrorùm iussimus munimine roborari. Datum Brune per manus magistri Iohannis prepositi Satcensis, protonotarii Morauie. Anno domini MCCLXXXVI. IV. Nonas Aprilis, Indictionis XIV.

Originale in archivo c. r. aulico Vindobonae asservatur.

CCXLIV.

Nicolaus, dux Opaviae, privilegia a progenitoribus suis monasterio Gradicensi, concessa confirmat. Dt. Opaviae, VI. Idus Junii, **1286.**

Nicolaus, dei gratia Opauie dux. Honestatis nos inducit equitas, et exigit exigentia rationis, ut ea, que piis locis a nostris progenitoribus in animarum suarum remedium rationabiliter sunt impensa, debeamus ratihabitionis et confirmationis nostre suffragio fauorabiliter confouere. Eapropter notum fieri uolumus vniuersis tam presentibus, quam futuris presentis tenorem priuilegii perspecturis, quod nos precibus dilecti capellani nostri Budissii, venerabilis abbatis monasterii *Gradicensis,* ordinis premonstratensis, Olomucensis diocesis, supplicantis nobis humiliter, ut priuilegia quondam Ottacari, illustris regis Boemie quinti, charissimi patris nostri, et aliorum progenitorum nostrorum, Boemie et Morauie principum, ipsi monasterio Gradicensi concessa, et omnia, que continentur in ipsis, rata habere de benignitate solita dignaremur, benignius inclinati, eadem privilegia, sicut uera existunt, et sicut ea, que in eis continentur priuilegiis, per predictos patrem et alios progenitores nostros iuste atque rationabiliter sunt impensa, rata et grata habemus, nostreque potestatis plenitudine ea innouantes tenore presentium confirmamus in eis, que ad nos spectant, et in ipsis terminis, qui ad nostre dominium pertinent potestatis. Ad hoc etiam predicto domino abbati et successoribus suis in eodem monasterio indulsimus, concedentes, quod ipsi aut eorum uicarius possint et debeant uias inhibere et defendere interdictas in eius sexta hebdomada thelonei in *Hradecz,* eadem auctoritate et iure, quemadmodum nostri beneficiarii siue thelonearii in ipso Hradecz easdem uias prohibent et defendunt, que hebdomada in prehabitorum predecessorum nostrorum priuilegiis eidem monasterio Gradicensi donationis titulo est expressa. In cuius ratihabitionis et confirmationis nostre testimonium et robur perpetuis temporibus ualiturum presens priuilegium fieri, et sigillo nostro mandauimus communiri. Actum et Datum in Opauia per manus magistri Wenceslai, prothonotarii nostri. Anno domini M. CC. LXXXVI., sexto. Idus Iunii.

Apographum in Annalibus MSS. ejusdem monasterii.

CCXLV.

Elocatio curiae in villa Towěř a monasterio Gradicensi facta. Dt. 26. Junii 1286.

In nomini domini amen. Quoniam mater uirtutum, que est discretio, hortatur pie religionis affectum exhibere iis, qui ampliori gratitudine amplecti debent, et seruitia gratis impensa ea, qua fieri potest, opera premiari, ut sic ad alios egregios actus inuitentur alii per exempla: ideo nos *Budis,* miseratione diuina abbas *Gradicensis,* et eiusdem monasterii conuentus constare uolumus christiane religionis professoribus vniuersis, quod nos unanimi uoluntate et patris abbatis interueniente assensu, medietatem nostre curie, horti et prati in *Towirz* ad predictam curiam spectantem, quam nobis domina Sabina, relicta Nezamisl recordationis beate, legauit constituta in ultima uoluntate, Tirbardo, ciui Olomucensi, ob suorum obsequiorum merita, que sibi nostra ecclesia cognouit plurimum profutura, sueque uxori presenti et filio Vigando clerico, plebano de Theinicz, quoad uitam tantum concessimus, et huiusmodi titulo condonamus, quatenus, postquam predictarum personarum ultima sublata fuerit de medio, et diem clauserit extremum, agri predicte curie, quos concessimus sibi cum hyemalibus et estiualibus seminibus, horto et prato dictis, ad ecclesiam nostram iure hereditario et perpetuo titulo reuertantur; ita etiam, ut de bonis predictis sibi concessis nobis annis singulis in die purificationis beate Marie uirginis fertonem argenti puri, in quocunque statu terra fuerit, et in omni euentu soluere teneatur, ut de hoc anime dicte domine Sabine, que nobis predicta bona ardenti feruore deuotius donauit, annua memoria celebretur. Alioquin si nonnulla predictarum personarum inuenta fuerit in solutione dicte pecunie temeraria uel rebellis in tempore sibi assignato, exinde liceat nostro nuntio in dicta curia pro duplo pignora occupare. Licitum sibi sit, de sylua nostra, ubi forestarius sibi locum ostenderit, ligna pro restauratione predicte curie et ad comburendum in eadem recipere, quantum indigentia postulauerit moderata, alias uero ligna deducendi alio de dicta curia sit penitus adempta facultas. Ut igitur beneficia, que ipsis bona fide impendimus, ad perfidiam minime trahi possint, et ne in futuro a calumpnia gubernentur, ea nostris sigillis voluimus communiri. Datum anno incarnationis dominice M. CC. LXXXVI. in die sanctorum Iohannis et Pauli.

Apographum ibidem.

CCXLVI.

Wenceslaus, rex Boemiae et marchio Moraviae, libertates, jura et possessiones monialibus Cellae s. Mariae Brunae ab avo et a patre suo concessas confirmat. Dt. Brunae, 25. Decembris, 1286.

Wenceslaus, dei gratia rex Bohemie et marchio Morauie. Cum religiosorum vota pie iusteque regnantis fauor prosequitur, tunc thronus etiam potissime stabilitur, eo quod illi deo, qui solus regum solia debilitat et confirmat, pietatis opus atque iusticie tanto fit acceptius, quanto illos, in quos exercetur, utpote sibi sub rigore strictioris habitus famulantes reputat chariores. Huius igitur tenore priuilegii nouerint vniuersi tam presentis etatis homines, quam future, quod priorissa et conuentus dominarum ordinis predicatorum in monasterio, quod *Cella S. Marie* vocatur, sito in ciuitate *Bruna* deo famulantium, nobis humiliter supplicarunt, quod gratias et libertates, quibus dictum monasterium, et dominas, quecunque in eodem pro tempore fuerint, olim inclitus dominus Wenceslaus, inclytus rex Bohemie et marchio Morauie, auus noster donauerat, et quas deinde dominus Ottakarus, quondam pater noster confirmauerat, nos ratas habere, atque confirmare benignius dignaremur. Earum autem gratiarum et libertatum in priuilegio dicti domini patris nostri non abolito, non abraso, non cancellato, nec in aliqua sui parte vitiato, sed in prima, et vera sui figura persistente, coram nobis lecto et examinato contentarum, tenor erat huiusmodi, siue forma: Quod fundum, seu locum, in quo prefatum monasterium est constructum, dictus dominus auus noster certis distinctum limitibus predictis dominabus dedit, et quod omnes possessiones, tam habitas, quam habendas in Morauia sitas cum hominibus in eisdem degentibus ab omni genere tributorum, vectigalium, collectarum, aliarumque omnium exactionum, et naroch, quod vocatur accusatio, et a iuribus montium, que vulgariter Berg-Recht appellantur, et ab omni vexatione telonei liberos reddidit, et immunes, adiiciens, ut nullus pro castrorum edificatione, seu vallorum effossione, siue pro aliqua ingruenti expeditione inquietare audeat homines monasterii antedicti; ius etiam, seu penam, quod vel que datur, vel dari consueuit pro capite, vel fure, seu pro Zwod principi, vel eius beneficiariis dicto monasterio de hominibus ad ipsum spectantibus concessit percipiendam perpetuo, contradictione beneficiariorum vel alicuius alterius non obstante. Si autem aliquis homo dicti monasterii vel in bonis dicti monasterii residens in furto capietur, et de furto coram iudicio conuincetur, bona ipsius omnia cedant monasterio predicto, et ipse, secundum quod principi vel beneficiariis placuerit, puniatur; pro aliis vero causis quibus libet, si in iudicio culpabilis inuentus fuerit homo aliquis monasterii antedicti, de illo, in quo pro eadem culpa condemnabitur, nihil principi, iudicibus, vel hominibus curie ipsius, seu beneficiariis dabitur, sed totum cedet monasterio pretaxato, nisi quantum de eodem aduersario satisfiet. Adiecit insuper dictus dominus auus noster, quod nullus, cuiuscunque conditionis existat, de hortis in *Bruna,* pronentibus eorumdem, de omnibus, que in *Cunegesfeld* arando, vel alias laborando colunt, de duobus laneis in *Meneys,* duobus in *Bohorlicz,* decimam, censum, vel steuram de syluis, pratis, pascuis, molendinis et aliis quibuslibet audeat seu valeat extorquere, seu dictam libertatem infringere, vel in aliquo immutare. Quas quidem libertates et gratias dictus dominus pater noster, ratas habens et gratas, suo, de quo prediximus, priuilegio confirmauit et de abundantiori gratia ipsas dominas et monasterium prefatum in suam protectionem recipiens statuit, quod ipsas, vel ipsarum monasterium nullus fraudulenter, vel per potentiam inquietare, vel aliquatenus audeat perturbare. Si quis autem septa predicti monasterii violenter intrauerit, et ibi sanguinem fuderit, vel hominem qualicunque modo leserit, vel dictas libertates presumpserit aliquo modo violare, eum in decem marcis auri puri decreuit esse sue suorumque successorum camere firmiter puniendum; deinde ad inueniendam gratiam dictarum dominarum, secundum quod iura dictauerint, omnibus modis compellendum. Nos autem pium reputantes et iustum, dictarum dominarum supplicationibus auditum fauorabilem exhibere, atque credentes firmiter, per hoc nostre maiestatis solium stabilire, dictas gratias et libertates, prout prescripte sunt, tenore presentis priuilegii duximus confirmandas, et ipsas in singulis suis articulis valere perpetuo volumus, et tenere. In cuius confirmationis nostre testimonium, et robur perpetuo valiturum presens priuilegium fieri et sigillis nostris fecimus communiri. Datum Brune per manus magistri Iohannis, Saccensis prepositi, protonotarii Morauie. Anno domini MCCLXXXVI. in die natiuitatis domini et quarta decima indictione.

Ex originali in archivo c. r. aulico Vindobonae.

CCXLVII.

Wogslawa de Debljn donat monialibus sanctae Katherinae Olomucii jus patronatus ecclesiae in Wažan. Dt. Kalendis Januarii, 1287.

In christi nomine amen. Anno eiusdem M. CC. LXXXVII. Indictione XV. Die Kalendis Ianuarii. Ego Woyzlava relicta quondam nobilis viri domini Ienczonis de Doblin, patrona ecclesie sancti Bartholomei in *Wazan,* habens ius patronatus hereditario iure in ipsa ecclesia et in eius existens quasi possessione pacifica et quieta pro remedio anime mee et parentum meorum ad honorem dei et beate Katherine virginis de tytulo gratuite donacionis pure, libere et simpliciter et irreuocabiliter inter viuos do et dono et transfero ius patronatus cum omni honore patrono debito et omni iure monasterio sancte *Katherine* de *Olomuncz*, ordinis predicatorum, conferens et tribuens ac remittens dilecte filie mee sorori *Athce*, priorisse et conuentui predicti monasterii sancte Katherine, pro se et sibi succedentibus recipientibus omne ius presentandi clericos et rectores in predicta ecclesia sancti Bartholomei in Wazan et quicquid iuris uel honoris in ea habeo, uel mei antecessores habuerunt, promittens per me et meos heredes in perpetuum hanc donacionem, concessionem et translacionem firmam et ratam habere et tenere, et non contrafacere uel uenire aliqua racione uel causa de iure uel de facto sub obligacione omnium bonorum meorum. In cuius rei testimonium presentes litteras feci sigillo dicti quondam uiri mei, quo vtor vt proprio, et infra scriptorum testium subscriptionibus roborari.

Ex originali in archivo S. J. Brunensis.

CCXLVIII.

Theodericus, episcopus Olomucensis, legato apostolico de plena exemtione monialium Cellae sanctae Mariae Brunae scribit. Dt. Brunae, pridie Idus Januarii, **1287.**

Venerabili in christo patri et domino suo, domino I., dei gratia episcopo Tusculano, apostolice sedis legato, Th.(eodericus), dei miseratione diuina episcopus Olomucensis se ipsum cum promptitudine obsequendi. Receptis paternitatis vestre litteris super soluenda camere vestre ad expensas dominationis vestre certa marcarum quantitate a nobis et religiosis exemptis et non exemptis et vniuerso clero nostre dyocesis certo termino persoluenda, et imposita de dicta summa marca vna puri argenti *Celle sancte Marie in Brunna* sororibus ordinis fratrum predicatorum, accessit ad presentiam nostram sindicus et procurator ipsarum, et quandam appellationem in scriptis proposuit in hunc modum: Coram vobis venerabilis pater domine Th. dei gratia Olomucensis episcope, propono et dico, ego frater Gotfridus, sindicus et procurator priorisse et sororum Celle sancte Marie in Brunna secundum instituta ordinis predicatorum viuentium, quod cum a sede apostolica sit statutum et indultum eisdem, vt sub magisterio et doctrina magistri et prioris prouincialis ordinis predicatorum Boemie, qui pro tempore fuerint, debeant permanere, illis gaudentes priuilegiis, que ordini predicto concessa sunt vel inposterum concedentur, et quod liceat eis possessiones et redditus recipere ac libere retinere non obstante contraria consvetudine vel statuto ipsius ordinis confirmatione sedis apostolice aut quacunque firmitate vallato. Cumque eidem ordini a sede sit indultum eadem, vt ad prestationem procurationum legatorum predicte sedis aut nunciorum ipsius sev dyocesanorum locorum aut exactionum vel collectarum sev subsidiorum vel prouisionum quorumcunque minime teneantur, nec ad ea persoluenda per litteras dicte sedis aut legatorum vel nunciorum eiusdem sev rectorum terrarum ecclesie Romane inpetratas sev inposterum inpetrandas cuiuscunque tenoris fuerint, inperpetuum conpelli possint, nisi dicte sedis littere inpetrande plenam et expressam de indulto huiusmodi et dicto ordine fecerint mentionem, et vos domine venerabilis pater mandaueritis eidem priorisse, quod vnam marcam argenti puri ad expensas venerabilis patris domini episcopi Tusculensis, apostolice sedis legati, infra XIIII dies a receptione litterarum uestrarum in Brunna loco tuto reponere debeat, ita quod ibidem certo termino valeat inueniri, et pro parte collecte centum decem marcarum legalis argenti inposite vobis et religiosis exemptis et non exemptis et vniuerso clero vestre dyocesis; alioquin in scriptis in eandem priorissam excommunicationis sententiam promulgastis. Sentiens ex hoc dictam priorissam et conuentum et sorores indebite agrauari, cum dicte littere de indultis et ordine predicatorum expressam non faciant mentionem, nomine ipsius priorisse et conuentus ac sororum in scriptis presentibus ad ipsum dominum legatum et ad apostolicam sedem appello et apostolos instanter peto, et me et ipsas eiusdem domini legati et apostolice sedis protectioni suppono. Nos vero eidem appellacioni pro vestra et sedis apostolice reuerentia deferentes eisdem sororibus et procuratori earum terminum XIIII dierum statuimus, infra quem vestro se conspectui representent ad appellationem prosequendam eandem breuem eis terminum assignantes, quia breui ad solutionem termino coartamur. **Si ergo dominatio vestra sorores easdem auditis earum priuilegiis ad solutionem subsidiorum huiusmodi iudicauerit non teneri, nobis dignetur suis litteris demandare, illud scituri, quod dicte sorores possessiones habere noscuntur. Datum in Brunna anno domini M. CC. LXXXVII. pridie Idus Ianuarii.**

Ex originali ibidem.

CCXLIX.

Budislawa de Ratag confert monialibus ad s. Jacobum Olomucii villam Trawnjk. Acta 25. Januarii, 1287.

In nomine patris, et filii, et spiritus sancti, amen. Cvm multa sit malitia hominum habitantium in terra, et cuncta cogitatio cordis humani ad malum omni tempore sit intenta, congruum et vtile videtur, vt homo sapiens testimonio scripture, viueque vocis quasi quodam prouidentie clipeo iacula peruersorum praue machinationis caute studeat preuenire. Nouerint igitur vniuersi, quod ego domina *Budislaua*, vxor quondam Crisonis de *Ratay* felicis memorie, sana mente existens et corpore diuino succensa spiritu villam *Trawnik* cum omnibus attinentiis ipsius pro remedio animarum patris ac matris maritique mei, necnon omnium predecessorum meorum conuentui dominarum sancti *Iacobi* in *Olomunc* propter earum uitam laudabilem et orationum deuotionem pure simpliciter ac immutabiliter contuli perpetuo possidendam, ita tamen, quod villa predicta Trawnik cum omnibus prouentibus eius sine omni inpedimento fruar temporibus vite mee, et quod me decedente possessio prefate ville Trawnik ad monasterium et conuentum predictarum dominarum sancti Iacobi integre ac plenarie deuoluatur. Ne igitur de tam pia et salubri donatione alicui in posterum dubium oriatur, presentem litteram conscribi feci, eamque appensione sigillorum dominorum scilicet Alberti de Sternberk castellani Olomucensis, Cyri prepositi, et Onsonis camerarii de Cthystehoslemene, ac Alberti dicti de Lessan disposui roborari. Insuper subscripcione testium qui hoc ordine subsequuntur, Dominus Presco iudex Olomucensis. Dominus Ratmirus de Czeh. Dominus Predvoyus de Sobyesuk. Dominus Pardusyus de Horca. Dominus Scoho cum filio suo Onsicone de Hwezdlich, dominus Wilhelmus de Dubyszco cum duobus fratribus, domino Nicolao et Prescone, dominus Buruta cum duobus fratribus Boleslao et Sweborio, dominus Luderius de noua villa. Dominus Sdislaus de Senich, Sbyzlaus de Stihouich, Mstizlaus de Chyhouich. Theruardus et Iacobus ciues Olomucenses. Acta sunt hec anno incarnacionis dominice M. CC. LXXX. VII. In conuersione sancti Pauli.

Ex originali in archivo capituli Olomucensis.

CCL.

Beneficiarii Olomucenses testantur, Drslaum de Krawař curiam in Olšan monialibus ad sanctam Katherinam Olomucii vendidisse. Dt. in castro Olomucensi, IV. Kalendas Martii, 1287.

In nomine domini. Amen. Quia nichil firmum aut stabile in humana conditione sub presenti tempore inuenitur, summopere necessarium est, ut gesta hominum robur a voce testium recipiant, et scripta memoria in posteros propagentur. Noscant igitur vniuersi tam presentes, quam futuri, qvod nos Albertus de Sternberg, Olomucensis purchrauius, Onso de Schonwald, eiusdem prouincie camerarius, Przedborius de Boleluz iudex, et Boyzlaus, lantrichterius, beneficiarii Olomucensis prouincie, istius tenore pagine vera fide protestamur, quod Dirslaus, dominus de Olschan, bona sua, curiam videlicet cum agricultura ibidem et omnibus aliis pertinentiis ad eandem, atque laneum unum et dimidium in dicta villa sitos, ad censum duntaxat adstrictos et obnoxios, ex maturo consilio, nullo prorsus hominum reclamante, dominabus *Celle sancte Katherine* in *Olomuz* rite ac rationabiliter vendidit eisdem ex integro de omnibus bonis pretaxatis coram nobis per resignationem consvetudinariam liberaliter cedens, ac tanquam legitime possidentibus ipsis ad perpetuam possessionem et liberam condescendens; sicque dictus Dirslaus ante nos statuit Lutherum, dictum dominum de Stryzaw, et Hodissonem dictum Ostnez, ad quos ius in predictis laneo et dimidio dignoscebatur quodammodo pertinere, cum eisdem complanans, ut suo iuri similiter coram nobis contradicerent penitus abnegando. Ad expellendam vero litis materiam, que per quempiam posset forsitan suboriri, memoratus

Dirslaus, ut omnes inquietationis insultus et strepitus, si qui per amicos suos aut alios super libera possessione prefatorum bonorum imposterum aliquatenus fierent, ipse Dirslaus siue fideiussores sui deberent dissoluere ac decernere, Pitrelfum, fratrem Styslai de Ternaw et Budiz, de Olschan cum omnibus bonis eorum per cautionem fideiussoriam firmiter obligauit. In cuius protestationis nostre testimonium et rei diuturnalem memoriam presentes fieri et sigillis nostris fecimus communiri, testibus nichilominus subnotatis. Testes sunt hii domini terre: Witgo de Uppa, Nicolaus de Otazlovitz cum fratre suo Wilhelmo, Bohussius de Trahatucz, Ratmirus de Ugez, Zocho de Wislicz, Zocho de Trubech, Worsuta de Zenicz. Ciues Olomucenses: Ruslo, Theodoricus, Evardus, et alii quam plures. Datum in castro Olomucensi. Anno domini millesimo ducentesimo octuagesimo septimo, quarto Kalendas Martii.

Ex originali ejusdem monasterii cum 4 sigillis appensis.

CCLI.

Heinricus, archiepiscopus Maguntinus, structuram monasterii s. Clarae Znoymae adjuvantibus indulgentias elargitur. Dt. Herbipoli, XVI. Kalendas Aprilis, 1287.

Frater Heinricus, dei gratia sancte Maguntine sedis archiepiscopus, sacri imperii per Germaniam archicancellarius, vniuersis Christi fidelibus salutem in domino sempiternam. Licet is, de cuius munere venit, vt sibi digne a suis fidelibus seruiatur, ex habundancia pietatis sue, que merita supplicum excedit, et vota bene seruientibus multo maiora retribuat, quam valeant promereri; et desiderantes tamen, populum domino reddere acceptabilem, Christi fideles ad complacendum ei quasi quibusdam allectiuis muneribus, indulgentiis videlicet et remissionibus, inuitamus, vt exinde diuine reddantur gracie apciores. Cupientes igitur, vt monasterii fabrica sanctorum *Antonii* et *Clare* sanctimonialium in Znoym, Olomucensis dyocesis, ád statum preoptatum valeat peruenire, de omnipotentis dei misericordia ac beatorum Petri et Pauli, apostolorum eius, nec non beati Martini, patroni nostri, meritis et auctoritate confisi, omnibus vere penitentibus et confessis, qui ad structuram prefati monasterii manum porrexerint adiutricem, quadraginta dies de iniuncta sibi penitentia misericorditer relaxamus. Datum Herbipoli. XVI. Kalendas Aprilis. Anno domini Millesimo CC. LXXXVII.

Ex originali ejusdem monasterii.

CCLII.

Agnes de Swabenic donat monasterio Zarensi mediam villam Křižanow. Dt. pridie Idus Aprilis, 1287.

Nos Agnes, dicta de Swaveniz soror domini Gerardi de Oberseiz. Tenore presentium vniuersis tam presentibus, quam futuris patefacimus evidenter, quod ob fauorem specialis reuerentie pariter et amorem, quem ad ordinem Cysterciensem gerimus, firma mente, nec non et pro salute anime nostre de consensu beniuolo domini Witigonis, dilecti mariti nostri seu filiorum nostrorum, mediam partem ville dicte *Chrizan,* quam iusto ac hereditario possidemus titulo, domino abbati et conuentui *Fontis* sancte *Marie* virginis de *Sar* conferimus donantes et confirmantes liberaliter post mortem nostram iure proprietario quiete perpetuo possidendam. Ita tamen, quodsi processu temporis quisquam antedictorum filiorum nostrorum predictam partem ville habere affectauerit, pro centum marcis examinati argenti redimendi eandem liberam habeat facultatem, proventibus tamen medio tempore inde collectis, dicte ecclesie Fontis sancte Marie in Sar permanentibus inconcusse. Et ne imposterum a quoquam amicorum nostrorum per cuiuscumque impetitionis seu cauillationis scrupulum hec nostra tam sollempnis donatio valeat infirmari, presens scriptum cum subscriptis testibus et sigillorum virorum istorum industrium munimine, Gerardi de Oberseiz, Witigonis de Swebeniz et Zmilonis de Luchtenburg prouide roboratum. Testes sunt Bozeho filius Cunonis. Vlmannus de Luhstenburg, et Remidius, frater eius. Bozcho Cyborius et Gerardus, filii domini Witigonis. Bous et frater eius Hartmannus de Holenstein et alii quam plures. Datum anno domini M. CC. LXXXVII. pridie Idus Aprilis.

Ex originali ejusdem monasterii cum tribus sigillis integris. — Excusum apud Steinbach — II. pag. 57.

CCLIII.

Drahoslaw de Twrdonice satisfacit monasterio Welehradensi pro injuriis ratione haereditatis Twrdonice illatis. Dt. XIV. Kalendas Maji. 1287.

In nomine domini. Amen. Notum sit Christi fidelibus vniuersis presentem paginam inspecturis in perpetuum, quod ego Drahozlaus filius domini Mutine bone memorie de Twrdonicz, teneor *Welegradensi* ecclesie LXIIII marcas principaliter pro remedio anime patris mei, deinde eciam pro aliis debitis, que contraxi ab eadem ecclesia, pro quibus videlicet marcis hereditatem *Twrdonicz* cum omnibus appendiciis scilicet siluis, molendinis, pascuis et piscacionibus ceterisque vsibus ad eandem pertinentibus, sicut pater meus prefatus in mortis articulo constitutus obligauerat, et ego ratifico presenti scripto et fateor obligatam. Preterea quia ego minus racione vtens limites iusticie transgrediendo memoratam ecclesiam siue monasterium in possessionibus suis offenderam, assumptis amicis meis accessi ad dominum abbatem dicti monasterii deprecans veniam humiliter et deuote pro illatis iniuriis seu molestiis et obtinere merui diligencius postulando, sub tali forma, vt sibi et ecclesie siue conuentui, quam diu vixero, pro tanto excessu debeam obsequiis deseruire; et decetero polliceor me contra sepedictam ecclesiam nichil temerarium admissurum, quin immo, vbicunque potero, eiusdem possessiones cupio defensare pro iuribus et tueri, iudices super me auctoritatem habentes plenariam eligendo, videlicet dominos Zobiehirdum Pozlowicensem et Iarohneuum de Buchlowicz, quos et dominus abbas pro sua parte gratanter acceptauit, hoc pacto, vt si aliquando, quod absit, contingeret, me infringere promissum huiusmodi, dictorum iudicum ad mandatum coram domino abbate in sepius memorato monasterio astarem iudicio iudicandus ab eisdem, et si conuictus fuero iusto iudiciali testimonio, quantumque fuerit dampnum per me factum, tenebor pro tanto reddere duplicatum; exceptis causis legittimis, vt, si forte domini regis obsequiis fuero mancipatus, uel egritudine detinebor; quodsi nulla causa prepediente contumaciter prefatorum iudicum et domini abbatis in loco designato iudicio astare contempsero, tunc iudices iam predicti venientes in possessionem meam pro dampno per me illato dupliciter valens tollant; quod si nichil inuenire potuerint in hereditate mea, quod tollerent et sepedicte ecclesie satisfacerent, nichilominus super inuiolabilem hereditatem et supradictum debitum pecunie computabunt. Huius rei gracia presentem paginam sigillo proprio confirmaui et rogaui dominum Chunonem et dominum Mathiam de Nigro monte, vt suis sigillis pariter communirent. Acta sunt hec coram testibus, quorum nomina hic sunt scripta; de ipso claustro Welegradensi dominus Lupinus abbas venerabilis, Waltherus prior, Martinus supprior, Chunradus celarius. Barones vero dominus Chuno de Chunstat, dominus Mathias de Nigro monte, dominus Zobiehrd de Schardicz, dominus Iarohneuus de Buchlowicz. Datum anno domini MCCLXXXVII. XIIII. Kalendas Maii.

E codice Welehradensi MS. saepius nominato — fol. 62.

CCLIV.

Decisio litis de provisione temporalium monasterii Tišnowicensis adversus abbatem Welehradensem motae. Dt. V. Idus Maji, 1287.

Nos frater W., abbas ecclesie Ebaracensis, notum esse uolumus tam presentibus, quam futuris, quod cum causa, que uertebatur inter venerabilem dominum L.(upinum) coabbatem nostrum de *Wiligrad* ex parte vna, qui de prouisione temporalium apud ecclesiam in *Celi porta* sibi ius uendicabat, et deodicatas ac reuerendas dominas An., abbatissam et conuentum eiusdem ecclesie, ex parte altera, que dicebant econtrario, eundem dominum abbatem nullam prorsus in disponendis temporalibus ibidem habere iurisdicionem, capitulo generali querelose fuisset insinuata, ipsum capitulum reuerendo patri ac domino Do. abbati Morimundensi, in toto eandem causam per se uel per alium, cui loco sui committeret, dedit terminandam. Diuersis itaque iam dictus dominus Morimundensis prepeditus negociis, personaliter, secundum quod sibi fuerat commissum, prosequi non valens, et ne dilacio periculum traheret, vice sua per omnia dictam causam nostre commisit executioni. Verum quia discordie et litis continuatio tocius religionis ac sanctitatis est exterminatio, nos propter reuerendi patris obedicionem, nec non vtrarumque parcium diutinam ac sincerissimam dilectionem, cum magna corporis fatigatione, sub rerum dispendio, predictam ecclesiam Celi portam accedentes, assumptis nobiscum venerabilibus patribus, videlicet domino Io. Pomecensis et A. Sarensis, et S. Zmilenheimensis ecclesiarum abbatibus, visis instrumentis, vtriusque partis rationibus et questionibus diligentissime trutinatis, habito consilio supradictorum patrum, omnem prehabite litis contentionem tali fine duximus decidendam. Statuimus ergo primitus ac diffinimus, quod prefate domine abbatisse liceat recipere personas ydoneas, liberas et absolutas de seculo venientes, tam clericos, quam laycos, que regularis discipline iugo se submittere voluerint deuote, que cum professe fuerint, dicta domina abbatissa vna cum senioribus ex eisdem personis vnam, quam magis iudicauerint expedire ad gubernanda temporalia, poterunt statuere prouisorem, et hoc tantum de consilio et permissione dicti domini abbatis in Weligrad, secundum quod olim per generale capitulum est generaliter institutum. Dictus vero prouisor, si humilitate concepta super id, quod tenetur se extulerit, aut contra regularem conuersacionem inuentus fuerit exorbitare, carnes sine licentia domine abbatisse comedendo, aut credite sibi dispensationi minus vtiliter prouidendo, sepedictus visitator auctoritate paterna poterit ipsum a dispensatione commissa remouere, causis tamen sue depositionis domine abbatisse et senioribus intimatis. Volumus etiam, vt cum ecclesia ad maiorem rerum perueniret facultatem, duos habeat confessores, quorum vnus, quem sepe memorata abbatissa ad hoc elegerit, vna cum cellaria domus conscius sit predicti prouisoris tam de receptis, quam distributis. Qui etiam prouisor tam de receptis, quam de erogatis domino abbati et domine abbatisse coram senioribus, cum requisitus fuerit, certam de singulis reddat rationem. Ceterum mandando precipimus, ne ornatus aut predia ecclesie exponantur vel alienentur, quin prius causa motiua expositionis siue alienationis patri abbati insinuetur, et quod faciendum est, de ipsius consilio fiat et voluntate. Vt autem omnia premissa rata permaneant et inconuulsa, nostri sigilli predictorum patrum et reuerende domine abbatisse sigillorum munimine presentem litteram communiri decreuimus et roborari. Datum anno domini M. CC. LXXXVII. quinto Idus Maii.

Ex originali ejusdem monasterii, cui e sex sigillis quinque reliqua appendent.

CCLV.

Wenceslaus, rex Boemiae et marchio Moraviae, immunitates et dotem ecclesiae s. Michaelis et capellae regiae s. Katherinae Znoymae confirmat. Dt. Pragae, X. Kalendas Junii, 1287.

Wenceslaus, dei gracia rex Boemie et marchio Moranie, omnibus in perpetuum. Regalis opere nostre pretium diuina merces fore speratur, regii nostri culminis dignitas ad celsiora fastigia felicius sublimatur, et progenitorum nostrorum iuge ac salutiferum remedium ampliari celitus non diffiditur, si sic regni nostri moderamur habenas, si sic iusticiam diligimus in terris, quod iura nostra tenentes ecclesiarum, et maxime a nostris progenitoribus fundatarum, iuribus non tantum non derogamus, sed etiam non admittimus per quemlibet derogari, imo nostris libertatibus studiosius adaugemus. Hac itaque ratione commoniti notum esse volumus tam presenti etati, quam future, quod nos cupientes ex affectu bona dotis seu dotalitia et omnia iura ecclesie sancti *Michaelis* in *Znoyma,* a nostris progenitoribus dotate ac fundate immunitatibus, libertatibus et priuatis iuribus ditate, que propter vetustatem temporis fere sunt abolita, pristinum ad statum reuocare, concedimus eidem ecclesie sancti Michaelis in Znoyma ex certa nostra scientia et de plenitudine nostre potestatis ob nostram et progenitorum nostrorum salutem in perpetuum atque donamus hanc libertatem et immunitatem, quod homines utriusque sexus dotis ecclesie prefate sancti Michaelis in Znoyma nobis nullam exactionem, collectam, steuram seu quamlibet solutionem quacunque ratione cum ciuitate et ciuibus in Znoyma dare ac soluere debeant; sed ipsi plebano, qui tunc temporis eidem ecclesie prefuerit, omnia supradicta, exactionem, steuram et solutionem quacunque ratione alicuius collecte, et nulli alteri soluere teneantur. Et quod nulli vel nullis aliqua ambignitas siue materia questionis super bonis dotalibus siue super limitibus eorundem bonorum possit aliqualiter suboriri, presentibus illa bona duximus nominanda, et prefate ecclesie sancti Michaelis in Znoyma tanquam matri, et nostre *regie capelle sancte Catharine in castro Znoymensi* tanquam filie eiusdem ecclesie infra scripta bona de nostra regia munificentia donamus, concedimus, et presentibus elargimur. Primo in villa nostra *Cechowitz* quatuor laneos cum agris, hortis, cultis et incultis, pascuis, siluis, rubetis, piscationibus, aquis, aquarumue defluxibus, molendinis, et nostro prato, quod specialiter siue vulgariter Papilwis nuncupatur, et cum pleno dominio, naturali videlicet et ciuili. Item nostram curiam ad nostram mensam spectantem in nostra villa *Toczkwicz* cum pleno dominio naturali et ciuili. Item in villa nostra *Winnaw* unum laneum cum pleno dominio. Item in oppido nostro *Prewlino* tabernam unam cum pleno dominio. Item in villa nostra *Elmicz* duos laneos et unam curticulam cum pleno dominio. Item campum, qui vulgariter nuncupatur *Walczirzowske Poly*, cum pleno dominio. Item sedecim praitas siue agros supra *Lesskowiam* iacentia ante ciuitatem Znoymensem cum pleno dominio et decimis. Item *domos dotales* et in dote sitas eiusdem ecclesie in ciuitate *Znoymensi* secundum antiquorum interpretationem. Item de curia nostra in *Slatina* et de curia nostra in *Clupicz* maiores decimas habet, et debet habere in perpetuum ecclesia sancti Michaelis in Znoyma. Ad hec de regia nostra potestate concedimus eidem ecclesie, et volumus, ut predicti homines dotis prefate ecclesie sancti Michaelis in Znoyma coram nullo in iudicio citati debeant stare, vel coram aliquo barone seu iudice super causa et questione aliqua respondere; sed coram plebano, qui pro tempore rector predicte ecclesie fuerit, seu iudice per eum constituto super qualibet causa secundum iuris formam respondere tantummodo teneantur, stupro, homicidio, incendio exceptis, que noster castellanus castri nostri Znoymensis iudicabit, et pro modo culpe feriat delinquentem, bonis illius malefactoris per plebanum sancti Michaelis confiscatis, et in proprios usus conuertendis. Cui castellano tuitionem, gubernationem, protectionem dictorum bonorum committimus, iniungentes seriose eidem castellano, ut eadem bona et personas tueatur, defendat, protegat ac gubernet, velut nostra; precipientes baronibus, iudicibus et vniuersis ciuibus, ne contra prefatas libertates nostras facere aliquid debeant vel attentent nostre gracie per obtentum. Vt autem nostre libertates predicte a nobis concesse perpetuo maneant inconuulse, presens priuilegium fieri, et nostris sigillis iussimus communiri. Actum et datum Prage per manus magistri Iohannis, ecclesie Sacensis prepositi, Pragensis, Wissegradensis et Olomucensis ecclesiarum canonici, marchionatus nostri Morauie protonotarii. Anno domini millesimo, ducentesimo, octuagesimo, septimo; decimo Kalendas Iunii; Indictione XV.

E copia saec. XVI. in archivo S. J. Znoymensis.

CCLVI.

Restitutio villae Diwak a monialibus Cellae sanctae Mariae Brunae pro monasterio Zabrdowicensi petitur. (c. 1287.)

Coram vobis honorabili viro domino preposito Olomucensi et archidyacono Brunnensi, iudice ac venerabili domino Th., Olomucensis ecclesie episcopo delegato ego Godschalcus, canonicus ecclesie *Zaberdowicensis,* procurator domini Th. et conuentus eiusdem ecclesie, procuratorio nomine in iure propono contra dominam priorissam et sorores *Celle* sancte *Marie* in *Brunna,* quod cum villa nomine *Dywax* teneant et possideant ex contractu venditionis facte sibi a domino Theoderico, quondam abbate de Zaberdowicz contra formam iuris; quare peto, predictam villam Dywax in nomine dicte ecclesie in Zaberdowicz per vos restitui siue reddi cum fructibus iam perceptis et percipiendis, quos estimo ad summam seu valorem sexcentarum marcarum argenti datiui vsualis ponderis. Protestor etiam expensas factas et in posterum faciendas in lite saluo iure addendi, minuendi, mutandi, corrigendi, prout mihi uisum fuerit expedire.

Ex originali in archivo S. J. Brunensis.

CCLVII.

Theodericus, abbas Zabrdowicensis, renuntiat omni juri in villa Diwak ad manus monialium Cellae s. Mariae Brunae. Dt. IV. Kalendas Junii, 1287.

In nomine domini. Amen. Nos diuina prouidentia Theodericus, abbas Zaberdowicensis, ordinis premonstratensis, vna cum nostri conuentus aspirante consensu dilecto sibi collegio sororum *Celle* sancte *Marie* in *Brunna,* ordinis predicatorum, salutem in domino. Cum super villa, que dicitur *Diwax,* coram diuersis iudicibus nobis mouentibus vobis questionem aliquamdiu fuisset litigatum, tandem vtrisque partibus nobis et vobis volentibus concordare, eo quod non deceat seruiciis dei mancipatos litigiis occupari; insuper et pro vitandis laboribus et expensis concordiam, compositionem et transactionem de assensu et voluntate nostra et vestra nos fecisse et iniisse presentibus protestamur. Ita, quod vos cum vnanimi consensu domine Katherine priorisse vestre et vestro pro vobis et vestris successoribus inperpetuum dedistis et tradidistis medietatem pomerii, quod habebatis prope ciuitatem *Brunnensem* iuxta fluium, quod dicitur Swarzauia, quod et canonici et ecclesia *Chremsirensis* vobiscum pro indiuiso possidebant, nobis et nostro conuentui ad habendum, tenendum et possidendum, et quicquid nobis et nostris successoribus placuerit perpetuo de eo faciendum cum omni iure, quod in eo et ad ipsum vobis cum eo conpetebat; promittentes nobis et nostro conuentui pro vobis et vestris successoribus de dicto pomerio vel eius parte, vel usu, vel iure ipsius questionem vel litem non inferre, nec inferenti aliquatenus consentire. E contrario nos abbas cum nostri conuentus assensu vobis priorisse vestroque conuentui dedimus, cessimus et presentibus in vos transtulisse protestamur omne ius et omnem actionem, quam habebamus, vel habere poteramus in dicta villa, que prescripto nomine Diwax dicitur, renuntiantes expresse liti et litteris super predicta villa inpetratis et inpetrandis, et promittentes vobis litem vel questionem super ea, vel aliqua eius parte ulterius non inferre, vel inferenti consentire, nec aliqua ratione contrauenire de iure vel de facto, sub pena centum marcarum puri argenti, que totiens comittatur, quotiens contrafactum fuerit in aliquo predictorum. Et nos prescriptus abbas in signum et testimonium prescriptorum litteras nostri sigilli roboramus munimento. Nos quoque Zabordowicensis cenobii canonici et confratres Gerhardus prior. Wolfkerus subprior. Waltherus prepositus. Theowaldus. Lvpoldus. Gerlacus. Iohannes plebanus in Shenkwiz. Hermannus plebanus in Sheratiz. Albertus. Waltherus. Petrus. Wilhelmus. Item Iohannes. Chunradus. Trebota. Giselbertus. Volchwinus. Laurentius. Theodricus propriis nominibus facientes nos subscribi, premissis omnibus nostrum assensum acomodauimus, et nos presentibus acomodasse protestamur. In cuius rei testimonium sigillo nostri conuentus presentes litteras duximus roborandas. Datum anno domini MCCLXXXVII. quarto Kalendas Iunii.

Ex originali ibidem.

CCLVIII.

Pardus de Horka confert monasterio Gradicensi jus patronatus ecclesiae in Horka. Dt. Olomucii, V. Kalendas Julii, 1287.

Nos Pardus, dictus de Horka, tenore presentium testamur, quod nos, licet in extrema positus uoluntate, libero tamen fretus arbitrio, plena in omnibus ac sana ratione constitutus de bona nostra voluntate ac domine Bolemile, uxoris nostre, et Fabiani, Milete, item Pardi, dilecti filii nostri, et filiarum Margarethe, Clare, Anne et Sbraslaue simul placido consensu ecclesiam in *Horka,* in qua ius patronatus obtinemus, domino Budis abbati et conuentui ecclesie *Gradicensis,* ordinis premonstratensis, iam dictum ius patronatus humiliter et deuote contulimus propter deum et pro animabus nostrorum predecessorum. Et ne alicui dubium super hoc oriatur, presentes fieri fecimus nostri sigilli munimine roborantes. Datum in Olomucz, anno domini M. CC. LXXXVII. V. Kalendas Iulii. Presentibus his testibus: Fratre Michaele, ordinis fratrum minorum, domino Cyro preposito et canonico Olomucensis ecclesie, fratre Ioanne, fratre Nicolao, canonicis ecclesie Gradicensis, et aliis quam pluribus fide dignis.

Apographum in Annalibus Gradicensibus MSS.

CCLIX.

Theodericus, episcopus Olomucensis, accepta in recompensam villa Chwalkowice monasterium Welehradense a solutione decimalium absolvit. Dt. Cremsirii, XII. Kalendas Septembris, 1287.

In nomine domini. amen. Nos Theodericus dei gracia episcopus Olomucensis ecclesie. Cupientes mutationi hominum et temporum labentisque lituris memorie salubri consulere subsidio et consulto remedio scripturarum, notum esse volumus et constare cupimus vniuersis presentibus ac futuris, quod venerabilis frater dominus Lupinus abbas ecclesie *Welegradensis* et conuentus monasterii sui, Cysterciensis ordinis, nostre diocesis pro denariis decimalibus, abbatie totius, pro quibus marcam auri episcopo Olomucensi annuatim secundum ordinationem cum venerabili patre domino Brunone, predecessore nostro pie memorie, de consensu capituli nostri prius habitam et conscriptam soluere consueuerant et debebant, nobis, et ecclesie nostre, villam ecclesie sue *Hwalcouicz* pre foribus ciuitatis Olomucensis iacentem, cum agris, pratis, pascuis, et omnibus pertinentiis ipsius de communi consilio et consensu concorditer asignarunt iure hereditario perpetuo libere possidendam. Nos autem tam nostro, quam eorum commodo prouidere volentes, de consensu capituli nostri prefati eandem villam Hwalcouicz decernimus et duximus concorditer acceptandam, contenti eadem pro supradicta marce auri annua pensione; reddimus itaque predictos abbatem et ecclesiam ipsius a solutione prefate pecunie in perpetuum, et ab omni ecclesie nostre, nostra et successorum nostrorum impetitione super decimis maioribus, que sunt et dicuntur census ipsorum, et minoribus liberos penitus ac solutos propter commutationis prehabite rationabilem recompensam. Vt autem hec nostra cum ipsis de voluntate vnanimi partium facta ordinatio robur perpetue optineat firmitatis, presens scriptum eis dedimus sigillorum nostri et capituli nostri nichilominus appensione munitum. Actum et datum in Cromesir per manum Symonis notarii nostri, anno domini MCCLXXXVII. XII. Kalendas Septembris.

Ex originali ejusdem monasterii. — Apographum exstat in codice Welehradensi MS. fol. 61.

CCLX.

Wenceslaus, rex Boemiae et marchio Moraviae, donat Heinrico, canonico Olomucensi, domum exemtam Olomucii. Dt. apud Olomucium, 27. Septembris, 1287.

Wencezlaus, dei gracia rex Boemie et marchio Morauie, vniuersis intuentibus presens scriptum noticiam subscriptorum. Dignum et iustum est et consentaneum racioni, vt quocienscumque per suorum peticiones fidelium, que tamen ab equitatis tramite non discordant, regia maiestas requiritur, eis annuens debeat sue benignitatis oculo arridere, eoque maxime, quo pia causa exigit, et merita postulant personarum. Per presens igitur priuilegium ad noticiam presencium et memoriam deferimus futurorum, quod nos dilecti capellani nostri *Heinrici* Olomucensis canonici, ac rectoris capelle Brunnensis castri, deuotis peticionibus inclinati sibi et ecclesie Olomucensi in persona sua in remedium animarum patris nostri et matris nostre, preclare memorie *domum,* que fuit quondam *Lupelli,* eiusdem ecclesie vicarii, sitam ante castrum *Olomucense,* vna cum area ipsius domus, ex certa nostra sciencia conferimus, de gracia speciali sibi et ecclesie prefate iure proprietatis et dominii perpetuo possidendam. Iudicibus et vniuersis ciuibus Olomucensis ciuitatis, qui pro tempore fuerint, tenore presentis priuilegii dantes districtius in mandatis nostre gracie sub obtentu, quatenus a prefato Heinrico, capellano nostro, et singulis successoribus, qui dictam domum et aream ab ecclesia Olomucensi tenuerint, nullas prorsus exactiones siue collectas exigant vel requirant, presertim cum ipsam domum et aream a solucione quorumlibet tributorum harum testimonio esse velimus perpetuo liberam et exemptam. In cuius donacionis et exempcionis nostre testimonium presens predicte Olomucensi ecclesie damus priuilegium sigillorum nostrorum munimine roboratum. Datum aput Olomucz, per manus magistri Iohannis scolastici Pragensis prothonotarii nostri. Anno domini millesimo CC. LXXX. septimo, in vigilia beati Wencezlai.

Ex originali capituli Olomucensis. — Apographum in codice Olomucensi I. membr. fol. 33.

CCLXI.

Idem Heinrico, judici Litoviensi, judicium civitatis ejusdem una cum possessionibus et libertatibus confirmat. Dt. Olomucii, III. Idus Octobris,

1287.

Nos Wencezlaus, dei gracia rex Boemie et marchio Morauie, ad noticiam presencium et memoriam deferimus futurorum, quod Heinricus filius Friderici, quondam iudicis Olomucensis, iudex ciuitatis *Luthouie,* sufficienti et ydoneo ciuium suorum testimonio comprobauit, quod Heinricus dictus Epich auunculus suus, quondam *fundator* et iudex predicte ciuitatis Luthouie, ipsum iudicium ciuitatis Luthouie ex prima patris nostri donacione domini O.(takari) illustris regis Boemie felicis recordacionis, cum his bonis, que inferius sunt expressa, tenuit et possedit. Hec autem sunt bona, que ad ipsum iudicium Luthouie spectauerunt, videlicet theloneum, quod est in ipsa ciuitate Luthouia, piscatores ibidem, vna domus, duo lanei in *Swarczpach* et duo lanei ex altera parte ciuitatis empti in bonis non regiis, orti in *antiqua ciuitate,* vnum balneum, duo macella, duas mensas, in quibus panis venditur, et curiam, que Kwtelhof dicitur vvlgariter, in qua occiduntur pecora, que omnia antiquus iudex libera ab omni exaccione tenuit ad iudicium supradictum. Declarauit preterea nobis idem H. iudex Luthouie, quod auunculus suus predictus quatuor laneos, molendinum, domum, balneum, macella, mensas panis et curiam Kwtelhof prefata superuenientibus necessitatibus quibusdam vendidit et dicta bona alios transtulit in heredes, ex quo sibi et iudicio ciuitatis Luthouie esse multum asseruit derogatum, et petiuit a nobis, vt donaciones patris nostri et libertates de predictis bonis auunculo suo et iudicio ciuitatis Luthouie concessas, super quibus donacionibus et libertatibus iurati et ciues Luthouie laudabile et efficax testimonium protulerunt, ratificare et confirmare nostra serenitas dignaretur. Supplicauit eciam nobis idem iudex, ut ad hoc preberemus licenciam et assensum, quod ipse vniuersa bona que auunculus suus prefatus vendidit et alienauit quocunque modo a predicto iudicio ciuitatis Luthouie pro se et heredibus suis ad idem iudicium iterum sua pecunia valeat comparare. Nos autem predicti H. iudicis Luthouie deuotis precibus inclinati donaciones et libertates, que date sunt et fuerunt per patrem nostrum, felicis recordacionis, ad iudicium ciuitatis Luthouie iuxta testimonium iuratorum et ciuium ipsius ciuitatis ratas habemus et eas de speciali nostra gracia confirmamus, volentes, ut dictus H. iudex predicte ciuitatis Luthouie et heredes sui singuli ipsum iudicium ciuitatis Luthouie cum predictis attinenciis vniuersis, postquam per eos empta fuerint, libere debeant perpetuo possidere. Predicto H. iudici Luthouie harum testimonio indulgentes, vt vniuersa que predictus auunculus suus vendidit et alienauit, a predicto iudicio aut equiualencia illis loco illorum pro sua propria pecunia iuxta debitam estimacionem iterato emere valeat, contradiccione qualibet non obstante, et ea vna cum heredibus suis perpetuo teneat libera et exempta, hoc solo excepto, quod nobis idem Heinricus iudex et heredes sui de ipso iudicio ciuitatis Luthouie cum predictis attinenciis vniuersis vnam marcham auri, vel decem marchas puri argenti soluere annis singulis census nomine teneantur. Ad hoc si predictus H. iudex Luthouie molendinum alienatum a iudicio suo propter defectum rerum sua non poterit iterum pecunia comparere, indulgemus eidem, vt aliud molendinum suis sumptibus construere valeat ubi sibi videbitur expedire, absque preiudicio ciuitatis. In quarum ratificacionis et confirmationis nostrarum testimonium et robur in antea duraturum presens priuilegium predicto H. iudici et suis heredibus dedimus sigillorum nostrorum munimine roboratum. Datum aput Olomucz per manus magistri Iohannis prepositi Zaccensis prothonotarii Morauie. Anno domini millesimo **CC. LXXX.** septimo. tercio Idus Octobris.

Ex originali ejusdem civitatis.

CCLXII.

Idem confirmat hospitali ***Pragensi*** *cruciferorum cum rubea stella privilegium patris sui* ***Přemysl*** *ab anno* **1252.** *super praeposituram sancti* ***Hippolyti*** *et alia bona in* ***Moravia.*** ***Dt. Pragae, VI. Idus Decembris,*** **1287.**

Wenceslaus, dei gracia rex Boemie et marchio Morauie, ad eternam rei memoriam. Cum celestem dominum, a quo terreni regni possidemus solium, honorare, et largita munera debeamus ad sui nominis gloriam reuocare, nusquam hoc melius exequimur, quam si sacram religionem, presertim a nostris plantatam progenitoribus, benigno propagacionis studio foueamus, et cultum diuinum interne deuocionis affectibus cum exhibicione debite reuerencie atollamus. Vidimus autem priuilegium karissimi patris nostri, quondam domini Premisl, clare memorie regis Boemie, concessum religiosis viris, magistro et fratribus et ordini hospitalis sancti Francisci de Praga, non viciatum, non cancellatum, non abolitum, et omnino illesum et incorruptum, veris sigillis dicti patris nostri signatum, de verbo ad verbum sub hoc tenore conscriptum. *In nomine domini nostri. Amen.* ***Nos Otacharus, qvi et Premizl*** *. . . Actum et datum apud* ***Znoym*** *. .* **1252.** *(****Vide Tom. III. n. CLXXVIII.****)* Volentes itaque dictos fideles nostros, magistrum et fratres hospitalis prefati huiusmodi beneficiis et graciis ipsis et ordini suo per memoratum genitorem nostrum modo premisso collatis perpetuo iure gaudere, vniuersas donaciones, libertates, exemciones et imunitates quaslibet in omnibus et singulis bonis, possessionibus et hominibus eorundem ad predictam ecclesiam pertinentibus factas et concessas eisdem, prout in prefato priuilegio expresse et plenarie continetur, ratas et gratas habemus, et eas quoad omnes et singulos articulos, in eodem priuilegio comprehensos, firmas et inconuulsas esse volumus, et eas matura deliberacione prehabita, et negocio diligenter et sufficienter discusso ex certa sciencia nostra auctoritate regia innouamus, confirmamus, et presentis scripti patrocinio communimus. Nulli ergo omnino hominum nostre dicioni subiectorum liceat, hanc nostre confirmacionis paginam infringere, vel ei ausu temerario quomodolibet contraire. Si quis autem hoc attemptare presumpserit, bannum nostrum componat, et indignacionem regiam se nouerit incursurum. Actum et datum Prage, anno domini millesimo, ducentesimo, octuagesimo, septimo; sexto Idus Decembris. Indictione prima.

E copia vidimata in archivo praeposituræ s. Hippolyti, cujus originale in tabulario hospitalis s. Francisci, ejusdem ordinis, Pragae servatur.

CCLXIII.

Juditha, regina Boemiae et marchionissa Moraviae, confert jus patronatus ecclesiae in Blučina (Laučany, Laučic) monasterio Zarensi. Dt. Pragae, XIII. Kalendas Februarii, 1288.

G.(utta) dei gratia regina Bohemie, et marchionissa Morauie. Donationem iurispatronatus in ecclesia dicta *Luchens* Olomucensis dyocesis, quam dilectus maritus noster Wenceзlaus, rex Bohemie et marchio Morauie, pro remedio anime progenitoris sui felicis memorie domini Ottakari, quondam inclyti regis Bohemie, venerabilibus viris, abbati et conuentui monasterii in *Sar*, Cysterciensis ordinis, eorumque successoribus contulit manu liberalissima perpetuo possidendam, nos ob reuerentiam Dei genitricis Marie, quam speciali deuotione excolimus toto corde, ad voluntatem antedicti dilecti mariti nostri predictis venerabilibus viris, abbati et conuentui in Sar ipsum iuspatronatus de ecclesia sepedicta una cum eodem marito nostro conferimus scripto presentium liberaliter et mature, volentes, vt dominus abbas et conuentus dicti monasterii, quicunque pro tempore fuerint, dictum iuspatronatus habeant et possideant perpetuo pacifice et quiete.

Et in ipsos ex certa scientia nostra ius omne ac dominium, quod habemus vel habere possumus in ipso iure, plenarie transferentes, eiusdem iuris sint veri domini et legittimi possessores. In cuius rei testimonium presentem litteram fieri iussimus, et sigilli nostri secreti munimine roborari. Datum Prage per manus magistri Friderici, notarii nostri. Anno domini M. CC. LXXXVIII. XIII. Kalendas Februarii.

Ex originali ejusdem monasterii, cui sigillum minimum, quasi anulleum, adpendet cum circumscriptione: ✝ SECRETUM MEUM. — Excusum apud Steinbach — II. 38.

CCLXIV.

Senatus Iglaviensis Jacobo, abbati Siloensi, possessionem silvae inter Popowice et Wolframs sitae adjudicat, inque eam inducit. Dt. VI. Kalendas Februarii, 1288.

In nomine domini, amen. Cum rerum et temporum incerti sunt euentus, et mortalium mortalis existat memoria, actionesque humane, qualitercunque fuerint ordinate, cum tempore non cessant defluere; necesse est gesta, que a nobis aguntur, fufficiente cautione muniri et maxime per litteras, que baculi sunt memorie, indicia ueritatis et certitudinis argumenta. Nos igitur Bertholdus iudex, iurati ciuitatis cum vniuersitate ciuium *Iglauiensium* notum esse cupimus vniuersis Christi fidelibus presentes litteras inspecturis fideliter et apertius protestando, quod venerabilis vir dominus *Iacobus,* abbas ecclesie *Siloensis,* premonstratensis ordinis, Pragensis diocesis, veniens ad nos in nostrorum presentia conciuium quedam instrumenta publica testamentaria sufficiente cautione roborata super extreme voluntatis testamento felicis recordationis domini *Dithmari,* quondam conciuis nostri nec non magistri monete per *Morauiam,* confecta petens quam instanter et rogans, ut ipsum nomine ecclesie sue Siloensis in rerum, scilicet sylue et agrorum eidem attinentium, quam idem Dithmarus ecclesie s. Marie Virginis pretitulate in Silow sue adhuc bene compos rationis in extrema positus voluntate in testamento legauerat, pro suorum remedio peccatorum liberam et ab omnibus debitoribus penitus exemptam a nostre ciuitatis Iglauie conterminis per unius spatium milliaris situatam cum omnibus iuribus suis in his, que super terram et sub terra, agris cultis siue incultis corporalem induceremus potestatem secundum iura ciuilia et consueta. Nos itaque licet homines seculo dediti, deum tamen pre oculis semper habere cupientes, adhibitis nobis uiris sapientibus reperimus predicta instrumenta clara luce intuentibus integra, inconuulsa, non cancellata, nec abolita, nec in aliqua parte sui uiciata absque omnibus corrasionibus et lituris, tum veridicorum et fide dignorum testium subscriptione et authenticorum dependentium munimine sigillorum (roboratas) nullo de consilio sapientum nullo leuitatis motu ventilati, nulla venalitatis ambitione corrupti, prefatum dominum Iacobum, abbatem ecclesie Siloensis, nomine ecclesie sue in corporalem prenominate sylue inter villas videlicet ***Popowitz*** et *Wolfram* posite iusticialiter et sentencialiter induximus possessionem, adiudicantes eidem domino abbati et sue ecclesie Siloensi eandem syluam secundum quod promissum est et dictorum tenor continet instrumentorum. Ut ad hec nostra inductio et sententia rite et secundum communem nostre ciuitatis et eciam prouincialem equitatem lata calumpniis non pereat, sed perpetue firmitatis robur obtineat sepedicto domino Iacobo presens scriptum super eo dari fecimus sigilli ciuitatis nostre appensione roboratum, cum veridicorum subscriptione testium, qui dicte nostre inductioni interfuerunt, quorum hec sunt nomina: Hermannus dictus Cotig. Vinricus, Heinrici filius, aduocatus. Leutholdus dictus Thurhuser. Henricus Bauarus. G. dictus albus et alii quam plures viri (fide) digni. Datum per manus Hermanni tunc rectoris scholarum, anno gracie miliesimo, ducentesimo, octuagesimo, octauo, sexta Kalendas Februarii.

E copia simplici saec. XVI. in archivo civitatis Iglaviensis.

CCLXV.

Theodericus, episcopus Olomucensis, Christianum praesentatum a monasterio Oslovanensi ad ecclesiam in Zbiškowice confirmat. Dt. in Modřice, VI. Kalendas Martii, 1288.

Theodericus, dei gracia episcopus Olomucensis ecclesie, dilecto in Christo Christano presbytero, salutem et sinceram in domino caritatem.

Dilecte in Christo filie, domina Heylwigis venerabilis abbatissa, et conuentus sanctimonialium *vallis sancte marie* in *Osla,* te nobis ad ecclesiam in *Bisspicz* vacantem sibi, in qua ius optinent patronatus, presentauerunt petentes humiliter et deuote, vt te prefata in Bisspicz ecclesia inuestire misericorditer dignaremur. Nos igitur quia te ad optinendum ecclesiasticum beneficium ydoneum inuenimus atque dignum, inuestiture donum, curam animarum et amministracionem spiritualium eiusdem ecclesie tibi conferimus, teque ad eam auctoritate nostra ordinaria confirmamus, confirmacionem, collacionem, institucionem nostras predictas tenore presencium et sigilli nostri munimine roborantes. Datum in Modriz, anno domini MCCLXXXVIII. VI. Kalendas Marcii.

Ex originali ejusdem monasterii.

CCLXVI.

Theodericus, Heinricus et Erkembertus Stanye praestant episcopo Olomucensi homagium intuitu bonorum Friedberg (Mjstko). Dt. in Braunsberg, XVIII. Kalendas Maji, 1288.

Notum sit omnibus presentibus et future propagini posterorum, quod nos Theodericus, Heynricus, et Erkembertus, dicti Stange, venerabili patri domino nostro, domino Theoderico, ecclesie Olomucensis episcopo, et ecclesie sue predicte iureiurando firmatum prestitimus homagium, et fidem seruare promisimus efficaciter et constanter, bona eciam *Vridberg, Swensir, Cunczendorf,* et *Heynrichsdorf* ab eo et ecclesia sua iure feudi coniuncta manu suscepimus eo pacto, quod si omnes aut aliquis ex nobis contra eum vel ecclesiam suam excesserit, et fidem sibi promissam presumpserit aliqualiter violare, a iure feudali bonorum ipso facto debeamus cadere predictorum, nullum ad ea decetero habituri regressum amplius, si nostra seruicia fortasse, quod absit, domino nostro predicto contingeret displicere, quantumcumque meliorationis sumpserint incrementum bona predicta, pro trecentis marcis argenti ea sibi reddere tenebimur omni contradiccione remota. Si vero nos vrgebit necessitas bona alienare vel vendere supradicta, non alii quam sibi, vel ei, in quem suus et capituli sui consensus accesserit, vendendi eadem habebimus facultatem pro summa trecentarum marcarum predicta. In cuius promissi et obligationis nostre euidens argumentum sibi dedimus presens scriptum sigillorum, mei scilicet Theoderici, Ekberici de Vulinsteyn, et Wolurammi, purchrauii in Modericz, appensione munitum. Datum in Brunsberg, anno domini M. CC. LXXXVIII. XVIII. Kalendas Maii.

Ex originali cum sex sigillis appensis in archivo archiepiscopali Cremsirii. Apographum in codice Olomucensi chart. II. fol. 105.

CCLXVII.

Wenceslaus, rex Boemiae et marchio Moraviae, civibis Eiwančicensibus exemtionem a solutione thelonei concedit. Dt. Brunae, II. Idus Maji, 1288.

Wenceslaus, dei gratia rex Bohemie et marchio Morauie. Vniuersis camerariis, purgrauiis, villicis, theloneariis, beneficiariis, iudicibus ac ciuibus ciuitatum per Bohemiam et Morauiam constitutis gratiam suam et omne bonum. Regie mansuetudinis benignitas et rationis equitas (requirit), ut fideles nostros et dilectos nobis ex fide et operibus adherentes nostre munificentie et liberalitatis premiis prosequamur. Quapropter vniuersitati vestre facimus notorium presentis priuilegii per tenorem, quod nos ciues nostros de *Eywanczis* prosequentes gratia speciali ob probitatis et fidelitatis sue merita et obsequia plurima nobis per ipsos deuote et fideliter impensa ipsos vniuersos et singulos a solutione theloneorum per totum dominium nostrum absolutos et liberos esse volumus et immunes. Eis super hoc ad perpetue exemptionis indicium presens priuilegium concedentes, vobisque vniuersis et singulis districte et precise mandantes nostre gratie per obtentum, ut predictos ciues hac libertatis et immunitatis gratia quiete gaudere sinatis, sicut indignationem regiam diligitis euitare. Datum Brune, anno domini millesimo, ducentesimo, octuagesimo octauo, secundo Idus Maii.

E copia simplici sacc. XVI., et e confirmatione privilegiorum ejusdem civitatis.

CCLXVIII.

Theodericus, episcopus Olomucensis, concedit monialibus Kaunicensibus facultatem requirendi decimales denarios ab ecclesiis ad eas spectantibus. Dt. apud Modřice, pridie Idus Maji, 1288.

Theodoricus, dei gracia episcopus Olomucensis ecclesie, venerabili fratri, domino preposito Chunicensi, premonstratensis ordinis canonico regulari, salutem et sinceram in domino caritatem. Venerabilis patris, domini Brunonis, pie memorie Olomucensis episcopi, predecessoris nostri, non cancellatis, non abolitis, nec in aliqua parte sui viciatis instrumentis patentibus sufficienter instructi, quod decimales denarii ecclesiarum nostre dyocesis. *Chunicz, Praulow, Malspicz, Vrspicz, Pohorzelicz, Nauhrowicz, Vhrziczicz, Wazalicz, Vgezd, Pulin, Moschan, Moschanki, Neusidel, Dunaiowicz, Miculow* et *Rzieznowicz,* a preposito et capitulo *Boleslauiensis* ecclesie, Pragensis dyocesis, propter vestrorum profectum et commodum pauperum pro annua pensione ecclesie vestre perpetuo acquisiti, ad vos pertineant pleno iure. Quare ne vos super eorundem denariorum requisitione ad nos reccurrere oporteat tam frequenter, tam nostro, quam vestro commodo prouidere volentes, ut prefatos decimales denarios a predictarum ecclesiarum rectoribus et plebanis annis singulis possitis auctoritate nostra suo tempore secundum formam statutorum nostrorum repetere et exigere absque nostro speciali mandato, per hec scripta concedimus facultatem, ratas habituri sententias et stabiles, quas pro eisdem denariis requirendis canonice tuleritis in rebelles. Datum aput Modricz, anno domini MCCLXXXVIII, pridie Idus Maii.

E codicibus MSS. Cremsiriensi videlicet membr. f. L. 1., et Olomucensi chart. I. pag. 75.

CCLXIX.

Beneš de Branice confert monasterio Gradicensi ecclesiam in Benešow cum filiali in Sibotendorf (Žiwotice) unacum earum dote. Dt. Opaviae, XV. Kalendas Junii, 1288.

In nomine domini amen. Nos Beneschius, dictus de Branicz, tenore presentium fideliter protestamur, quod nos de uoluntate nostra bona et domine Elisabeth, uxoris nostre, et Wockonis, dilecti filii nostri, nec non filiarum nostrarum, Adelhaidis et Obieske, placito et unanimi consensu ecclesiam in *Beneschow* in prouincia Oppauiensi cum filia sua, sita in *Sybotndorff,* in qua ius patronatus obtinemus, domino Budis abbati, successoribus suis, et conuentui ecclesie *Gradicensis,* ordinis premonstratensis, Olomucensis diocesis, iam dictum ius patronatus cum omnibus dotalibus attinentiis pro damnis illatis ecclesie supradicte, et etiam propter deum liberaliter et deuote contulimus iure perpetuo possidendum, cupientes ex affectu, ut in ecclesiis memoratis nostrorum predecessorum et nostre coniugis iam predicte de cetero habeatur quotidie, sicut pro benefactoribus ordinis, plena memoria animarum. Preterea omnium utilitatum, que nos in predicta uilla forensi *Beneschow,* et in aliis uillis, uidelicet *Razow, Schwarzendorff, Sejwetndorff, Wokendorff, Milotndorff, Rabendorff* contingunt in metallis montium, scilicet auri, argenti, cupri, plumbi, ferri, salis. molarium lapidum et iudicii vniuersi, in presenti tempore et futuro preter censum et steuram plenam decimam iure perpetuo condonamus. Ne autem quispiam donationi nostre liberali fraudulenter seu calumpniose ualeat contraire, presentes fieri fecimus, sigilli nostri munimine roborando. Huius rei testes sunt: Dominus Sbislaus de Bohuslawicz. Dominus Iohannes, frater eius. Sulislaus de Paczlavicz. Marqvardus de Nasile. Dominus Wikardus de Polom. Dominus Bludo, filius Bludonis de Gyczin. Zacharias Nuzerius. Frater Arnoldus, gvardianus Opauiensis. Frater Thomas. Frater Duchon, ordinis fratrum minorum de Opauia, et plures alii fide digni. Datum in Opauia. Anno domini M. CC. LXXX. VIII. XV. Kalendas Iunii.

Apographum in Annalibus MSS. ejusdem monasterii.

CCLXX.

Adelheidis, uxor Conradi, resignat fratribus sancti Joannis in Hrobnjk haereditatem in Smodrowice. Actum Opariae, (mense Majo, 1288.)

Dvm Adelheidis vxor Conradi cum fratribus suis tribus et pueris eorum et posteris coram villico et beneficiariis in Opauia ante iudicium prouinciale fratres de *Grobnik* cruciferos hospitalis s. Iohannis et eorum successores de querimonia, quam contra eos proposuerat pro quadam hereditate adiacente in *Smodrowice* de propria voluntate absolutos permisit, ita quod ipsa et fratres eius eorumque successores de supradicta hereditate vlterius nullam cogitarent habere mencionem. Isti testes affuerunt. Dominus Herbordus dapifer. Heningus filius eius. Wolframus de Petrowic. Marqvardus. Lvpus. Mylata filii quondam Swirczonis de Nasil. Slauiborius de Virsovic. Strachota, burcravius de Gredce. Bohdalus, burcrauius de Czevelin. Heinricus notarius regis. De Wratislawia Cvnradus de Kyselowic. Beneficiarii Opawienses: Brumo villicus regis. Niculcec sudarius. Iacobus notarius. Crizanus vicesudarius. Hodislaus. Item alii Zyghardus sagittarius regis. Svatoslaus. Cvnradus de Bruk ciuis Opawiensis. Ditricus iudex de Lupcic. Acta sunt hec in Opawia tercia feria post diem Palmarum. In huius autem rei geste vigorem presens scriptum istorum sigillorum apensione constat roboratum. Sigillo dapiferi H. villici Brumonis, notarii Swatoborii et Niculonis sudarii sigillo.

Ex originali in archivo M. Prioratus Melitensium Pragae.

CCLXXI.

Nicolaus, dux Opariae, eandem resignationem allodii in Smodrowice testatur. Dt. in Hradec, mense Majo, 1288.

Nos Nycolaus dei gracia dux Opauie. Protestamur et tenore presentium aput vniuersos profitemur, quod anno domini MCCLXXXVIII. XV. XIIII. et XIII. Kalendas Iunii. feria tercia festum beati Iohannis beate precedens, matrona quedam *Adleydis*, nomine *Zolherinna* cognominata, que et alio cuiusdam viri sui nomine *Holzhinna* nuncupatur, cum quibus horis siue diebus curiam nostram terre nostre generalis placiti generaliter edictam in castro nostro Gretz haberemus, nostram ibidem multis nostris nobilibus, mylitibus et chnapponibus atque ciuibus nostris assedentibus presenciam antecedens, iuri suo super quodam allodio in *Snoderwitz* et quibusdam laneis attinentibus, pro quo et pro quibus cum fratre *Teodrico*, ordinis s. *Iohannis* de hospitali commendatore de *Crobnik,* aliquot annis siue temporibus brigam litigii licet minus debite ventilauerat atque fouerat, pro se et pro duobus suis fratribus et pro omnibus suis choeredibus preteritis, presentibus et futuris renunciauit omni parte nullam deinceps habere in eisdem bonis iurisdictionem et coheredes suos, ut supradiximus, posse ac velle aliqualiter se debere. Omne ius quod ipsos competere videbatur, asseruit et promisit in nostra et omnium assedentium audientia ad manus nostras et fratris Teodrici supradicti resignando fide data. Ne igitur fratri Teodrico vel aliquo suo successori vel eorum ordinis fratribus aliquibus libet ab eadem domina vel a suis coheredibus quibuscunque super eisdem bonis in posterum scrupulus oriri valeat aliqualiter questionis vel dubii, presentem paginam ipsis sigillo nostro maiori et quorundam nobilium atque seniorum nostrorum sigillis in euidens testimonium et cautelam domini Syuridi de Barcht, domini Herbordi de Fullenstain tradidimus roboratam. Testibus subnotatis domino Sbislao de (sic) (Bohuslawicz), Benessio de Lobenstain, domino Benessio de Zhitin, domino Trutwino et fratre suo Witigone, domino Myroslao zuderio, Andrea, tunc iudice prouinciali, domino Brunone, domino F., Chislingo, et Tylone, ciuibus de Lupzicz, et aliis quam pluribus.

Ex originali — ibidem.

CCLXXII.

Hartmannus de Holenstein donat monialibus in Oslowan bona sua in „Studein.“
Dt. Brunae, XII. Kalendas Junii, 1288.

In nomine domini amen. Res gesta ideo litteris inseritur, ne per obliuionem articulus deleatur. Hinc est, quod nos Hartmannus de Holensteyn omnibus et singulis presentem visuris vel audituris litteram quolibet submoto volumus constare dubio, quod bona nostra in *Sthudeyn,* decem laneos et aratrum tota cum instructura, siluis, pratis, ortis, ceterisque cunctis attinenciis suis, pro remedio anime nostre et dilecti fratris nostri domini Bohvschonis nec non et carorum parentum nostrorum, contulimus deuotarum collegio sanctimonialium in *Ozla* suos in vsus pro libitu libero redigenda et proprie perpetuo possidenda. Ceterum commisimus dilecto filio nostro Cyrroni, quod si ordinacione diuina nobis morientibus superstes vixerit, predictam collacionem sev legacionem nostram contra quoslibet inpeditores tueatur. Vt autem hanc donacionem nostram specialiter ob honorem beate virginis factam nullus heredum vel successorum nostrorum quorumcunque presumat aut infirmare valeat, presentem litteram fecimus sigilli nostri munimine roborari. Datum in Brvnna anno domini M. CC. LXXXVIII. XII. Kalendas Ivnii. Cyrro filius domini Bohuschonis, patrvus noster. Hermannus de Lelechwyce. Cristianus notarius. Vlricus. Michahel. Misselborius gerentes vices iudicum, et alii quam plures fide digni huius rei sunt testes.

Ex originali cum sigillo illaeso in tabulario ejusdem monasterii.

CCLXXIII.

Beneficiarii Brunenses eandem donationem bonorum in Studein testantur. Dt. Brunae, XII. Kalendas Junii. 1288.

Nos Bruno, iudex prouincialis prouincie Brunnensis, et nos zudarius Brawicus eiusdem prouincie protestamur omnibus et singulis presentem litteram visuris vel audituris, quod dominus *Hartmannus* de *Holensteyn* bona sua in *Studeyn,* decem laneos, et aratrum tota cum instructura, siluis, pratis, ortis, ceterisque cunctis attinenciis suis, pro remedio anime sue et dilecti fratris sui domini Bohusii nec non et carorum parentum suorum contulit et donauit, deuotarum collegio sanctimonialium in *Ozla,* suos in vsus pro libitu libero redienda, et proprie perpetuo possidenda. Vt hec autem pia donatio predicti domini Hartmanni, ac nostra protestatio firma sit et rata et inconvulsa permaneat, et ne quis malignis suggestionibus valeat infirmare, presentem litteram curauimus nostrorum sigillorum munimine roborari. Datum in Brvnna, anno domini M. CC. LXXXVIII. XII. Kalendas Iunii.

Ex originali cum duobus sigillis ibidem.

CCLXXIV.

Ctiborius de Grunberg, burggravius in Eichorn eandem donationem bonorum in Studein attestatur. Dt. Brunae, XII. Kalendas Junii, 1288.

Ego Sthyborius de Grvnenberch, purchrauius in Eychorns, protestor omnibus et singulis presentem visuris vel audituris litteram, quod dominus *Hartmannus* de *Holensteyn* bona sua in *Sthvdyn,* decem laneos et aratrum tota cum instructura, siluis, pratis, ortis ceterisque cunctis attinenciis suis pro remedio anime sue et dilecti fratris sui, domini Bohussii, nec non et carorum parentum suorum contulit et donauit deuotarum collegio sanctimonialium in *Ozla,* suos in vsus pro libitu libero redigenda et proprie perpetuo possidenda. Vt hec autem pia donacio predicti domini Hartmanni ac mea protestacio firma sit et rata permaneat et inconuulsa, presentem litteram iussi mei sigilli mvnimine roborari. Datum in Brvnna. Anno domini M. CC. LXXX. VIII. XII. Kalendas Iunii.

Ex originali cum sigillo integro ibidem.

CCLXXV.

Wenceslaus, rex Boemiae et marchio Morariae, civitati Brode Hungaricali turbine bellorum desolatae exemtionem a tributis ad decem annos in amplius prorogat. Dt. Znoymae, in die s. Trinitatis, 1288.

Wenceslaus, dei gracia rex Boemie et marchio Morauie, vniuersis presentes inspecturis salutem et dilectionis affectum. Inter sollicitudines nostras illa non modicum insidet cordi nostro, ut ciuitates nostre, que permittente domino et guerrarum turbine seuiente fere ad extremam enecationem sunt perducte, pro regia propensionis industria ad statum debitum reuocentur, ut etiam pro nostre benignitatis clementia seruitiorum deuota impendia dignis retro meritorum premiis compensentur, et res congruit et conuenit honestati. Hinc est igitur, quod nos attendentes *desolationem* ciuitatis nostre in *Broda Hungaricali* et ciuium eorundem deuota obsequia, que in expensarum exhibitione et in aliis, cum apud eos fuissemus, nobis fideliter prebuerunt, ad nostrum animum reuocantes, volentesque ipsis beneficiorum regalium graciosas vices rependere, libertates per sex annorum spatia eiusdem tenore priuilegii prioris concessas, videlicet a censu, teloneo, collectis, contributionibus, et aliis huius modi iuribus, ipsos ad quatuor annos in amplius prorogamus, ut sic in hac parte libertatibus et immunitatibus huiusmodi decennio inconcusse et inuiolabiliter potiantur. Insuper censum seu obuentiones annuas nobis de iudicio ciuitatis eiusdem singulis annis debitas ipsis pro reparatione et melioratione ciuitatis eiusdem condonamus eisdem, ut ex nunc decetero et semper retineant ad usum predictum reditus huiusmodi conuersuri. In cuius rei testimonium presentes literas seu instrumentum fieri iussimus sigillorum nostrorum ipsas munimine roborantes. Datum in Znoyma. Anno domini millesimo, ducentesimo, octuagesimo, octauo. In die sancte Trinitatis et indiuidue unitatis.

Ex originali ejusdem civitatis.

CCLXXVI.

Idem possessiones ecclesiae sancti Procopii in Antiqua Bruna, quas in Weletice habet, adauget. Dt. Brunae, III. Kalendas Junii, **1288.**

Wencezlaus, dei gracia rex Boemie et marchio Morauie, omnibus noticiam subscriptorum. Digne ac honeste de munificencia regie largitatis facere credimus, si continua que nobis exhibentur seruicia retribucionis dulcedine compensamus. Hac itaque racione commoniti dilecto fideli nostro domino *Welezlao,* regni nostri Boemie prothonotario, propter eius continua et fidelia seruicia, que nobis prestitit, prestat ad presens et prestare poterit in futuro, medium laneum annexum ville *Weleticz,* que est ecclesie sancti *Procopii* in *antiqua Brunna,* quam ecclesiam ex nostra legittima collacione canonice habet, et unum molendinum prope dictam villam et rubeta quedam, que eciam adiacent eidem ville Weleticz, per Brunonem officialem nostrum Morauie de nostro mandato per metas distincta, que quidem olim ad villam nostram *Twarszonicz* spectantes nostris usibus seruiebant, ad habendum, tenendum et utifruendum perpetuo dicte ecclesie conferimus liberaliter et largimur. Et ut in eodem domino Welezlao clarius nostra munificencia elucescat, propter deum et merita sua, quibus nostram graciam meruit habundanter, homines et pauperes predicte ecclesie sancti Procopii tam in Weleticz, quam alibi residentes a iure forastarie, quod wulgariter lowzche nuncupatur, eximentes nostra ex certa sciencia et auctoritate reddimus et facimus perpetuo liberos et immunes. Tenore presentis priuilegii mandantes forastariis seu siluanis tam presentibus, quam futuris, quatenus racione eiusdem iuris forastarie nichil de cetero ab eisdem hominibus ecclesie prenominate exigere debeant uel presumant. In cuius nostre concessionis et donacionis testimonium presens priuilegium fieri fecimus, et nostrorum sigillorum munimine iussimus roborari. Datum Brunne per manus magistri Iohannis, Sacensis prepositi, nostri per Morauiam prothonotarii. Anno domini millesimo, ducentesimo, octoagesimo, octauo. III. Kalendas Iunii. Indiccione prima.

Ex originali in tabulario monasterii Aulae reginae.

CCLXXVII.

Nicolaus, dux Opaviae, confert civitati Opaviensi villam Skřipow et possessionem silvae ibidem confirmat. Dt. Opaviae, Kalendis Junii, 1288.

In nomine domini, amen. Cum omnium habere memoriam et nullius obliuisci diuinum sit potius, quam humanum, necesse est legitimam quamlibet actionem scripturarum memoria et testibus perhennari. Nos igitur Nicolaus, dux Opauie, notum fieri volumus presentibus et futuris, quod nostram dilecti fideles nostri *Opauie* ciues presentiam accedentes nobis humiliter supplicarunt, ut priuilegium super XL laneos silue iuxta *Crsypow* eis indultum a patre nostro felicis memorie confirmare gratiosius dignaremur. Nos autem ipso priuilegio diligentius intellecto, quod non esset in sui parte aliqualiter viciatum, precibus ipsorum nostrorum ciuium fauorabiliter inclinati predictum patris nostri priuilegium de ipsis XL laneis et de contentis in eo duximus confirmandum, et ad hoc gratiam gratie cumulantes, ut ipsa ciuitas nostra Opauia quibuslibet proficeret augmentis et optatum sue meliorationis reciperet incrementum, villam Crsypow cum iudicio et iuribus suis et prouentibus uniuersis et XX laneos et in eadem villa tam in campis, quam in silua predictis ciuibus Opauie contulimus ab ipsis iure hereditatis perpetuo possidendam. Predicti vero ciues nostri, ne ingrati de accepto beneficio viderentur, pro gratia eis facta nostram cum IIII marcis auri reuerentiam illariter honorarunt. In cuius donationis nostre testimonium et robur perpetuo valiturum presentem paginam ipsis dedimus nostri sigilli munimine roboratam, presentibus Sbyslao de Bohuslawicz, Benesio de Lobenstein, Ckriko de Vylmstein, Trutwino de Heroschidorf, Ieroslao de Morauicz, Marquardo et Lupo de Nazil, Budislao de Lodnicz, Wokone de Schytyn et aliis multis. Actum et datum Opauie, per manus magistri Wenceslai, notarii nostri. Anno domini M. CC. LXXX. VIII. Kalendis Iunii.

Apographum in codice MS. privilegiorum Opaviensium in museo ejusdem civitatis.

CCLXXVIII.

Wenceslaus, rex Boemiae et marchio Morariae, ecclesiae Olomucensi villam Tegnec jure reemtitio assignat. Dt. Pragae, XV. Kalendas Julii, **1288.**

Nos Wenceslaus, dei gracia rex Boemie et marchio Morauie, notum esse uolumus uniuersis tam presentis etatis hominibus, quam future, quod nos olim in ducentis marcis argenti cuidam nomine Cunoni Saxoni de Sprun obligati villam nostram *Thynecz* pro eadem pecunia ipsi exponere nomine pignoris decreueramus. Sed cum predicto Cunoni tale pignus non competeret ad petitionem nostram venerabilis in Christo pater, dominus Theodricus Olomucensis ecclesie episcopus, eidem Cunoni pro nobis in eadem se pecunia obligauit, quam tandem ratione obligationis et fideiussionis pro nobis soluere cogebatur ipsam nostram villam Thynecz nostra bona uoluntate nomine pignoris conseruando; veniens post hec ipse dominus episcopus ad nostram presentiam bona consciencia tactus asseruit, quod sibi non competeret aliquod pignus seruare, cuius quidem perciperet usufructum, quod perceptio talis eius conscienciam aggrauaret, petens cum instancia propter deum, ut sibi et ecclesie sue predicte pro predictis ducentis marcis argenti predictam villam assignare absque nomine pignoris dignaremus. Nos autem precibus predicti domini episcopi benignius inclinati prelibatam villam nostram Thynecz cum omnibus pertinenciis suis et iuribus, uidelicet siluis, pratis, agris cultis et incultis, aquis, piscationibus et aliis, que ad dictam villam spectare noscuntur, sibi et ecclesie sue *Olomucensi* assignamus ex certa nostra scientia possidendam; hoc expresso, quod quandocunque eandem villam rehabere uellemus, restitutis sibi seu ecclesie sue sepedicte ducentis marcis argenti, ipsam reassumere in nostram iterato possessionem nos uel nostri heredes libere et licenter possemus nullo penitus refragante. In cuius rei testimonium presentes fieri fecimus et nostrorum sigillorum munimine iussimus roborari. Datum Prage per manus magistri Iohannis, Sacensis prepositi et nostri per Morauiam prothonotarii. Anno domini millesimo, ducentesimo, octoagesimo, octauo. XV. Kalendas Iulii. Indictione prima.

Ex originali in archivo capituli Olomucensis.

CCLXXIX.

Theodericus, episcopus Olomucensis, ad infirmariam fratrum monasterii Lucensis ecclesiam in Mülfraun annectit. Dt. in Modřice, 1288.

Th(eodericus), dei gracia Olomucensis episcopus, dilecto suo in Christo uenerabili abbati *Lucensi,* premonstratensis ordinis, Olomucensis diocesis, ac suis successoribus ibidem in futurum abbatibus salutem et sinceram in domino caritatem. Vt uestri fratres infirmi in suis infirmitatibus per uestrum infirmarium valeant melius procurari, ecclesiam in *Muluren,* ubi ius patronatus habetis, quoad temporalia vestre infirmarie hiis presentibus in perpetuum annectendum duximus nostrorum remedio peccatorum, uolentes, vt, qvotiens infirmarium, qui ibi plebanus esse debet, mutabitis ex causa ordinis, vobis sit licitum, infirmarium, quem ibi ordinabitis, pro plebano locare in ecclesia prenotata, donec se nostre presentie representet, spiritualia a nobis, prout ius postulat, recepturus. Precipimus etiam, ut non sit licitum alicui archidiaconorum Sznoymensium, qui pro tempore fuerint, hanc nostram ordinationem et beneficii largitatem in aliqvo inpedire. Datum in Modaritz, anno domini M. CC. LXXXVIII.

Ex originali ejusdem monasterii.

CCLXXX.

Leo de Polehradice donat monasterio Zábrdowicensi montem vinearum in Kurdĕgow. Dt. Kalendas Aprilis, 1289.

Ego Leua de Polehradicz sperans felici commutatione pro terrenis celestia, et pro transitoriis rebus premia consequi sempiterna pro meorum parentum ac pro remedio peccatorum, prout etiam a charissima matre mea in extremis agente in mandatis recepi, montem vinearum, qui dicitur Lippina iuuenis in *Curdeyow* tenore presentium do, cedo, trado iure proprio in perpetuum venerabili patri domino Theodorico abbati, et per eum monasterio suo *Zabrdouicensi* cum omni iure, vsu seu requisitione, et cum omnibus, que habet supra se, infra se, seu intra se in integrum et cum aliis omnibus iuribus et pertinentiis vniuersis ad eundem montem spectantibus, donoque et confero in perpetuam elemosynam fratrum eiusdem Zabrdouicensis monasterii, promittens pro me meisque heredibus dicto domino abbati et successoribus eius eidem monasterio de dicto monte cum pertinentiis suis quibuscumque nunquam, nec de parte eius mouere controuersiam seu litem, nec inferre, nec inferri consentire, sed ipsum montem tam in possessione, quam in proprietate eidem monasterio ab omni homine et vniuersitate legum tunc defendere, auctorizare et disbrigare, nullamque contra donationem predictam restitutionem petere aliqua ratione vel causa, renuncians omni iuris auxilio canonici et ciuilis. Actum in Bruna, anno domini M. CC. LXXXVIIII. XV. Kalendas Aprilis.

Ex Annalibus MSS. ejusdem monasterii.

CCLXXXI.

Beneš de Branice (Krawař) confert monasterio Gradicensi ecclesias in Branice et Uwalno una cum earum dote. Dt. Olomucii, IV. Kalendas Aprilis, 1289.

In nomine domini amen. Nos Benesius dictus de Branicz et de Lobenstein tenore presencium fideliter protestamur, quod nos de bona nostra voluntate et domine Elyzabeth vxoris nostre et Wockonis dilecti filii nostri, nec non filiarum nostrarum, Adelheydis et Obgyezka placito et unanimi consensu ecclesias in *Branicz* et *Vualen*, que dicitur *Lobenstein*, in prouincia *Opauiensi*, in quibus ius patronatus obtinemus, domino Budis abbati, successoribus suis et conuentui ecclesie *Gradicensis*, ordinis premonstratensis, Olomucensis diocesis, iam dictum ius patronatus cum omnibus dotalibus attinenciis ecclesiarum predictarum liberaliter et deuote contulimus propter deum iure perpetuo possidendum, cupientes ex affectu, ut in ecclesiis nominatis et ecclesia Gradicensi nostrorum predecessorum et vxoris nostre superius memorate habeatur de cetero cottidie sicut pro benefactoribus ordinis plena memoria animarum. Dos autem ecclesie de Branicz duo lanei, due taberne. Item nos Benesius pro remedio anime fratris nostri Wockonis et nostrorum predecessorum duos laneos contulimus in villa predicta Branicz soluentes annis singulis duas marcas iure sub eodem. Item villa ad Branicensem ecclesiam pertinens *Boboluski*, et de curia nostra Branicz plena decima de campis et de animalibus uiuis plena. Item dos ecclesie Vualen, que dicitur Lobenstein, duo lanei dotales. Item nos Benesius pro remedio anime fratris nostri Wockonis et antecessorum nostrorum contulimus laneum in villa iam dicta annis singulis soluentem mediam marcam iure sub eodem, et de curia ibidem vxoris nostre plenam decimam singulis annis persoluendam. Item ville spectantes ad ecclesiam memoratam, *Bykow, Dubnicye* et alia *Dubnicie de Hradecz*, que sunt ab antiquo iure parrochiali ad iam dictam ecclesiam pertinentes, sicut a progenitoribus nostris certo certius didicimus esse ueras. Ne autem quispiam donationi nostre liberali fraudulenter seu calumpniose valeat contraire, presentes fieri fecimus, sigilli nostri specialis, et aliorum uirorum proborum, videlicet Cyri prepositi ecclesie Olomucensis, magistri Wernheri et Thechoncii canonicorum eiusdem ecclesie munimine roborantes. Huius autem rei testes sunt. Dominus Cyrus prepositus Olomucensis, magister Wernherus, Thechontius, Martinus, Fabyanus canonici Olomucenses. Bohumilus rector scole Olomucensis, Petrus, plebanus sancti Petri, dominus Altburgerius, et alii quam plurimi fide digni. Datum in Olomuc, anno domini MCCLXXXIX. IIII. Kalendas Aprilis.

Ex originali ejusdem monasterii.

CCLXXXII.

Albertus (Alšjk) de Mrljn recognoscit de decimis vinearum in Kowernjk (Kailing) spectantibus ad monasterium Lucense. Dt. III. Idus Augusti, **1289.**

Ego Alsichus miles tenore presentium recognosco, decimam omnium uinearum montium in *Kurnich* ad *Lucense* monasterium legittime pertinere ex antiquo, cuius non existit memoria. Confiteor, et eandem decimam me a uenerabili patre, domino *Symone,* abbate, et conuentu Lucensibus tam prestitorum et prestandorum meorum obseqviorum (intuitu) vsque ad uite mee tempora recepisse, et in signum recognitionis dominii et proprietatis promitto, fideliter annis singulis de eisdem montibus in omnem euentum, siue uinum crescat siue non, in quocunque anno quindecim urnas uini integraliter tempore uindemie ministrare; ita uidelicet, quod huiusmodi decime perceptio et quodlibet ius, quod habeo in eadem decima predictorum montium, siue fuerint ex antiquo, siue tempore succedente aliqva noualia surgere contigerint, post mortem meam ad monasterium Lucense absque omni contradictione meorum successorum libere reuertantur, et quod ad eandem decimam uxor, filii uel amici mei quicumque nullum ius sibi omnino de iure uel de facto possint uel debeant in aliquo uendicare, uel etiam usurpare; renuncians nichilominus omnibus litteris, pactis et priuilegiis et composicionibus, mihi sub forma priori alia per ordinationem antiquam tempore domini *Winandi,* quondam abbatis Lucensis, de monasterio predicto indultis et concessis. In cuius rei testimonium sigillum meum et fratris mei Alberti de Ruzenbruk et aliorum proborum uirorum, qui ad hoc necessarii fuerint, presentibus est appensum. Datum et actum anno domini MCCLXXXIX. III. Idus Augusti. Presentibus domino Iohanne plebano sancti Nicolai in Znoym. Magistro Iohanne Romano. Domino Alberto, milite de Rusenpruk. Domino Chunone de Nasmeritz. Brunone, notario prouinciali Znoymensi, et aliis quam pluribus fide dignis.

E confirmatione episcopi Theoderici ejusdem anni.

CCLXXXIII.

Wenceslaus, rex ***Boemiae*** *et marchio* ***Moraviae****, libertat possessiones et homines magistri scholarum et vicariorum ecclesiae* ***Olomucensis. Dt.*** *in* ***Welehrad****,* ***Idibus Septembris****,* **1289.**

Wenczeslaus, dei gracia rex Boemie et marchio Morauie, omnibus notitiam subscriptorum. Dum natiue originis et clare propaginis beati Wenceslai martyris, quas nos per quemdam regalem defluxum nostrorum progenitorum participationem sanguinis primitias intuemur, dum propter preciosa eius merita a summo rege beatitudinis munera et eterne felicitatis gaudia prestolamur, non tantum ad sue decorem ecclesie ardenti zelo intendamus, sed etiam suorum seruitorum in sua ecclesia diuinis laudibus insudantium immunitatem et libertatem de nostra regali potentia libentius procuramus. Quapropter interuentu beati Wenceslai martyris pro uotiuo celestis brachii auxiliante subsidium obtinere sperantes, si in eius ecclesia in diuino laborantibus officio immunitatis munus benignius elargimur, *Olomucensi* ecclesie in honorem ipsius beati Wenceslai fundate magistrum scolarum et uniuersos vicarios, qui nunc sunt vel in posterum quos esse continget, possessiones ipsorum et pauperes in eisdem residentes ab omni collecta, steura et exactione generali et speciali seu qualicumque tam in ciuitate, quam in villis absoluimus, et immunes esse volumus perpetuo et exemtos. Mandantes uniuersis dicioni nostre subiectis, ut prefatus magister scolarum et vicarii possessionibus quibuslibet tam in ciuitate, quam in villis et pauperibus in eisdem residentibus nullas collectam, steuram et exactionem generalem et specialem requirere et exigere perpetuo audeant vel presumant. In cuius exemptionis et immunitatis nostre testimonium presens priuilegium fieri, et nostrorum sigillorum munimine iussimus roborari. Datum per manus magistri Iohannis, prepositi Saccensis, et marchionatus Morauie protonotarii in Welegrad. Anno domini millesimo, ducentesimo, octuagesimo, quarto Idus Septembris. Indiccione secunda.

Apographum pluries insertum codicibus privilegiorum ecclesiae Olomucensis saepius citatis. — Item in confirmatione Karoli IV. ab anno 1348 in archivo capituli Olomucensis.

CCLXXXIV.

Theodericus, episcopus Olomucensis, confirmat monasterio Lucensi possessionem decimarum montium in Kowernjk (Kailing). Dt. in Modřice, IV. Kalendas Octobris, 1289.

Nos Theodericus, dei gracia Olomucensis episcopus. Notum facimus vniuersis, presentes litteras inspecturis, quod, cum inter religiosos uiros . . abbatem et conuentum monasterii *Lucensis* ex vna parte, et Alsichonem, militem de Melrin, ex altera super decimis omnium uinearum montium circa *Kornich* siue *Hawranich* esset grauis questio suscitata, tandem per uenerabilem uirum, dominum Vlricum, tunc Znoymensem archidiaconum, nunc autem Pragensem prepositum, que iudex erat in causa delegatus a nobis, fuit per compositionem et concordiam terminata, cuius compositionis litteras sigillo eiusdem domini Vlrici et aliis autenticis munitas et illesas omnino nobis transmissas uidimus, et tenorum ipsarum presentibus duximus inserendum, qui talis est: *Nos Vlricus, archidiaconus Znoymensis . . . Acta . . in Znoyma MCCLXXXIV. in die b. Agnetis . . (Vide n. CCXVI.)* Postmodum autem prefatus Alsico volens super iure decimarum predictarum ipsi Lucensi monasterio plene cauere, cartam recognitionis et renunciationis sue abbati et conuentui tradidit, quam uidimus similiter suo sigillo et aliis autenticis sigillatam, sicut subscribitur in eadem, cuius tenorem presentibus inseri fecimus, qui talis est: *Ego Alsichus miles . . . dt. . . MCCLXXXIX. III. Idus Augusti . . (Vide n. CCLXXXII.)* Quia igitur utraque pars a nobis humiliter postulauit, ut prefatas decimas omnium uinearum montium in Kurnich et Howranich confirmaremus Lucensi monasterio memorato: nos premissis omnibus plenius intellectis, quia cognoscimus, prefatas decimas ad ecclesiam in Schatow, et per consequens ad Lucense monasterium ueraciter pertinere, cum existant inter parochiam predicte ecclesie in Schatow, nec possint a laico nisi cum anime periculo detineri, ipsas predicte ecclesie in Schatow et monasterio Lucensi per eam auctoritate ordinaria iure perpetuo confirmamus, prohibentes omnino sub pena excommunicationis, ne predictus Alsichus uel heredes sui quidquam de predictis decimis sibi usurpare, uel quomodolibet detinere presumant; alioquin indignationem dei omnipotentis et beatorum Petri et Pauli, apostolorum, et maledictionem nostram premissam se nouerint incursuros. Datum in Moderiz. Anno domini M. CC. LXXX. IX. quarto Kalendas Octobris.

Ex originali ejusdem monasterii.

CCLXXXV.

Ernestus de Rudikow restituit monialibus in Oslowan jus patronatus ecclesiae in Rudikow. Acta X. Kalendas Novembris, 1289.

Cum rerum et temporum incerti sint euentus, et actiones humane, quantumcunque solempniter celebrate, cum tempore minime tardent defluere, sane precauendum est, quod ea, que tractu temporis queunt alienari et a memoria hominum resecari, testimonio et litteris perhennentur. Notum igitur esse cupimus presencium inspectoribus et auditoribus uniuersis, quod nos *Ernestus* donacionem iuris patronatus in ecclesia de *Rvdwyco,* que a progenitoribus nostris iure successionis in nos translata fuit, contulimus et dedimus abbatisse et conuentui sanctimonialium in *Ozla,* accedente consensu matris nostre, videlicet domine Chvnegvndis, et fratris nostri Hermanni nec non sororis nostre Dymudis recedentes ab omni iure et actione, quam videbamur habere de eadem. Et ut factum diuinitus inspiratum in suo uigore forcius permaneret, accessimus ad altare Marie virginis gloriose quamplurimis presentibus, positis super id manibus nostris prorupimus in hec uerba: Ad laudem dei et gloriam et honorem gloriose virginis Marie matris eius et pro salute carorum nostrorum tam uiuorum, quam mortuorum, et pro nostrorum peccatorum venia consequenda offerimus et damus ius patronatus ecclesie ville de Rvdwyco cum omnibus pertinenciis et appendiciis suis prefatis abbatisse et conuentui in Ozla ad sustentacionem earumdem, ut exinde deo quiecius et liberius vacare possint et seruire, et ut earum inopie de prouentibus memorate ecclesie annis singulis subueniatur. Et ne hec donacio tam solempniter celebrata processu temporis a malignis malignorum hominum suggestionibus possit calumpnie scrupulo perturbari, titulum donacionis, renunciacionis super actione et vexacione qualibet inde conscribi fecimus, et sigillo patris nostri Hermanni dicti de Rvdwyco felicis recordacionis recipere firmamentum. Acta sunt hec anno domini M. CC. LXXXIX. X. Kalendas Nouembris. Coram testibus subnotatis, videlicet domino Matheo de Schernehor, camerario Morauie, domino Brawykone, Zudario Brunnensi. Beneda. Bawaro. Nyschatha de Pirschizc. Hwyko. Marschychone de Schevkwizc, et aliis quam pluribus fide dignis.

Ex originali cum sigillo illaeso in archivo ejusdem monasterii.

CCLXXXVI.

Matthaeus de Nigromonte, camerarius Morariae, attestatur eandem restitutionem ecclesiae in Rudikow. Acta X. Kalendas Novembris, 1289.

Reuerendo in Christo patri et domino Th(eoderico) venerabili episcopo ecclesie Olomucensis, Matheus de Nigromonte, camerarius Morauie et purchrauius in Aychorns, debite promptitudinem reuerencie. Interfuimus presencialiter, quod tenore presencium certitudinaliter et magis lucide protestamur, vbi *Ernestus,* filius consobrini nostri Hermanni dicti de *Ruduicow,* felicis memorie, de consilio sano sue carissime matris domine Gunegundis et fratris sui Hermanni nec non sororis sue Dyemuthis obrenuncians omni iuri simul et accioni, quam in ecclesia in *Ruduicow* habere dignoscebatur, virtute et potencia iuris patronatus ad laudem dei et honorem et gloriam genitricis dei Marie virginis, et pro salute sua suorumque tam viuorum, quam mortuorum remedio peccatorum reuerende domine abbatisse et toti conuentui dominarum in *Osla* bona et libera voluntate omnimode de singulis condescendit, accedente eciam ad hoc domina Iuditha aua eorundem puerorum et fatente, quod idem Hermannus eorundem pater puerorum in preiudicium eiusdem ecclesie de Osla dictam ecclesiam in Ruduicow hucusque tenuisset priuingnaliter. Huius ergo rei scriptis presentibus testes sumus. Acta sunt hec anno domini M. CC. LXXX. IX. X. Kalendas Nouembris.

Ex originali cum sigillo laeso in archivo monasterii Oslowanensis.

CCLXXXVII.

Theodericus, episcopus Olomucensis, confirmat monialibus Oslowanensibus jus patronatus ecclesiae in Rudikow. Dt. in Modřice, XVI. Kalendas Januarii, 1289.

Theodricus, dei gracia Olomucensis episcopus. Karissimis sibi in Christo . . abbatisse et sororibus dominarum de *Osla* sinceram in domino caritatem. Religiosam uitam eligentibus dignum est nos congrua consideracione prospicere, ne cuiusdam necessitatis occasio aut desides faciat, aut, quod absit, robur sancte conuersacionis infringat. Eapropter dilecte in Christo filie uestris supplicacionibus paterno condescendentes affectu et promocionem et commodum vestri cenobii piis animis acceptantes donacionem iuris patronatus, quam Ernestus filius Hermanni quondam de Ruduico de consensu matris et fratris ac sororis in ipsa ecclesia de *Ruduico* uobis et uestro monasterio fecit cum suis pertinenciis pro suorum remedio peccatorum, ratam habemus, et eam auctoritate ordinaria confirmamus, et presentis scripti patrocinio communimus. Datum in Modrich, anno domini millesimo. CC. octuagesimo nono. XVI. Kalendas Ianuarii.

Ex originali ejusdem monasterii.

CCLXXXVIII.

Hermannus, civis Opaviensis, vendit pratum suum apud magnum Hošlice conciribus Ludovico et Isenrico. 1289.

In nomine domini amen. Gesta temporalia lecturis quandoque obliuionum dedita irritari solent per falsa calumpnie argumenta; vtendum est ergo scripture notulis pro cautela, vt, quod fortasse humanis mentibus est lapsum a memoria, hoc reuocetur iterum, fiatque perceptibile ac notorium ex scriptura. Intellectum igitur huius scripti capiant presentis etatis homines vniuersi, futuraque nostra posteritas non ignoret, quod ego *Hermannus,* ciuis *Opauiensis,* dictus de *Lo,* de bona et libera mea voluntate, nec non de omnium heredum meorum consensu, quoddam meum fenetum siue pratum intra terminos ville mee, que vulgariter magnum *Hoschitz* dicitur, collocatum viris idoneis *Lvdwico* et *Henrico,* etiam *Opauie* ciuibus, pro XII marcis argenti puri vendidi, et coram predicte ville mee Hoschitz incolis per metas debitas consignaui, dedique ipsis et eorum successoribus hereditarie possidendum. Hanc tamen conditionis formulam notabiliter inserendo, vt predicti viri Lvdwicus et Henricus eorumue successores nec in steuris nec in exactionibus nec in petitoriis donationum subsidiis neque in aliqua alia penitus solutione incolis inquam ville Hoschitz ingruente michi meisve quibuscunque successoribus sint astricti; nisi quod singulis annis in festo beati Martini vnum tantummodo fertonem argenti puri sub tributo censualis debiti de feneto siue prato prehabito michi vel meis successoribus soluere teneantur. In huius rei testimonium presentem paginam meo sigillo proprio communiui. Item ad ampliorem eiusdem rei geste prouidenciam, certum certo cumulans, hanc litteram sigillo ciuitatis Opauie roboraui. Testibus subscriptis, quorum hic nomina continentur: Goblo, Iacobus, Sifridus, Winandus, villani de Hoschitz. Heinricus Colbo, aduocatus Opauie. Fridericus, Albertus, Giselbertus, Rudlo, consules Opauie. Petrus, Sidelmannus, Heinricus, Conradus, scabini Opauie. Nicolaus de Niza, Heinricus de Strigon, ciues Opauie. Acta sunt hec anno incarnationis dominice MCCLXXXVIIII.

Ex originali in archivo monasterii Opaviensis s. Clarae.

CCLXXXIX.

Theodericus, episcopus Olomucensis, concedit abbati Břewnoviensi in sua dioecesi usum infulae. Dt. in Modřice, V. Kalendas Februarii, 1290.

Theodericus, dei gracia Olomucensis episcopus. Honorabili viro Bauaro, venerabili abbati monasterii Brewnowensis, ordinis sancti Benedicti, Pragensis dyocesis, salutem et sinceram in domino karitatem. Etsi de iure et priuilegiis ecclesie vestre Brewnowensis et consuetudine diucius obseruata in *Raygradensi* monasterio, nostre Olomucensis dyocesis, in spiritualibus et temporalibus uobis subiecto, possitis uti in diuinis officiis infula et aliis insigniis pontificalibus iuxta tenorem vestrorum priuilegiorum; nos tamen volentes propter vestre merita probitatis ac intuitu consanguinitatis, qua mutuo sumus constricti, vestram personam gracia prosequi ampliori vobis concedimus et indulgemus, ut per totam dyocesim nostram Olomucensem, ubi requisiti et inuitati fueritis ad celebracionem diuinorum, uti possitis tam infula, quam aliis insigniis, prout in vestro monasterio Brewnowensi facere consueuistis. Amplius eciam ad honorem vestrum et consolacionem assistencium vestro diuino officio uobis concedimus, ut quadraginta dies indulgencie elargiri possitis uere penitentibus et confessis. In cuius rei testimonium presentes litteras uobis dedimus nostri sigilli munimine roboratas. Datum in Modricz, anno domini millesimo CC. nonagesimo. VI. Kalendas Februarii.

Ex originali in tabulario monasterii Raghradensis.

CCXC.

Idem confirmat collatas a se monasterio Raghradensi in reconciliatione ipsius anno 1288 indulgentias. Dt. in Modřice, III. Idus Martii, **1290.**

Nos Theodericus, dei gratia Olomucensis episcopus, notum facimus vniuersis presentes litteras inspecturis, quod nos anno domini MCCLXXXVIII. die dominica infra octauam natiuitatis beate virginis monasterium sancti Petri in *Reygra,* quod per quosdam sacrilegos latrunculos et raptores captum fuerat et occupatum, et per multas spurticias et inmundicias detestabiles multipliciter execratum, sollempniter reconciliauimus sancti spiritus gratia inuocata cum omnibus altaribus suis. Eodemque die altare sancte crucis reconsecrauimus statuentes, vt sollempnitas dedicationis eiusdem altaris sancte crucis sequente die post diem innocentum; insuper anniuersarius dedicationis altaris sancti Iohannis ewangeliste proxima die dominica post ad uincula sancti Petri annis singulis peragatur. Ceterum omnes indulgentias, quas reuerendi in Christo patres quicunque katholici presules predicte ecclesie seu monasterio sancti Petri in Reygra, aut suis altaribus contulerunt, ratas habemus et gratas, et eas auctoritate ordinaria confirmamus. In cuius rei testimonium super hoc predicto monasterio litteras presentes dari fecimus nostri sigilli munimine roboratas. Datum in Modriz, anno domini M. CC. nonagesimo. III. Ydus Martii.

Ex originali ibidem.

CCXCI.

Idem jura et libertates civitatis Cremsiriensis stabilit. Dt. in Hulju, XIII. Kalendas Julii, 1290.

Theodericus, dei gracia Olomucensis episcopus, omnibus in perpetuum. Vt erga subditos nostros ciues *Cremsirenses* videlicet in huius positionis et plantationis noue situ plurimum fatigatos tanquam erga filios paterne dilectionis impleamus affectum, ut eos in sinu gracie nostre confouendo regulatione debita statum moderemur ipsorum, qualiter ad certa nobis obsequia seu prestationes se agnoscentes teneri, certis quoque beneficiis et libertatibus, ex nostra sibi largitione concessis iucundius perfruantur. Licet eos secundum ius ciuitatis Brunnensis in suis causis et negociis regi et dirigi statuamus, tamen super certis articulis ad eorum instantiam adicere cupientes specialem eis normam de consensu nostri Olomucensis capituli tenore presentium duximus prefigendam. In primis quoque promittimus eisdem, quod in constituendo aduocato seu iudice ciuitatis ipsorum seu etiam remouendo scabinorum ipsorum consilium requiremus, ac statuimus, quod idem iudex seu aduocatus, qui pro tempore fuerit, in iudicando et condempnando, penas inferendo, aut emendas vel culpas exquirendo, teneatur requirere et sequi consilia iuratorum. Item statuimus, ut canonici seu mansionarii ecclesie Cremsirensis octo tantum domos liberas pro se obtineant, ita tamen, ut ad munitionem ciuitatis complendam eorum quilibet, sicut et singuli ciuium teneantur. Item statuimus, ut famuli in ciuitate residentes, aut qui postmodum residebunt, ad obseruandum ius ciuitatis, sicut et ceteri ciues, sint obnoxii et astricti, exceptis filiis Cunlini de Landsberg et filiis Conradi de Iernowicz, qui libertate sua gaudeant, prout in eorum priuilegiis plenius continetur. Meynhardus quoque aduocatus modernus siue in officio suo manserit, siue preter officium, una cum Rudolpho de Schecwicz domos liberas obtineant; sed ad munitionem ciuitatis, sicut ceteri ciues, teneantur. Item concedimus, ut ipsi ciues laneos suos, quos habent in Sechwicz, aut acquirent postmodum, a rusticis vel a famulis, ex ea parte aque Moraue, ex qua iacet ciuitas, in bonis nostris quibuslibet siue villis ad spacium unius miliaris ab ipsa ciuitate, liberos ipsos possideant; collectam tamen seu steuram (secundum antiquam consuetudinem et) secundum estimationem et valorem ipsorum in ciuitate nostra nobis soluere tenebuntur. Nichilominus quoque decimas nobis prestabunt secundum antiquam consuetudinem in huiusmodi hereditatibus obseruatam; verumtamen ex ea annona, ex qua decimas persoluerunt, collectam persoluere minime tenebuntur. Si vero ciues rusticis suis laneos predictos concesserint excolendos ad percipiendum ab ipsis debitam pensionem, tunc secundum quantitatem huiusmodi prouentuum et utilitatum nobis collectam persoluent. Ceterum si huiusmodi laneos vasalli seu feodarii a ciuibus seu rusticis eorum adepti fuerint seu mercati, in soluenda collecta uel decimis predicto iure adstringentur, et ad ius ciuitatis spectabunt, eo saluo, ut, si maluerint pro eisdem laneis teneri ad seruitia et prestationes vasallorum consuetas, hoc in ipsorum arbitrio remanebit. Possessores tamen laneorum ipsorum tenebuntur et stare in iudicio, et querulantibus respondere. Insuper concedimus eisdem, quod siluam versus Hulyn a pontibus aque Moraue incipiendo, ad nostrum spectantem dominium, pro suis necessitatibus et usibus ingredi valeant, et percipere libere ac habere. Alias autem siluas ex alia parte aque, ab ipsa videlicet ciuitate versus Wasan et Trewinik ac alias constitutas, extirpabunt et excident pro pratis suis et humulariis faciendis. Insuper octo diebus ante festum beati Mauritii, quatuor post, fori annualis et nundinarum ipsis concedimus libertatem, quam in huiusmodi consueuerunt habere alie ciuitates. Ad hec statuimus, ut his in septimana qualibet, videlicet quarta feria et sabbato forum habeant in ciuitate, et forensibus mercibus occupentur. Item indulgemus eisdem ciuibus, ut, si quispiam illorum alicui persone in ipsa ciuitate quicquam accomodauerit seu crediderit, huiusmodi debitorem suum in ciuitatem venientem cum nuncio iudicis valeat occupare, nisi clericus fuerit, et tunc res suas tantum interdicere poterit cum nuncio iudicis prelibati. Item statuimus, ut quicunque homo in bonis episcopalibus residens ad ciuitatem nostram causa manendi se voluerit transferre, et domum comparauerit, accepta licentia absque quolibet impedimento veniendi liberam habeat facultatem, nisi contra ipsum cause exorte fuerint, et tunc de querelis exortis in hereditate ipsa se tenebitur expurgare. Hoc idem beneficium ciuibus nostris de ciuitate nostra transire volentibus indulgemus. Item annuimus ipsis, ut omnem suppam liberam habeant, et questus trahendi vasa vini vel cereuisie ad ipsos ciues spectabunt. Item annuimus, ut quidquid in censu utilitatis in ciuitate comparare potuerint, utpote sunt camere pro argenti examinatione et pabulatorum et consimilia, ipsum questum annuatim ad ciuitatis sint munimina posituri. Item statuimus, quod in spatio unius milliaris de ciuitate in episcopatu non braxetur preter in Hulin. Item statuimus, ut, quicunque hospes de Cremsir versus Prerouiam, seu de Prerouia versus Cremsir nititur proficisci, telonium, quod in Hulin daturus est, telonario nostro in Cremsir assignet. Item omnes integre aree civitatis et omnes orti adiacentes ciuitati nobis in festo s. Michaelis XII tenebuntur in denariis deseruire. Item molendinator ciuitatis suo iure ac priuilegio sibi per nos dato tantum gaudebit. Item donamus eis syluam nostram contiguam vineis pertinentibus ad ciuitatem ad extirpandum, agrorum cultibus commutandum, ita tamen, ut de agris predictis iam excultis nobis decimas maiores tantum sint perpetuo soluturi. Item volumus, ut ville versus Prerouiam, ad nostrum pertinentes dominium, videlicet Lobsczicz, Vvgezd, Moschnicz, Racowicz, Kaschicz et Rulant et Lessich, ex alia vero parte Moraue scilicet Sulswicz, Gernowicz, Wasan, Chowalowicz, Zobilicz, Lutopecz et Schechwicz in ciuitate iura requirant. Iudex vero ciuitatis causis arduis in dictis villis emergentibus ad vite condempnationem spectantibus, veluti sunt furta, homicidia et excessus consimiles, tenebitur interesse. Condempnati vero per sententiam in ciuitate seu extra ciuitatem ipsorum tormenta, prout eorum quantitas requiret excessuum, passuri. Predicte ville steuram regis et nostram in ciuitate collectori constituto ex parte regis vel nostri assignare tenentur. Vt autem hec nostra donatio et libertatis concessio rata et firma persistat, presentes litteras ipsis concedendas duximus nostro et capituli nostri Olomucensis sigillis communitas. Datum in Hulin, anno Christi MCCLXXXX. XIII Kalendas Iulii.

E codice Olomucensi I. chart. saepius citato pag. 76.

CCXCII.

Nicolaus papa IV. episcopo Pragensi mandat, ut cum Habardo de Žerotjn et Scholastica, filia Zdeslai de Sternberg, in causa matrimonii dispenset. Dt. apud Urbem Veterem, XII. Kalendas Septembris, **1290.**

Nicolaus, episcopus, seruus seruorum dei. Venerabili fratri . . . . episcopo Pragensi salutem et apostolicam benedictionem. Petitio dilecti filii nobilis viri Hebardi de Sirotin et dilecte in Christo filie nobilis mulieris Scolastice, nate quondam Sdeziai de Sternenberch, tue diocesis, nobis exhibita continebat, quod ipsi olim ignari, quod aliqua esset consanguinitas inter eos, que matrimonium impediret, publice in ecclesie facie matrimonium insimul contraxerunt, nullo super hoc contradicente, vel impedimentum aliquod opponente, ac tandem inter eos carnali copula subsecuta plures filios procrearunt. Verum quia postmodum ad eorum notitiam quorumdam assertione peruenit, quod quarto consanguinitatis gradu sibi adinuicem attinent, propter quod ipsi super hoc apostolice sedis misericordiam implorarunt, et asserentes, quod ex huiusmodi matrimonii separatione, si fieret grauia possent exinde scandala generari, nobis humiliter supplicauerunt, ut prouidere ipsis de opportune dispensationis beneficio misericorditer dignaremur. Nos igitur, qui salutem querimus singulorum et libenter Christi fidelibus quietis commoda procuramus, volentes predictis scandalis obuiare ac predictorum Hebardi et Scolastice animarum saluti paterna in hac parte diligentia consulere intendentes, gerentes quoque de circumspectione tua fiduciam in domino pleniorem, fraternitati tue presentium auctoritate committimus et mandamus, quatenus, si per diligentem inquisitionem super hoc a te faciendam tibi constiterit de premissis, super quibus tuam intendimus conscientiam onerare, cum prefatis Hebardo et Scolastica, quod impendimento consanguinitatis huiusmodi non obstante possint in dicto matrimonio licite remanere, auctoritate nostra dispenses, prolem susceptam et suscipiendam ex eis legitimam nunciando. Datum apud Urbem Veterem, XII. Kalendas Septembris. Pontificatus nostri anno tertio.

E regesto literarum Nicolai IV. an. IV. epist. 348. b. in tabulario Vaticano.

CCLXCIII.

Nicolaus, dux Opaviae, juratis civitatis Opaviae plenam in judicio potestatem concedit, poenas pecuniales minuit, et terminos villae Skřipow designari mandat. **1290.**

Nos Nicolaus, dei gratia Opauie dux. Vniuersis, ad quos hec scripta peruenerint, salutem in eo, sine quo nulla poterit esse salus. Cum ex humana fragilitate et ex temporis successiui continua mobilitate res et rerum actiones possint casualiter irritari, ex necessaria cautione scriptis et litteris est utendum. Nam littera de sui interpretatione dicta est legitera, eo quod ipsa legentibus iter prebeat, et etiam audientibus memorialem tribuat intellectum. Sciant igitur huius tenore littere tam posteri, quam presentes, quod nos fidelium nostrorum ciuium *Opauie* sinceram fidei ac seruitiorum deuotionem frequentius nobis exhibitam intuentes, de nostre serenitatis clementia et fauore quasdam gratias quasdamque gratiarum prerogatiuas inferius singulariter exprimendas ipsis et eorum successoribus hilariter contulimus perpetuo et irreuocabiliter obtinendas, in eo uidelicet, ut prefate ciuitatis nostre Opauie viri iurati, consules et scabini, in eadem ciuitate nostra rectores et prouisores preelecti, de nostre donationis munere hac fungi debeant liberaliter potestate, ut, quidquid de omnibus artificibus eorumque mechanicis operibus, de rerum venundalium et forensium negotiis et exercitiis, imo de hereditatum suarum estimationibus, et simpliciter de singulis et vniuersis causis factisque ciuilibus ad ipsorum curam et prouidentiam pertinentibus ad meliorationem profectumque dicte ciuitatis nostre Opauie fieri debentibus de consilio siquidem seniorum et prudentum ciuium decreuerint, quippiam adinuenire, ordinare, statuere, destituere, permittere, minuere et augere, hec grata, rata, fixa et inuiolabilia sopita qualibet contradictionis instantia uolumus et precipimus sub nostre obtentu gratie ab omnibus firmiter obseruari. Item ut uideamur circa dictam ciuitatem nostram Opauiam affluere beneuolentia speciali, nos iterum, gratiam gratie cumulantes prehabitos consules et scabinos de potestatis nostre robore huiusmodi extulimus libertate, ut, dum in iure suo assederint iudicio, quocumque suo presente iudice hereditario uel non hereditario, et aliqua per ipsos sententia definitiua inuenta fuerit et prolata, de consensu potiorum ciuium habita et laudata, quod nullus hominum possit uel audeat hanc prolationem sententie redarguere, aut uerbo uel opere aliqualiter contraire. Dignum est enim, ut ex eo, quia ipsi consules et scabini uiri sunt iurati, quod eis perfecte credi debeat in hac parte. Preterea in subsidium et leuamen ciuium Opauie predictorum omnes culpas et penas denariales, quas coram suo iudice hereditario uel non hereditario inciderint, minui gratiose fecimus in hunc modum, ut eorum maior pena denarialis triginta solidorum numero sententialiter designetur, pena uero minor quatuor solidis designetur. Insuper quia sepe dicti ciues nostri Oppauie quandam syluam in mensura quadraginta laneorum a patre nostro felicis memorie Othakaro, preclaro rege Boemie, sua pecunia pluries redemerunt, et quia nos villam nostram *Crsypaw* nomine cum uiginti laneis syluosis ad castrum nostrum Grez pertinentibus eisdem nostris ciuibus donauimus iure hereditario possidendam, sicut utrobique per instrumenta super predicta uilla et super dictis laneis eis data uel datis poterunt attestari: Nos postremo ipsam uillam Crsypaw cum sexaginta laneis precepimus certis metis et terminis, que uel qui greniz appellantur vulgariter, procul dubio hereditario designari. Vt autem prescripte gratie et gratiarum prerogatiue donationesque nostre nullius immutationis et reuocationis grauamina sentiant, sed uigeant robore perpetue firmitatis, nos ipsas conscribi fecimus, et ad euidentiam clariorem sigillo nostro hanc litteram decreuimus communiri, testibus adiunctis, quorum sunt nomina scripta: Dominus Zbislaus de Bohuslauiz, Woko de Schytin, Bohuscho, Marquardus de Nasile, Budislaus, nobiles terre. Gerbot, Walterus, ciues de Lupschiz. Bartoldus, Heroldus, Bartoldus de Schenaue, ciues de Wreudenthal. Henricus Kusor, iudex, Arnoldus Resch de Iegerdorff. Acta sunt hec anno domini M. CC. LXXXX.

Apographum in codice MS. privilegiorum Opaviensium in museo ibidem.

CCXCIV.

Wenceslaus, rex Boemiae et marchio Moraviae, concedit civibus Litoviensibus facultatem haereditates a nobilibus emendi, necnon exemtionem agrorum, et jus milliare. Dt. Olomucii, IV. Kalendas Martii, 1291.

Nos Wenceziaus, dei gracia rex Boemie et marchio Moraule. Notum facimus uniuersis presentes literas inspecturis, tam posteris, quam modernis, quod cum de innata nobis clemencia super multiplicandis deuotorum nostrorum commodis, ac profectibus inherere more solito affectemus, tanto diligentius nobis ad ea onus sollicitudinis assumimus, quum ipsis prodesse perspicaciter opinamur, quanto eorum profectus efficacius per nostra presidia cupimus ampliari. Hinc est, quod nos deuotis ac dilectis fidelibus nostris ciuibus *Luthouie* exhibitoribus presentium de benignitate nostre beniuolentie, qua ipsos persequimur clementer, ut a nobilibus et aliis terrigenis nostris quibuslibet hereditates emant pro se et suis heredibus, et eorundem hereditatum laneos mensuratos iuxta mensuram laneorum in Medla vel Noua ciuitate iure ciuili perpetuis temporibus possideant, ex certa nostra scientia plenam libertatem et fauorabilem damus et concedimus potestatem, hoc adiecto, quod de laneo quolibet, quos emerint apud dictos nobiles nostros terrigenas, annis singulis similem censum illi censui, qui de laneo quolibet in Medla vel Noua ciuitate ab antiquo soluitur, et quaslibet exactiones, collectas, et contributiones ex quacunque causa ciuitati eidem impositas simul cum ipsa ciuitate Luthouia nobis et successoribus nostris dicti ciues et heredes ipsorum in perpetuum soluere tenebuntur, authoritate nostra regia sub presenti scripti testimonio statuentes, quod occasione predictorum laneorum, quos emerint, ad terre iudicium et iurisdictionem beneficiariorum quorumcunque, qui pro tempore fuerint, in causis quibuslibet nullatenus iidem ciues nostri in perpetuum debeant pertinere, sed iuribus, que dicte ciuitati competunt ab antiquis temporibus, tam in iudicio, quam extra iudicium uti debent; ad hec dictis ciuibus nostris, libenter concedimus, ut non obstante alicuius impetitione de illis rubetis, que sunt in medio laneorum dicte ciuitatis Luthouie agros aratiles faciant, rubeta eadem exstirpando. Volumus preterea, ut nullus nobilium quemlibet, hominem de bonis suis ad dictam ciuitatem nostram transire volentem retinere, aut in aliquo penitus molestare presumat, sed libenter ipsum dimittat, et super hiis, que contra eundem mouere aut proponere habuerit, in iudicio dicte ciuitatis ius suum prosequatur, et iustitiam sibi postulet exhiberi. Inhibemus insuper expresse, ut nullus omnino hominum a predicta ciuitate Luthouia ad omne latus in spacio unius miliaris tabernam, braxare, aut ulla fora habere presumat. In quorum omnium testimonium et robur perpetuo duraturum presentes fieri, et sigillorum nostrorum munimine fecimus communiri. Datum in Olomucz per manus magistri Iohannis, Sacensis prepositi, prothonotarii nostri Morauie. Anno domini M. CC. XC. I. quarto Kalendas Martii. Indictionis quarte.

Ex originali ejusdem civitatis.

CCXCV.

Nicolaus papa IV. monasterium s. Katherinae Olomucii in protectionem suscipit, ejusque possessiones confirmat. Dt. apud Urbem Veterem, II. Nonas Martii, 1291.

Nicolaus, episcopus, seruus seruorum dei. Dilectis in Christo filiabus . . . priorisse et conuentui monasterii sancte *Katherine Olomucensis,* secundum instituta et sub cura ordinis fratrum predicatorum uiuentibus, salutem et apostolicam benedictionem. Cum a nobis petitur, quod iustum est et honestum, tam uigor equitatis, quam ordo exigit rationis, ut id per sollicitudinem officii nostri ad debitum perducatur effectum. Eapropter, dilecte in Christo filie, uestris iustis postulationibus grato concurrentes assensu, personas uestras et locum, in quo diuino estis obsequio mancipate, cum omnibus bonis, que impresentiarum rationabiliter possidetis, aut iustis modis prestante domino poteritis adipisci, sub beati Petri et nostra protectione suscipimus. Specialiter autem decimas, prata, pascua, nemora, terras, possessiones et alia bona uestra, sicut ea omnia iuste et pacifice possidetis, uobis et per uos monasterio uestro auctoritate apostolica confirmamus, et presentis scripti patrocinio communimus, salua in predictis decimis moderatione concilii generalis. Nulli ergo omnino hominum liceat, hanc paginam nostre confirmationis infringere, uel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attemptare presumpserit, indignationem omnipotentis dei et beatorum Petri et Pauli, apostolorum eius, se nouerit incursurum. Datum apud Vrbem ueterem. II. Nonas Marcii. Pontificatus nostri anno quarto.

Ex originali ejusdem monasterii.

CCXCVI.

Wenceslaus, rex Boemiae et marchio Moraviae, eximit cives Olomucenses a solutione telonei Litoviae et in Kogetjn, necnon de jurisdictione et libertate bonorum per eos a nobilibus emtorum et de jure milliari ordinat. Dt. Olomucii, IV. Idus Aprilis, 1291.

Nos Wencezlaus, dei gratia rex Bohemie, dux Cracouie et Sandomerie, marchioque Morauie, tenore presencium notum facimus vniuersis tam presentibus quam futuris. Quod licet de innata nobis benignitatis nostre clementia super multiplicandis omnium deuotorum fidelium nostrorum commodis et profectibus, solito intendamus affectu, singulariter tamen et precipue ad illorum promotiones nostra presidia porrigere allicimur tanto libencius, quanto pro quibus efficacius sincera deuocio et grata obsequiorum promptitudo multipliciter intercedunt. Quocirca de circumspecta liberalitate nostra regali dilectorum nobis ciuium *Olomucensis* ciuitatis sinceram et gratam nobis sue deuotionis promptitudinem diligencius attendentes, et uolentes propterea eos munifice gratie fauoribus prosequi, ipsos fideles nostros dilectos ciues Olomucenses vniuersos eorum supplicationibus benignius inclinati a solucione thelonei in *Luthouia* perpetuo absoluimus. Reddentes eos etiam absolutos ab illo theloneo, quo in *Cogetin* indebite grauantur, maxime cum se asserant ad soluendum idem theloneum nullo esse iure aut consuetudine obligatos. Adhec de speciali munificencie nostre gracia eosdem ciues nostros Olomucenses in possessionibus suis, quas aput nobiles et alias personas cuiuscumque condicionis existant, hactenus emerunt, et etiam de illis possessionibus, si quas eos inposterum emere continget ubicumque ab omni iuridiccione ac impeticione beneficiariorum quorumlibet eximimus graciose. Volentes quod si quis contra ciuium nostrorum eorundem aliquem accionem aliquam ex causa quacumque proponere et mouere habuerit, is coram iudice, iuratis et vniuersitate dicte ciuitatis Olomucensis accionem et causam suam iure quod eidem ciuitati competit prosequatur. Superadicimus hoc insuper, quod dicti ciues nostri Olomucenses generales collectas toti terre impositas collectoribus eiusdem generalis collecte de possessionibus suis, emptis vel adhuc emendis aput nobiles et alios terrigenas nostros quoscumque amplius soluere minime teneantur, sed cum collecte contributiones et exacciones alique, aut aliquod aliud seruicium dicte ciuitati Olomucensi occasione aliqua impositum fuerit, tunc dicti ciues, qui huiusmodi possessiones emptas aput nobiles et terrigenas nostros quoscumque habuerint, de possessionibus suis eisdem vnacum ipsa ciuitate Olomucensi inpositas sibi dictas collectas, contribuciones et exacciones quaslibet tolerabunt et efficaciter adimplebunt. Preterea de possessionibus ipsis a nobilibus et aliis quibuscumque personis emptis et emendis ad expedicionem aliquam non magis esse debent astricti, quam de bonis suis in prima locacione eidem ciuitati annexis. Amplius ad maioris gracie nostre cumulum hoc superaddimus et uolumus: ut nullus nobilium et terrigenarum nostrorum quemlibet hominem de bonis suis ad dictam ciuitatem nostram transire volentem iniuriose retinere, aut in aliquo penitus molestare presumat, sed ipsum libere dimittat. Et si eidem nobili aut terrigene contra hominem ipsum aliqua competit accio coram iudice iuratis et vniuersitate ciuium dicte ciuitatis Olomucensis prosequatur eandem, qui sibi exhibere plene iusticiam tenebuntur. Ceterum ut dicti ciues dilecti fideles nostri de ampliata sibi nostre magnificencie liberalitate commoda plura ferant, presentis priuilegii nostri continencia vniuersis et singulis inhibemus firmiter et expresse, vt nullus hominum a predicta ciuitate Olomucensi ad omne latus in spacio vnius miliaris ceruisiam braxare de cetero audeat seu presumat. In quorum omnium testimonium et robur firmiter valiturum presentes fieri, et sigillorum nostrorum munimine fecimus liberaliter communiri. Quoniam autem hec omnia et singula supradicta uigorem obtinere volumus perpetuis temporibus duraturum, mandamus igitur tenore presencium, ne quis beneficiariorum, iudicum et officialium ac fidelium quorumlibet terre Morauie has nostre concessionis gracias audeat infringere ullo modo, aut eis in aliquo ausibus temerariis aliquatenus contraire. Quod si quis contrarium presumpserit, nostram grauem indignacionem ad offensam suam se senciat incursurum. Datum Olmucz per manus magistri Iohannis, Sacensis prepositi, prothonotarii nostri Morauie. Anno domini millesimo, ducentesimo, nonagesimo, primo, quarto idus Aprilis. Indiccionis quarte.

Ex originali ejusdem civitatis cum sigillo bilaterali integro.

CCXCVII.

Nicolaus papa IV. mandat revocationem alienatarum a monasterio Tišnowicensi possessionum. Dt. apud Urbem Veterem, Kalendis Julii, **1291.**

Nicolaus episcopus, seruus seruorum Dei. Venerabili fratri . . . . episcopo Olomucensi salutem et apostolicam benedictionem. Ad audientiam nostram peruenit, quod tam dilecte in Christo filie, abbatissa et conuentus monasterii de *Porta Celi,* ordinis Cisterciensis, tue diocesis, quam ille, que in monasterio ipsi precesserunt, easdem decimas, terras, domos, redditus, vineas, prata, nemora, molendina, syluas, maneria, iura, iurisdictiones, pascua, piscarias, possessiones, et quedam alia bona ipsius monasterii latis super hoc litteris, factis renunciationibus, iuramentis interpositis, penis adiectis, in grauem ipsius monasterii lesionem nonnulis clericis et laicis, aliquibus eorum ad vitam, quibusdam uero ad non modicum tempus, et aliis perpetuo ad firmam uel sub censu annuo concesserunt, quorum aliqui super his confirmationis litteras in forma communi a sede apostolica impetrasse dicuntur. Quia uero nostra interest, lesis monasteriis subuenire, fraternitati tue per apostolica scripta mandamus, quatenus ea, que de bonis ipsius monasterii per concessiones huiusmodi alienata inueneris illicite uel distracta, non obstantibus litteris, renunciationibus, iuramentis, penis et confirmationibus supradictis studeas ad ius et proprietatem eiusdem monasterii legitime reuocare, contradictores per censuram ecclesiasticam appellatione postposita compescendo. Testes autem, qui fuerint nominati, si se gratia, odio uel timore subtraxerint, censura simili appellatione cessante compellas veritati testimonium perhibere. Datum ad Urbem veterem Kalendis Iulii. Pontificatus nostri anno IV.

Ex originali ejusdem monasterii.

CCXCVIII.

Wenceslaus, rex Boemiae et marchio Moraviae, forum annuale circa s. Galli in civitate Brunensi statuit. Dt. Pragae, 13. Julii, **1291.**

Wencezlaus, dei gracia rex Bohemie, dux Cracouie et Sandomirie marchioque Morauie. Priuatis et propriis rerum suarum augmentis prudenter consulit, et consulte generalibus reipublice profectibus ac commodis prouidet circumspecti sagax experiencia prouisoris, ita ut priuatorum intuitu commune bonum non negligat, et circa communia sapienter et prouide disponat et ordinet res priuatas. Nouerint igitur presentes et posteri vniuersi, quod nos ad commune bonum et publicum vicinorum commodum, specialemque ciuitatis *Brunnensis* ac marchionatus nostri profectum considerationis nostre conuertentes aspectum deliberatione matura nundinas siue forum annuale in predicta ciuitate Brunnensi decreuimus statuendum, et statuimus potestate nostra regia annis singulis perpetuo duraturum; volentes et ordinantes stabiliter et constanter, vt a die sancti Galli capiens inicium idem forum continuo dierum quatuordecim spacio siue tractu stare ac durare debeat annuatim. Vt autem ad querendum et frequentandum nvndinas siue forum annuale prefatum mercatorum et hospitum singulorum affecciones et desideria efficacius conuertantur, omnibus et singulis predictas nvndinas siue forum annuale in Brvnna mercandi causa siue pretextu accedentibus talem concedimus graciam libertatis, vt octo dierum spacio predictum diem sancti Galli immediate precedentium, et ab ipso die sancti Galli tractu dierum quatuordecim continuo mercatores et hospites vniuersi in accessu ciuitatis Brunnensis predicte quoad merces et personas ipsorum ab omni exaccione et tributo Brvnnensis thelonei sint liberi et immunes. Nullus ergo omnino nobilium, ciuium, officialium, dominorum vel prefectorum predicti Brvnensis thelonei sev aliorum quorumlibet ausu temerario presumat violare uel infringere hanc nostre gratiam libertatis predicte ciuitati, et mercatoribus uniuersis indultam, prout rerum suarum dispendium et indignacionis regie ingratitudinem diligit euitare. In cuius rei testimonium et robur perpetuo valiturum presens priuilegium dicte ciuitati Brunnensi dari mandauimus, sigillorum nostrorum munimine roboratum. Datum Prage per manus magistri Iohannis, Satzensis prepositi, prothonotarii marchionatus Morauie. Anno domini millesimo, ducentesimo, nonagesimo, primo, in die beate Margarethe. Indictionis quarte.

Ex originali ejusdem civitatis.

CCXCIX.

Ordinatio anniversariorum in ecclesia cathedrali Olomucensi. Acta 21. Septembris, 1291.

Vniuersis presencium noticiam habituris religiose deuotionis affectum morum necnon nostrarum saluti animarum prouidere uolentes, dum diuine recordacionis fundator ecclesie nostre regum, ducum, pontificum, ac predecessorum nostrorum fratrum, videlicet prelatorum, canonicorum, benefactorum quorumlibet ac familiarium in Christo quiescentium animarum curam gerentes, talium in ecclesia nostra ministrorum cultum, utpote missas, orationes et elemosynas instituimus, quorum pio intentu anime ipsorum terrenis exute contagiis in eterne felicitatis gaudiis perenniter incundentur. Salutifero igitur ordinationis remedio dictis animabus salubriter apud deum occurrere cupientes, quarto die post festum beati Matthie apostoli in ecclesia Olomucensi capitulo celebrato statuimus et ordinanimus pro eisdem infra cuiuslibet anni spacium quinque anniuersarios in nostra Olomucensi ecclesia in vigiliis, missis, orationibus et elemosynis, adiectis post missam orationibus, que incipiunt: Obsecramus, prouisis etiam ad offertorium LXX denariis et totidem candelis solempniter celebrandos. In primo anniuersario, quem quarto die post festum beati Bartholomei agendum decreuimus, fundatoribus ecclesie Olomucensis omniumque regum ac ducum Bohemie et Morauie agetur memoria, et orabitur pro eisdem, vigiliis autem et misse omnes canonicos presentes et vicarios, nisi quem infirmitas aut occasio legitima excusauerit, volumus interesse, alias transgressor per decanum de fratrum consilio punietur. Quilibet etiam canonicus presbyter et vicarii omnes eodem die missas defunctorum celebrabit; unusquisque vero canonicus non sacerdos septem psalmis penitentialibus et quindecim gradibus pro animabus predictis deuote ac fideliter insudabit. Eodem eciam die de bonis obediencie in Rozwadowicz obedienciarius, qui pro tempore dictorum bonorum possessor extiterit, omnibus canonicis, uicariis et scholaribus, plebano eciam s. Petri cum clerico de refectione seu prandio ac de denariis cum candelis supradictis pro offertorio prouidebit. Omnes etiam domini canonici, vicarii et clerici in eodem discumbentes refectorio religiosis vestibus, videlicet superpelliciis induti lectioni usque ad finem mense intendant.

Ad hoc centum viginti pauperibus extra refectorium constitutis unicuique panem unum et eciam de carnibus cum oleribus vel rapula et scyphum cereuisie obedientiarius ministrabit. Numerus autem ferculorum pro dominis canonicis et vicariis senarium numerum non extendit. Hec autem fercula sunt, que debent ministrari, scilicet pulli, ferina, olus cum carnibus vel cum rapulis tempore hyemali, assaturas, pastilla et warmasium. Si vero dies ieiunii fuerit, pisces triplices, prout illo tempore poterit inuenire, cum aliis tribus ferculis dictus obedientiarius procurabit. Hoc adiecto, quia decanus et prepositus singulariter sedentes singulas habebunt scutellas, et unicuique ipsorum tantum, quantum duobus canonicis ministrabitur, in eisdem una media austriacalis vini et cereuisie ministrabitur, quantum fuerit optimum; clerici vero tribus tantummodo ferculis vescentur, et cereuisiam tantum bibent. Adiicimus eciam, quod nulli omnino scutellas suas ex refectorio familie sue liceat mittere; omnia enim ad usum pauperum disposuimus erogari. Statuimus eciam, vt qui in refectorio comedere noluerit, porcionem ferculorum et potus penitus sit priuatus, nisi quem occasione legitima et de licentia decani liceat absentari, ad domum suam, que ipsum continget, recipere poterit porcionem. In secundo anniuersario, quem proxima feria secunda post dominicam Inuocavit, statuimus celebrari, omnium episcoporum ecclesie Olomucensis defunctorum agetur memoria, in quo de bonis ecclesie et obediencie . . . . (?) ita per obedienciarium, qui pro tempore fuerit, in omnibus missis, videlicet refectorio, elemosynis, denariis et candelis pro offertorio et aliis uniuersis et singulis hoc modo et ordine prouidebitur, sicut superius est expressum. Tertium anniuersarium in remedium animarum predecessorum nostrorum, prelatorum videlicet et canonicorum ecclesie nostre sequenti die post festum s. Hieronymi agendum procurauimus, in quo de bonis obediencie de Wische per obedienciarium, eorundem bonorum rectorem in omnibus, sicut superius continetur, disponimus prouideri. Item eciam obedienciarius singulis annis mediam marcam argenti in sacristia pro usu dominorum reponet. In quarto anniuersario omnium benefactorum ecclesie Olomucensis in die Prisce fiet memoria, in quo de bonis predicte obediencie in Rozwadouicz eo modo, sicut prius, prefatus obedienciarius omnia tenebitur procurare, hoc addito, quod de bonis obediencie in Neredin obedienciarius, eorundem possessor bonorum, dicto de Rozwadouicz obedientiario, ut eo melius expensis possit sufficere, tres fertones argenti singulis annis persoluet. Quintum anniuersarium tertio die post Trinitatis pro omnibus in ecclesia nostra et cimeterio sepultis agemus, in quo de bonis obedientie in Pricass, qui tunc fuerit obedienciarius, sicut et alii obedientiarii ad procurandum et ministrandum omnia erit, ut supra diximus, obligatus, et licet in predictis anniuersariis omnium predecessorum nostrorum decanorum, prepositorum et canonicorum necnon benefactorum ecclesie nostre generaliter agatur memoria. Illorum tamen, qui certos et in Kalendario annotatos habeant anniuersarios, memoriam seu exequias suis temporibus volumus celebrari. In cuius ordinationis nostre testimonium et robur perpetuo valiturum, et ut a successoribus nostris fideliter obseruetur presentes literas fecimus fieri et sigillo capituli nostri communiri. Actum in ecclesia nostra anno domini millesimo, ducentesimo, nonagesimo, primo, in festo beati Matthei apostoli.

E libro necrologii coaevo ejusdem ecclesiae.

CCC.

Wenceslaus, rex Boemiae et marchio Moraviae, confirmat fratribus sancti Joannis in Meilberg emtionem prati cujusdam siti apud Antiquum Erdberg. Dt. Brunae, IV. Kalendas Februarii, 1292.

Nos Wencezlaus, dei gracia rex Bohemie, dux Cracouie et Sandomirie marchioque Morauie, harum serie notum facimus vniuersis, qvod, cum honesti et religiosi viri commendator et fratres domus in *Murperk,* ordinis sancti *Iohannis* hospitalis Ierosolimitani, quoddam pratum situm apud antiquum *Erpurk,* quod prouidus vir *Conradus,* miles de *Zwingendorph,* dictus Bohemus, hactenus iure teutonico tenuit et possedit, pro vtilitate iam dicta domus sue emerint ad habendum et possidendum idem pratum, iure etiam teutonico, quod Purk Recht vulgariter nuncupatur, hac nichilominus conditione adiecta, quod prefatus commendator et predicti fratres domus eiusdem iuxta consuetudinem diuturnam a possessoribus dicti prati obseruatam vnum talentum Wiennensium denariorum in festo s. Georgii annis singulis, quamdiu pratum idem ad ipsam domum pertinebit, in nostram cameram nobis soluerit, cumque commendator et fratres predicti nobis humiliter supplicauerint, vt emptionem ipsam nostro instrumento dignaremur de nostra clementia confirmare, nos deuotis supplicationibus commendatoris et fratrum eorundem de predicto Murperk propter sue deuotionis merita benignius inclinati, emptionem eandem modo premisso per eos factam ex certa nostra scientia ratam et gratam habemus, ac ipsam presentis scripti patrocinio communimus. In cuius rei testimonium presentes fieri, et sigillorum nostrorum munimine fecimus roborari. Datum Brunne per manus magistri Iohannis, Sacensis prepositi, prothonotarii nostri Morauie. Anno domini millesimo, ducentesimo, nonagesimo, secundo; qvarto Kalendas Februarii.

Ex originali in archivo M. Prioratus Melitensium Pragae.

CCCI.

Idem civibus Znoymensibus exemtionem a jurisdictione beneficiariorum et a solutione collectae generalis, necnon jus milliare in braxatura concedit. Dt. Brunae, IV. Kalendas Martii, 1292.

Wenceзlaus, dei gracia rex Bohemorum, dux Cracouie et Sandomirie marchioque Morauie. Inter ceteras uirtutes, quibus regalis excellencie dignitas insignitur, illud ad decus et gloriam regibus non modicum accedere censemus, dum fideles suos per circumspecta studia fructuosius libertatum graciis locupletant; sic enim iusticie debitum adimplent, sic gloriam aput homines et aput deum felicitatem perpetuam nanciscuntur. Eapropter tenore presentis priuilegii notum facimus vniuersis tam presentis etatis hominibus quam future, quod nos de ingenita nobis clemencia, consideratis indigenciis et defectibus multiplicibus dilectorum ciuium nostrorum *Znoymensium,* quos singulari fauoris nostri gratitudine, propter sue fidei et deuocionis constanciam amplectimur clementer, ac uolentes eos propter gratam seruiciorum suorum promptitudinem, quam nobis beneuolis affectibus exhibuerunt hactenus, et in posterum efficacius exhibere poterunt, sic munifice gracie prosequi fauoribus, ut a nostra celsitudine affectata beneficia se tulisse gaudeant, que ipsis pariant deinceps profectuum incrementa; presertim cum simus eciam deuotis ipsorum supplicacionibus benignius inclinati, ciues ipsos Znoymenses et heredes ac successores ipsorum quoslibet de vniuersis suis prediis et hereditatibus, que ad ipsam ciuitatem Znoymensem ex antiquo a primeua eius fundacione et locacione sunt annexa per progenitorum nostrorum graciam et fauorem, ac de illis possessionibus, quas de nouo emerunt et in posterum eos emere contigerit, a iurisdicione ac impeticione qualibet omnium beneficiariorum absoluimus graciose, tenore presencium decernentes, ut ammodo ciues iidem et eorum successores, coram camerario dumtaxat terre Morauie, qui pro tempore fuerit, aut iudice ciuitatis eiusdem de predictis vniuersis suis possessionibus, quas ex nunc habent et in posterum habebunt, extra beneficiariorum officia debeant pro causis et excessibus suis quibuslibet conueniri. Superadicimus insuper, ciues eosdem ac pauperes degentes in hereditatibus ipsorum ad ipsam ciuitatem ab antiquo pertinentibus, et de illis hereditatibus, si quas ammodo emptas et acquisitas ubicunque hereditario aut emphiteotico iure propriis excolent araturis, ac eciam de molendinis nullum sibi censum soluentibus, sed ea elocantibus per eos propriis sumptibus ubicunque ad soluciones generalis collecte deinceps non teneri, ampliora tamen et specialia occasione huiusmodi bonorum de cetero emptorum, que ad proprias culturas tenebunt, nobis aut heredibus nostris, quando requisiti fuerint, iure ciuili seruicia exhibebunt. Illi uero pauperes eorum, quos in possessionibus ac molendinis emptis inposterum censum sibi soluentes habebunt, generales collectas, sicut et alii terrigenarum pauperes, se persoluere tenebuntur. Amplius, ut ipsi eciam ciues a nostra liberalitate commoda plura ferant, statuimus et uolumus, precise inhibentes auctoritate nostra, ne quis incolarum in bonis nostris et bonis cuiuscunque in spacio vnius miliaris ad omne latus eiusdem ciuitatis, nisi de ipsorum ciuium fuerit licencia speciali, cereuisiam uenalem braxare ulterius audeat nec presumat. Vt autem hec omnia et singula supradicta uigorem obtineant perpetuo duraturum, presentis priuilegii continencia et regia nostra potestate mandamus, firmiter iniungentes, vt nec camerarius, qui pro tempore fuerit, nec aliquis beneficiariorum, purcrauiorum, prouincialium, baronum, nobilium ac quorumlibet aliorum officialium et fidelium nostrorum terre Morauie, has nostre concessionis gracias ausu temerarie infringere, aut eis aliqualiter contraire (presumat), sicut regie celsitudinis nostre grauem ingratitudinem diligit euitare. In quorum omnium testimonium et robur firmitatis ualiturum presentes fieri, et sigillorum nostrorum munimine fecimus ad perpetuam memoriam presentium et futurorum liberaliter communiri. Datum Brune per manus Iohannis, Sacensis prepositi, prothonotarii nostri Morauie. Anno domini millesimo, ducentesimo, nonagesimo, secundo. Quarto Kalendas Marcii. Indiccionis quinte.

Ex originali ejusdem civitatis.

CCCII.

Locatio civitatis Albae Ecclesiae a monasterio Gradicensi decretatur. Actum Olomucii, 2. Martii, 1292.

In nomine domini, amen. Cum humane conditionis propago uacillantibus actibus uegetetur, ordo approbate rationis (requirit), ut litterarum siue testium firmitatis roboribus permaneat inconuulsa. Constare igitur uolumus vniuersis intuentibus presens scriptum, quod nos Chwalco, miseratione diuina abbas, et totus conuentus monasterii in *Hradisch*, ordinis Premonstratensis, ciuitatem nostram in *Alba Ecclesia* ex communi decreto Gerlaco locandam concessimus in hunc modum, ut dictus Gerlacus quinquaginta laneos Chrudimensis mensure in sua locatione ad eandem ciuitatem debeat continere, donantes sibi tres laneos liberos et heredibus siue suis successoribus vniuersis, et tertium denarium in culpis, ex quibuscunque iudiciis fuerint deriuati, etiam si nos personaliter aut nostros nuntios ibi contingat iudicio presidere. Conferimus etiam sibi quatuor panis bancos, quatuor macella, molendinum cum quatuor rotis, balneum, hec omnia libere possidenda, piscationes et uenationes ibi sibi, prout iustum fuerit, indulgemus. Nobis uero in eisdem bonis uenandi et piscandi reseruamus liberam facultatem. Omnibus autem in dicta ciuitate mansuris per sex annos in agris iam exstirpatis a festo Walpurgis proximo concedimus libertatem, in exstirpandis uero a festo dicto per XII. annos gaudeant libertate. Volumus etiam, quatenus iidem ciues in iure Olomucensis ciuitatis debeant residere. Sed qui culpam meruerit, ad medietatem culpe soluende tantummodo teneatur. Finita uero dicta libertate quilibet laneus in censu soluet dimidiam marcam argenti in festo Walpurgis, et duos denarios delentios notario nostro, et unam scapulam bonam in festo Pasche, et quatuor caseos in Pentecoste, quatuor pullos in festo Michaelis, que omnia nobis iudex idem aut nuntius suus in monasterio presentabit. Item quilibet laneus ciuitatis, taberna et quilibet artifex dabit sex denarios decimales episcopo in festo Martini, sex denarios ad pontem in Prerow in rogationibus, et quilibet subses agros non habens duos denarios dabit episcopo, et duos ad pontem in dictis terminis, in quibus nullam, et in collecta regis, si occurret, nullam concedimus libertatem. Et si regem uel reginam ibi transire contigerit, ipsis ciuibus in expensis tota abbatia contribuere teneatur, cum et ipsi aliis nostris hominibus sint ad similia obligati. Volumus etiam, ut nos, cum ibi uenerimus, et notarium cum aliis nuntiis nostris tempore census in expensis procurent. Item inhibemus, ne aliquis tabernam infra milliare ad eam ciuitatem habeat, nisi de assensu ciuium speciali, et infra milliare in siluis, pratis ecclesie habeant potestatem. Volumus etiam, ut idem Gerlacus iudicium suum, prout possidet, vendere vel commutare valeat fide digno. Damus eidem Gerlaco in vniuersis uillis eiusdem prouincie, que teutonicis locate fuerint, de duobus denariis, qui nos in culpis contingunt, tertium denarium. Liceat etiam sibi ter in anno in eisdem uillis iudicio presidere, quod iustum fuerit, decernendo. Ad perpetuam igitur habendam memoriam presentes litteras sigillis nostris fecimus roborari. Actum in Olmucz, anno domini M. CC. LXXXX. dominica Reminiscere.

Ex Annalibus MSS. ejusdem monasterii saepius allatis.

CCCIII.

Wenceslaus, rex Boemiae et marchio Moraviae, civibus Brunensibus liberam consulum electionem, et exemtionem a judicio terrae concedit, atque de collecta coronationis, de debitis et domibus nobilium, de mercatu et de detentione praedonum in civitate ordinat. Dt. Brunae, III. Idus Martii, 1292.

Wencezlaus, dei gracia rex Bohemie, dux Cracouie et Sandomirie marchioque Morauie. Inter gloriosa regalis excellencie studia et digna preconiis opera illud nobis ad fastigia glorie nostre accedere non modicum arbitramur, dum fideles nostros ditamus beneficiis libertatum, pro quibus deuocionis sinceritas multipliciter intercedit. Ea propter noscat tam presens etas, quam successura posteritas futurorum, quod nos dilectorum nobis ciuium *Brunnensium,* quos inter alios fideles nostros speciali gratitudine propter sue deuocionis merita prosequimur benigne, deuotis supplicacionibus inclinati clementer damus et concedimus eis plenariam potestatem, de vnanimi consensu totius ciuitatis eiusdem inter se iuratos seu consules viros fide dignos, qui eis omnibus communiter expedire videantur, semper circa octauas resureccionis domini nostri annis singulis eligendi, per annum tantummodo duraturos, nisi per reatum notorium eorum aliquis aut plures demereantur destitui ante annum; hoc nichilominus adiecto, quod ciues predicti celebrata electione iuratorum eorundem nobis eos, si tunc in terra Morauie presentes fuerimus, aut prothonotario nostro, sed in absentia nostra camerario, qui pro tempore fuerit, vice nostra, pro viris fide dignis et ydoneis presentabunt. Concedimus etiam ciuibus eisdem, ut pro causis quibuslibet per beneficiarios quoscunque de possessionibus ipsorum, et propter easdem extra ciuitatem ad iudicia terre per citaciones aliquas non trahantur; eo dumtaxat excepto, quod si eorumdem ciuium aliquis hereditates alicuius sibi usurpare indebite aut metas hereditatis uiolare presumpserit, tunc pro huiusmodi duabus causis tantummodo ad terre iudicium citetur. Et cum ad solempnitatem nostre coronacionis dicti ciues nostri in ciuitate specialem, et extra ciuitatem de bonis suis inpositam toti terre soluerint generalem collectam, ammodo quandocunque tam ciuitati eidem, quam toti terre eadem vice simul et semel inposita fuerit collecta, tunc ab eis contenti esse uolumus collecta ciuitatis. Ad hec predicti ciues illos nobiles terre Morauie, qui debita contraxerint apud eos, que decem marcas argenti excedent, quando quater in anno in quatuor temporibus ad tractatus suos in ipsam ciuitatem conueniunt, premissa citatione eos coram beneficiariis super suo debito conueniant; et si iustitiam a beneficiariis nostris non fuerint consecuti, tunc camerarius noster, qui pro tempore fuerit, vices nostras super facienda ipsis iusticia prosequatur. Ceterum omnes domus nobilium in eadem ciuitate Brunnensi ad contribuciones impositas dictis eiusdem ciuitatis ciuibus volumus teneri, deductis solummodo illis nobilium domibus, quas a progenitoribus suis liberas habuerunt, aut que in dotibus ecclesiarum ab ipsis nobilibus possidentur. Statuimus insuper et uolumus, in ipsa ciuitate Brunnensi vniones aliquas decetero non haberi, sed singulis diebus fori vniuersi incole quorumcunque locorum cum suis mercibus ad ipsam ciuitatem libere accedant. Aliis vero diebus accole in suburbiis ciuitatis eiusdem manentes in ipsa ciuitate tractent libere merces suas. Liceat preterea dictis nostris ciuibus, ut eorum per hec commoda perpensius augeantur, illos predones, qui in terris nostris nulla dominia nec aliqua bona immobilia possident, propter excessus ipsorum notorios, qui nulla tergiuersacione celari possunt, in ciuitate ipsa libere occupare et detinere ad obtinendam iusticiam de ipsis. In quorum omnium testimonium et robur perpetuo duraturum presentes fieri, et sigillorum nostrorum munimine fecimus liberaliter communiri. Datum Brunne per manus magistri Iohannis, Sacensis prepositi. Anno domini millesimo, ducentesimo, nonagesimo, secundo. III. Idus Marcii. Indictionis quinte.

Ex originali ejusdem civitatis.

CCCIV.

Budška de Laučka (Dubna) vendit villam Schönstrass fratribus militiae templi in Čegkowice. Dt. Brunae, VII Idus Aprilis, **1292.**

In nomine sancte et indiuidue trinitatis. Budsca cum dilecto filio nostro Witigone de Luscha presens scriptum inspecturis omnibus imperpetuum. Quoniam omnium habere memoriam pocius est diuinitas, qvam humanitas, ideo conscribi solent, qve aguntur, ne obliuioni tradantur. Noscat igitur tam presens etas, qvam in Christo successura posteritas, qvod sponte propria et libera voluntate viris honorabilibus, fratri *Ecchoni,* commendatori et cruciferis de *Cheycouicz.* villam nostram *Schonstraze* vendidimus pro centum qvinquaginta et qvinque marcis puri argenti cum iuribus et adtinenciis vniuersis perpetuo sine impeticione omnium hereditario possidendam. Promittentes eidem seni Ecchoni et cruciferis prenotatis, ipsam villam iuxta terre consuetudinem ante amicos nostros seu impetitores quoslibet libertare. Si autem hanc libertatem efficere non possemus qvocunqve modo, quod non credimus, ab hoc impedimento predictis cruciferis villam nostram *Pyrboums* cum omnibus adtinenciis obligamus, vt ad ipsos tamqvam ad proprios possessores pertineat, quoadusqve de dampno, si quod eos habere ex prefata empcione contingeret, per nos fuerint finaliter expediti. Vt autem prescripta emcio et vendicio rata permaneat, presens instrumentum ipsis contulimus nostrorum sigillorum, domini Tazzonis de Tazzenberch, domini Budwoy de Iechnecz, domini Phillippi de Pernstein, camerarii Morauie, et fratris sui domini Bohuzlai, domini Odoleni de Vzpechs, domini Hartlebi de Dubna, et domini Stephani de Medlov roboratum. Datum et actum Brune, anno domini millesimo CC. XC. secundo. VII. Idus Aprilis, indictione V.

Ex originali in archivo M. Prioratus Melitensium Pragae.

CCCV.

Theodericus, episcopus Olomucensis, confirmat donationem villae Raghradice monasterio Raghradensi factam. Dt. in Modřice, Nonis Junii, 1292.

Nos Theodoricus, dei gracia episcopus Olomucensis, tenore presentium protestamur, et notum facimus uniuersis presentes litteras inspecturis. Quod honesta mulier, domina Wilena, relicta quondam Thome, militis de Seleschicz, cum filiis suis Ulrico, plebano de Swasow, et iuniore filio suo Chunone, in nostra presentia constituta confessa est, curiam suam et laneum unum in *Rayhradicz* cum pratis et aliis attinentiis pro remedio anime sue et suorum se monasterio sancti Petri in *Rayhrad* donasse et legasse, sub hac conditione videlicet, ut in vita sua utatur et fruatur bonis eisdem pacifice et quiete, sed post suum obitum directa via ad dictum monasterium deuoluantur, quodque post mortem suam prepositus monasterii propria auctoritate possit et valeat possessionem apprehendere eorundem. Cui donationi filii sui predicti expressum adhibuerunt consensum, et sic communiter petierunt eam confirmari a nobis. Nos igitur eam auctoritate ordinaria confirmamus, et presentis scripti patrocinio communimus. Testes huius rei sunt: Henricus, miles de Modritz, Rasco aduocatus, Bogdalicus, Brico, famuli nostri, magister Ambrosius, et Henricus de Thursas, notarii nostri, Ulricus plebanus de Swassow, et alii quam plures fide digni.

Et nichilominus in huius donationis, protestationis et nostre confirmationis testimonium presentes sigillo nostro facimus roborari. Datum Modricz, anno domini M. CCXCII. Nonas Iunii.

E Lefubure Moravia monastica T. I. MS. in archivo ejusdem monasterii.

CCCVI.

Distinctio metarum inter villam Přjtluky (Pritlach) et castrum Neideck. Actum 15. Julii, 1292.

Vniuersis christi fidelibus presentes litteras inspecturis. Sifridus Orphanus de Neidekke cum salute in domino perpetuam noticiam subscriptorum. Quamuis dicat scriptura: Ne transgrediaris terminos antiquos, quos posuerunt patres tui; in prediis tamen commetaneis frequenter uel errore uel negligencia fieri solet huiusmodi transgressio terminorum. Cum igitur terra possessionis Monasterii sancte Marie de *Welegrad*, que inter villam *Pritlucch* et castrum nostrum *Neidekke* in longum protenditur, terre possessionis nostre sit colimitanea, ex hoc accidit, ut officialium nostrorum negligencia uel errore quedam porcio nemoris et pratorum dicti monasterii aliquanto tempore nostris fuerit vsibus applicata. Quod dispendium ecclesie sue dominus Lupinus venerabilis abbas cum ad nostram querelose noticiam detulisset, nos ad honorem gloriose virginis Marie continuo legitimum curauimus remedium adhibere sub forma notata inferius et expressa. Anno domini millesimo ducentesimo nonagesimo secundo, sub die Iduum Iuliarum dominus Lupinus venerabilis abbas de Welegrad et *frater Ekko, domus templariorum de Schacviz comendator,* cum suis, et nos cum nostris vtrinque personaliter in vnum conuenientes viros fide dignos et longeuos de vicinia euocauimus ad vtriusque possessionis certos limites fideliter distinguendos. Itaque dominus abbas pro sua parte ad hoc opus viros assumpsit idoneos, videlicet Albertum iudicem, Dietlinum senem, Cvnradum Sweuum, Ekhardum, singulos de Pritlucch, Lienhardum iudicem et Sifridum filium eius et Heinricum, dictum Radenwicer, singulos de Potowariz, et Bertoldum, iudicem de Rakuuiz. Nos vero in id opus pro parte nostra deputauimus Cholomannum, Cunradum, Petrum Vngaros de Thenicz. Pertigerum, Sunnarium, Tirwardum de Eisgruoeb, Saclonem de Langenzeil, qui vniuersi de pari precium voto et assensu pariter iuncti ac inter predia transeuntes in fide animarum suorum antiquorum limitum certissima indicia repererunt, grandem videlicet lapidem, quem honorande recordacionis genitor noster tribus boum paribus duci et poni iusserat in signum limitare, cui non posset ab aliquo mortalium contradici; deinde validos et vetustos arborum truncos, in quorum stipitibus priusquam succiderentur signa se uidisse limitaria concorditer asserebant, medium eciam tramitem illius loci, qui vulgo Puorchstal dicitur, et alia quedam plura, in quibus vniuersis, dum persone metatorum a se inuicem nullatenus dissentirent, nos vtrimque illorum limitaciones et metarum distincciones ratas gratasque habentes nouorum aggerum altos cumulos in meditullio limitum eleuari fecimus. In huius facti perpetuum monimentum litteras eciam presentes conscribi iussimus sigillis, nostro videlicet et fratris Ekkonis communitas, quas memorato domino Lupino abbati et per eum ecclesie Welegradensi assignauimus subnixas omni plenitudine veritatis. Hiis autem actis interfuerunt frater Gutolphus presencium scriptor et testis, et predictus frater Ekko et Hermannus plebanus de Pritlucch, Ortolphus cliens, Chunradus dictus de Weitra, iudex de Koztell, et metatores suis presignati nominibus et vtriusque partis familia copiosa. Hec autem acta sunt indiccione qvinta anno et die superius nominatis.

Ex originali monasterii Welehradensis sigillis carente.

CCCVII.

Kadoltus de Miroslaw (Myslice) resignat monialibus Oslowanensibus laneum agri in Miroslaw. Dt. in Šalanice(?), 22. Julii, 1292.

Ea, que fiunt in tempore, simul cum tempore memorie nomen perdunt, nisi litterarum testimonio et voce testium roborentur. Nos igitur Kadoldus de Mirozlaus notum esse cupimus omnibus hanc litteram inspecturis, quod cum dissensio et discordia inter venerabilem dominam Perchtham, abbatissam, dominum Hartmannum, prepositum, et conuentum in *Ozla* ex parte vna, et inter nos ex parte altera pro quodam laneo in *Mirozlaus* in villa superiori sito aliquamdiu verteretur, quem laneum dicti abbatissa prepositus et conuentus ad se et ad suum cenobium dicebant iure hereditario pertinere; nos vero hec contradiximus, volentes iam dictos abbatissam prepositum et conuentum pro eodem laneo optinendo coram prouinciali iudicio conuenire, sed ad instanciam et ob dileccionem dilecte amite nostre domine Dymudis, priorisse, et dilectarum sororum nostrarum Margarethe et Agnetis in ipso cenobio deo famulancium et eciam ob reuerenciam memorati domini prepositi ab inpeticione qualibet cessauimus et cessamus, cedentes et abrenunciantes omni, quo uidebamur ipsum laneum posse repetere aut quolibet frui iure, ita ut prefati abbatissa, prepositus et conuentus dictum laneum cum omni iusticia iure hereditario possideant, et pro libitu libere ordinent et disponant. In cuius rei testimonium presentem litteram nostri sigilli munimine fecimus roborari. Datum in Schalanizc, anno domini M. CC. nonagesimo, secundo, in die beate Marie Magdalene.

Ex originali cum sigillo illaeso in archivo monasterii Aulae Reginae.

CCCVIII.

Theodericus, episcopus Olomucensis, confirmat ecclesiae Hulinensi possessionem lanei ab advocato Arnoldo legati. Dt. in Huljn, 1. Septembris, 1292.

Nos Theodericus, dei gracia Olomucensis episcopus. Omnibus hanc litteram presentibus et posteris inspecturis profitemur deuote, quod nos ob remedium anime nostre illum agrum seu campum, quem Arnoldus quondam aduocatus in *Hvlin* legauit ecclesie *ibidem,* siue ad nos pertinuit siue ad ipsum, eidem ecclesie in Hulin damus liberaliter, et confirmamus perpetuo possidendum, vt plebanus loci predicti, quicunque pro tempore fuerit, predictum campum seu agrum possideat, teneat libere, pacifice et quiete. In cuius rei memoriam sempiternam hanc litteram nostri sigilli munimine communimus. Datum in Hvlin, anno domini M. CC. nonagesimo II. in die beati Egidii confessoris.

Ex originali in archivo archiepiscopali Cremsiriensi.

CCCIX.

Blud et Heinricus, comites de Freiberg (Přjbor) restituunt monasterio Welehradensi jus patronatus ecclesiae in Freiberg unacum quibusdam silvis.

1292.

In nomine sancte et indiuidue trinitatis amen. Bludo et Heinricus fratres, comites de Vriburch, omnibus in perpetuum. Quoniam ea, que in humanis aguntur rebus, vel longi decursus temporis a memoria hominum abstergit, vel certe calumpniarum subuertunt insidie, cautum est, ut scriptis et testibus ineuincibile accipiant firmamentum. Itaque vniuersis Christi fidelibus presentes litteras inspecturis patere volumus et constare, quod honorande recordacionis dominus Franco, genitor noster, comes quondam de Vriburch, sui iuris et rerum suarum liberam habens administracionem considerans, quod iuxta uocem sapiencie bonorum operum gloriosus sit fructus, accedentibus uotis et assensu omnium, quorum in legitimis donacionibus requiri debet consensus, iuspatronatus ecclesie in *Vriburch* cum omnibus adtinenciis eiusdem parochie, necnon quasdam *siluas* circa idem oppidum Vriburch adiacentes, que ad nouam villam edificandam quinquaginta laneos continentem habunde sufficerent, monasterio de *Welgrat* libera, legitima, officiosa et irreuocabili donacione contulit, ut ab eodem monasterio iuste proprietatis tytulo debeant perpetuo possideri. Cum vero tunc abbas et fratres predicti monasterii, donacione cum debita gratitudine suscepta in corporalem possessionem legaliter inducti fuissent, et in ipsa per tempus non modicum quiete summa permansissent, nos inconsulte permoti nullis precedentibus causis, quibus ipsa donacio debuerit aut potuerit merito reuocari, possessionem donatarum rerum subintrauimus, et tempore aliquanto perstitimus in eadem. Tandem dilecti genitoris nostri ante oculos mentis nostre dignam ponentes reuerenciam de hiis pariter, que inconsulte feceramus dolentes vniuersa, que paterna irreuocabilis donacio complectitur, sicut suis preexpressa sunt nominibus, omnium heredum et coheredum nostrorum accedente consensu prefato monasterio plene restituimus, nichil nobis nostrisque posteris in ipsis rebus iuris uel tytuli relinquentes. Cum vero silue in formam nomenque ville transierint, quinquaginta laneos continentis censumque soluere ualentis, duo uel plures fratres, quando aliqua ineuitabilis causa id fieri non prohibuerit, in eodem constituentur loco, qui pro nostra nostrorumque parentum, sev successorum salute deum debeant fideliter exorare. Hanc eciam condicionem seruari volumus, ut criminosi, quorum crimina secundum leges ad dampnacionem spectant capitis, rebus eorumdem monasterio cedentibus in oppido Vriburch, iuxta legum ordinem iudicentur, ea prorsus racione seruata, ut priuilegiis et libertatibus ordini Cisterciensi generaliter, uel monasterio Welegradensi specialiter a sede apostolica uel ab aliis principibus concessis nullum omnino ex hoc grauamen, nullum preiudicium generetur. Ipsa eciam possessio, si aliquo dubiarum hodie causarum impulsu venundanda fuerit, nobis uel de nostro consilio aliis consanguinitate nos contingentibus comparanda primitus exponetur. Tanta uero deuocione paterne donacionis restitucionem fecimus, ut nos et posteri nostri nullum aduocacie seu cuiuscumque alterius iuris tytulum debeamus aut possimus nobis in ipso predio et ecclesie prenotate patronatu perpetuo vendicare. Ut autem hec nostra rerum actarum recognicio et paterne donacionis approbacio et eiusdem donacionis per nos iuste facta restitucio perpetuam firmitatem obtineant, presentes litteras conscribi fecimus sigillis honorandi domini nostri Theoderici, episcopi Olomucensis, et uiri nobilis Nycolai de Schowenburch, nec non et nostris communitas idoneis subnotatis testibus, quorum nomina sunt subscripta: Hartmannus de Holnstain, Wolframmus, camerarius domini episcopi, predictus Nycolaus de Schowenburch, uiri nobiles, Lupus miles, dictus de Plawezk, Sifridus, Sifridi quondam militis filius, Bertoldus, aduocatus de Brunsperch, et alii quam plures. Actum et datum anno domini millesimo, ducentesimo, nonagesimo, secundo, indiccione quinta.

Ex originali ejusdem monasterii cum residuis duobus sigillis. — Apographum in codice Welehradensi saepius citato, fol. 51.

CCCX.

Theodericus, abbas Zabrdowicensis, decidit litem monialium Tišnowicensium, cum plebano in Čegč de portione decimarum. Dt. in Zabrdowice, **22.** *Januarii,* **1293.**

Nos Th.(eodericus), abbas Saberdowicensis, iudex delegatus a venerabili patre domino Th.(eoderico), episcopo Olomucensi, super causa, quam religiose domine G.(utta), abbatissa, et conuentus dominarum de *Thusnewicz* mouebant contra dominum Petrum, plebanum de *Czeycz*, pro quinque modiis siliginis et aliis quinque tritici antique mensure Brunnensis annua pensione et rebus aliis. Notum facimus vniuersis presentem paginam inspecturis, quod nos recepta commissione predicti domini episcopi cuius tenor talis est. *Th.(eodericus), dei gracia episcopus Olomucensis, venerabili fratri Th.(eoderico), abbati Zaberdowicensi, sinceram in domino karitatem. Conquesta est nobis religiosa domina G.(utta), abbatissa et conuentus dominarum de* Porta celi, *quod* Thusnewicz *dicitur, quot Petrus capellanus earum, plebanus de* Czeycz, *super porcione decimarum eis debita iniuriatur eisdem, et soluere contradicit. Ideoque discrecioni vestre committimus et mandamus, quatenus partibus conuocatis audiatis causam, et eam fine canonico terminetis, facientes, quod decreueritis, per censuram ecclesiasticam firmiter obseruari. Testes autem, qui fuerint nominati, si se gracia, odio vel timore subtraxerint, simili censura compellatis veritati testimonium perhibere. Datum in Modericz, anno domini MCCLXXXXII. in die beati Thome apostoli.* Citauimus partes ad diem beate Agnetis virginis, ut comparerent coram nobis ad procedendum in causa. Veniente eodem termino, scilicet in die beate Agnetis virginis, vtraque pars comparuit coram nobis in domo fratrum minorum in Brunna, scilicet frater Conradus, prepositus Thusnewicensis, et magister Ambrosius, sindicus eiusdem monasterii, pro parte domine abbatisse et conuentus, et dominus Petrus, plebanus de Czeycz, pro se ipso. Petiuit autem dictus dominus Petrus concordiam, quia uellet cum aduersa parte amicabiliter concordare, et ita dilatum fuit negotium usque in crastinum. In crastino igitur, id est in die beati Vincencii martyris, vtraque pars comparuit coram nobis in Saberdowicz, et ibi inter se coram nobis ceperunt ad inuicem disceptare. Dicebat pars monasterii, quod ipse dominus Petrus, plebanus de Czeycz, soluere debebat de parte decimarum suarum singulis annis quinque modios siliginis et quinque modios tritici antique mensure Brunnensis ipsi monasterio et quatuor annis non soluerat, et sic quadraginta modios de perceptis tempore regiminis sui petebat ab ipso. Ipse autem dicebat, quod non deberet soluere, quia nemo predecessorum suorum soluerat illam pensionem, et quod eciam monasterium sibi in aliis pluribus teneretur. Tunc dictum fuit pro parte monasterii, quod ex quo predecessores sui non soluissent dictam annuam pensionem, quod ipse tenebatur satisfacere de omnibus istis perceptis per predecessores suos a viginti annis, ex quo priuilegium datum erat monasterio per dominum Brunonem, quondam Olomucensem episcopum, de consensu capituli Olomucensis, et illud priuilegium ibidem coram nobis lectum fuit in quo continebatur expresse, quod ipse dominus Bruno consideratis variis necessitatibus monasterii Thusnewicensis de consensu capituli Olomucensis statuebat; ut ipsum monasterium ab ecclesia in Czeycz singulis annis perciperet decem modios antique mensure Brunnensis tritici et siliginis, sicut est premissum, cum secundum consideracionem domini Brunonis plebanus de residuo honeste posset sustentari et facere, que deberet. Nobis autem et aliis assessoribus consulentibus concordauerunt partes. Nam predictus dominus Petrus coram nobis renunciauit omni accioni et peticioni contra monasterium Thusnewicense super quibuscumque debitis vel promissis, et promisit decetero fideliter persoluere, sicut habetur in priuilegio, singulis annis quinque modios tritici et quinque modios siliginis antique (mensure) Brunnensis ab ecclesia sua monasterio Thusnewicensi. Pro parte autem monasterii sub hoc pacto remittebantur ei omnia percepta. Nos igitur approbamus eandem concordiam, et auctoritate nobis commissa ipsi Petro, plebano in Czeycz, precipimus et mandamus sub pena excommunicacionis, quam in hiis scriptis in eum proferimus, si mandato nostro et promissioni sue presumpserit contraire, quatenus de cetero singulis annis nomine ecclesie sue ipsi monasterio Thusnewicensi quinque modios tritici et quinque siliginis antique mensure persoluere debeat fideliter, sicut in priuilegio domini Brunonis predicto expressius continetur. Acta sunt hec omnia in Saberdowicz, in die beati Vincencii martyris coram nobis anno domini M. CC. LXXXXIII. presentibus nobis cum assessoribus: Domino Henrico, plebano de Uitis. Domino Iacobo, preposito ecclesie sancti Petri in Brunna. Domino Conrado, preposito de Thusnewicz. Domino Ertlino, vicario ecclesie sancti Petri. In cuius rei testimonium sigillum nostrum et magistri Henrici de Uitis presenti pagine duximus apponendum. Datum ibidem anno et die predictis.

Ex originali cum duobus sigillis illaesis in arch. monasterii Tišnowicensis.

CCCXI.

Philippus, Bohuslaus et Emmerammus, fratres de Pernstein, monasterio Zarensi decimas vinearum in Medlow cum jure montium conferunt. Dt. Brunae, 16. Februarii, 1293.

In nomine domini, amen. Quoniam karitatis est officium piis locis salubriter prouidere, et eorum profectibus et promocionibus manum exstendere adiutricem; idcirco nos Phyllippus, camerarius Morauie, Bohuzlaus camerarius Pratsouiensis prouincie, et Yngrammus, fratres dicti de Pernsteyn, ad noticiam presentium et futurorum volumus deuenire, quod nos pro salute nostra ac remedio progenitorum nostrorum decimam de vinea, quam ecclesia siue monasterium *Zar* habet de *Medlow,* ad nos de iure pertinentem, ipsi monasterio cum fructibus, que nobis de iure montis ex parte ipsius vinee deriuari debebant, contulimus et donauimus iure perpetuo possidendum, volentes, vt nullus successorum nostrorum dictam ecclesiam siue eius conuentum in hac decima et iure montis, prefato monasterio Zar, per nos rite concessis et donatis, audeat aliquatenus molestare, ita nichilominus distinquendo, vt si dicta vinea per conuentus negligentiam seu inprouisionem remaneret inculta, per quod aliis vineis sibi contiguis posset graue dispendium generari, ex tunc eo iure huiusmodi negligenciam corrigere volumus, quo vsa est vicinia ab antiquo. In cuius rei testimonium presens scriptum conscribi fecimus, sigillorum nostrorum robore communitum. Datum anno domini MCCXC. III. proxima secunda feria post dominicam inuocauit, Brune in colloquio generali.

Ex originali ejusdem monasterii. — Excusum apud Steinbach — II. p. 42.

CCCXII.

Wenceslaus, rex Boemiae et marchio Moraviae, donat civibus Brunensibus teloneum pontium apud civitatem. Dt. Brunae, V. Kalendas Martii, 1293.

Wencezlaus, dei gracia rex Bohemie, dux Cracouie et Sandomirie marchioque Morauie. Dum regie maiestatis benignitatem ad deuotos fideles nostros dextera nostre liberalitatis extendimus, excellencie nostre gloria dignis laudibus per id extollitur in sublime, et quo largius eorum comoditatibus innitimur opera efficaci, eo magis et constancius erga nos in sue fidei perseuerantia solidantur. Harum propterea serie notum facimus vniuersis tam presentibus quam futuris, quod nos multiplicem obsequiorum promptitudinem, quam nostro culmini dilecti fideles nostri ciues *Brunnenses* debitam nobis pura fide et sincera deuocione hactenus exhibuerunt, gratanter modo exhibent, et imposterum concedente domino diligentius exhibebunt, cupientes prerogatiua specialis fauoris nostri attollere graciose, theloneum nostrum apud ipsam ciuitatem Brunnensem, quod Prukmaut vulgariter appellatur, eisdem ciuibus nostris liberalitate munifica in perpetuum liberaliter conferimus et donamus. Ita tamen, ut iam dicti ciues nostri et eorum posteri vniuersi pontes, vias, fossata, muros apud ipsam ciuitatem parare et reparare, ac pro melioratione qualibet eiusdem ciuitatis Brunnensis dictum theloneum annis singulis impendere perpetuo teneantur. In cuius rei testimonium presentes fieri, et sigillorum nostrorum munimine fecimus communiri. Datum Brunne per manus magistri Iohannis, Sacensis prepositi, prothonotarii nostri Morauie. Anno domini millesimo, ducentesimo, nonagesimo, tertio, V. Kalendas Martii. Indictione sexta.

Ex originali ejusdem civitatis.

CCCXIII.

Ulricus de Lichtenburg vendit judici suo Šlědroň judicium in Gilowec. *Dt. IV. Kalendas Martii,* 1293.

In nomine domini. Amen. Quia nihil firmum aut stabile in humana conditione sit presenti tempore, inuenimus summopere necessarium esse, ut gesta hominum robur percipiant, a uoce testium et scripti memoria in posteros propagentur. Noscat igitur tam presens hominum etas, quam in Christo posteritas successura, quod ego dictus Vlricus de Luchtnburg, fideli iudici meo Zcedroni iudicium in *Gilowecz* ultra sex laneos uendidi pro X marcis, ad maiorem censum sibi suisque posteris possidendos libere. Confirmo ad iudicium sextum laneum liberum sub aratrum suum. Confirmo etiam tabernam liberam, pistorem, carnificem in omnibus liberos, fabrum et sutorem. Confirmo eidem predicto iudici uel suis posteris de iudicio tertium denarium, quocunque nomine censeantur, et denarios de iuramentis. Confirmo, ut habeat plenariam libertatem in eisdem bonis piscandi, uenandi minores feras, et uolatilia capiendi. Confirmo, ut habeat plenum ius Lubczicense. Idem predictus iudex uel sui posteri in prenominata uilla mihi meisque successoribus annis singulis tenebitur in censu respondere, scilicet bis in anno; primam mediam marcam in festo beati Galli, secundam mediam marcam in festo apostolorum Philippi et Iacobi. Preterea idem iudex uel sui subsides domino de anno ad annum in nihilo plus tenebuntur respondere. Hec autem collatio firma et stabilis maneat, per presens scriptum et sigilli mei munimine fuit utile roboratum. Huius autem rei testes sunt: Dominus Milicius de Cetow. Bohuz miles domini Vlrici. Gerlacus, plebanus de uilla Gerlaci. Nicolaus, plebanus de Dirnauia. Clemens, iudex de Clementis uilla. Hartlibus, iudex de Stachinwalde. Paulus filius Henrici de Iglauia. Hartmundus, ciuis in Fulnek. Sobek in Gylobs. Datum anno domini M. CC. nonagesimo III. Quarto Kalendas Martii.

E copia vidimata saec. XVI. in arch. canoniae Lateranensium Fulneccensis.

CCCXIV.

Idem unacum Milič de Citow vendunt judici suo Tilemann judicium in Děrná (Tyrn). 1293.

In nomine domini. Amen. Quia nichil firmum aut stabile in humana conditione sub presenti tempore inuenitur, summopere necessarium est, ut gesta hominum robur recipiant a uoce testium, et scripti memoria in posteros propagentur. Noscat igitur tam presens hominum etas, quam in Christo posteritas subcessura, quod ego dictus Vlricus, dominus de Luhtenburch, vna cum domino Milischone de Cethau iudicium tale in *Thyerna* vendidimus iudici nostro Tyelmanno XXVII laneos iure Lyvpschizcensi possidendos sibi suisque posteris libere. Idem iudici contuli thabernam liberam, molendinum liberum et tres laneos liberos sub aratrum eius, pistorem, carnificem, fabrum et sutorem; concedo, ut habeat liberam ecclesiam et liberum laneum ecclesie; concedo, ut habeat plenam libertatem piscandi, venandi minores feras, et volatilia capiendi; concedo itaque, vt tercium denarium recipiat et denarios iuramenti de omnibus culpis, quocunque nomine censeantur. Scilicet idem iudex uel sui posteri mihi bis in anno meisque successoribus annis singulis marcam argenti in censu tenebitur respondere, primam mediam marcam in festo beati Galli, secundam mediam marcam in festo beate Walpurgis. Preterea ego et subditores mei domino meo uel successoribus suis de anno ad annum in nichilo plus tenebor respondere, nec in stivra, nec in aliquo. Preterea nullum alium aduocatum constituam super eum, quin ardua negotia exigant et deposcant. Concedo, vt habeat plenam iustitiam iuris Lyvpschiczense; concedo, vt mensuram habeat Lyvpschiczense in agro. Hec autem collatio firma et stabiiis maneat, per scriptum et sigillum nostrorum munimine fuit vtile roborari. Testes autem hec sunt: dominus Alber de Vulneck, miles ducis Nycolai. Beniko, miles domini Vlrici. Schelico famulus ducis. Chvnradus, plebanus in Vulneck, dominus Nycolaus, plebanus in Tyerna. Petrus, aduocatus in Vulneck. Polomzo, famulus Vlrici. Waltherus et Chvnradus, schabini in Vulneck. Aduocatus in Noua ciuitate cum fratribus suis. Svaton et Stanimyerus in Tyerna. Datum anno domini **M. CC. L. XXXXIII.**

Ex originali in mea collectione.

CCCXV.

Theodericus, episcopus Olomucensis, indulgentias in reconsecratione monasterii Raghradensis a. 1288. concessas confirmat. Dt. in Modřice, III. Idus Martii, **1293.**

In nomine domini. Amen. Quia ea, que ad cultum diuinum et celebritatem festiuam pertinent, non sunt in obliuionis abolicionem tradenda, sed memorabili notitie commendanda, qualiter detersis et purgatis vitiorum maculis, ablutis quoque inquinamentorum spurciciis, domus dei est honori perdito restituta. Dignum est, ut ipsius matris ecclesie, que porta celi et aula dei uocatur, post execrationem malignam reconsecrationis seu reconciliacionis dies festus fidelibus innotescat, et noue reparationis sollempnitas et festiuitas ueneranda in gaudium et letitiam christiano populo conuertatur.

Proinde nos Theodericus, dei gratia episcopus Olomucensis, notum facimus vniuersis sancte matris ecclesie filiis presentes litteras inspecturis, quod nos anno dominice incarnacionis millesimo ducentesimo octuagesimo octauo, die dominica infra octauam natiuitatis beate virginis Marie monasterium sancti Petri in *Raygrad,* quod per quosdam sacrilegos, latrunculos et predones captum fuerat, et aliquamdiu occupatum, ac per multas spurcicias et inmundicias detestabiles multipliciter execratum, sollempniter reconciliauimus, et aqua exorcizata ac benedicta conspersimus sancti spiritus gratia inuocata, statuentes, ut eo die dedicationis eiusdem ecclesie annis singulis sollempnitas decetero celebretur. Insuper cupientes ob reuerenciam apostolorum principis idem monasterium debita veneracione et deuotione humili frequentetur, et fidelium elemosinis suffragiis releuetur, omnes indulgentias et remissiones, quas reuerendi in Christo patres, quicunque katholici presules, predicte ecclesie seu monasterio sancti Petri in Raygrad aut suis altaribus contulerunt, ratas habemus et gratas, et eas auctoritate ordinaria in nomine domini confirmamus. In cuius rei testimonium super hoc predicto monasterio litteras presentes dari fecimus nostri sigilli munimine roboratas ad rei memoriam et perpetuam firmitatem. Datum in Modrich, anno domini millesimo CC. nonagesimo tercio. III. ydus Martii.

Ex originali ejusdem monasterii.

CCCXVI.

Wenceslaus, rex Boemiae et marchio Moraviae, eximit monasterium Siloense a teloneo in vectura victualium e bonis suis in Moravia sitis. Dt. Pragae, V. Kalendas Maji, 1293.

Wenceslaus, dei gratia rex Boemie, dux Cracouie et Sandomirie marchioque Morauie. Nunc regi regum altissimo saluatori nostro placere nos firmiter credimus, dum monasteriis sitis in terris nostris condigna largiendo beneficia quieti eorum, qui deo famulantur in eisdem, prouidemus clementer, ut eo liberius diuinis frequentent, inuigilent cultibus, et ipsum deum pro nobis, nostrisque predecessoribus exorent, quo magis per nos se senserint a secularibus venationibus liberos et solutos. Propterea siquidem harum serie nosse volumus presentes et posteros uniuersosque, nos ob reuerentiam dei et venerationem b. Marie virginis gloriose, in cuius honore venerabile monasterium *Siloense* fundatum fore dignoscitur et constructum, dilecti nobis domini Iacobi, honorabilis abbatis eiusdem monasterii, iustis ac humilibus supplicationibus solite benignitatis clementia inclinati de uniuersis victualibus et omnibus aliis rebus utensilibus, quascumque prefatus abbas et conuentus eius de bonis suis, que habent in *Morauia,* ad ipsum monasterium suum in Bohemiam pro sumptibus et expensis quotidianis ac alia utilitate ipsius monasterii duxerint adducendas, de libertate magnificencie nostre ipsum abbatem et dictum conuentum eius a solutionibus theloneorum tenore presentium in perpetuum eximimus et absoluimus gratiose, ut abbas et conuentus predicti huiusmodi res suas in usumfructum dicti monasterii sui de iam dictis bonis suis ad ipsos in Morauia spectantibus amplius libere per suos homines adducant pro suo libito voluntatis, nec ulterius ad aliqua penitus thelonea occasione rerum suarum huiusmodi aliquatenus teneantur. Quocirca vniuersis et singulis vobis, ad quos regimen theloneorum in Morauia ex nunc pertinet et inposterum pertinebit, tam presentibus quam futuris mandamus precise nostre gratie per obtentum, ne quis vestrum contra iam expresse gratie nostre concessionem fauorabilem de supradictis rebus utensilibus prefati abbatis et conuentus eius, quotiens et quandocumque transitus eorum per vestra thelonea dirigetur, aliquod plane theloneum exigere presumat, sicut exinde nostre ingratitudinis grauis pene piaculum diligitis euitare. In cuius rei testimonium presentes fieri, et sigillorum nostrorum munimine fecimus liberaliter communiri. Datum Prage per manus magistri Iohannis, Sacensis prepositi, prothonotarii nostri Morauie, anno domini M. CC. XCIII. Quinto Kalendas Maii. Indictione sexta.

Apographum in Monastico archivi Raghradensis MS. in tomo intitulato: Canonici Praemonstratenses pag. 18.

CCCXVII.

Nicolaus, dux Opaviae et marschallus Boemiae, vendit Zbyslao de Bohuslawic (Krawař), compatri suo, villas Žalkowice, Liboswary et quod in Trnawa habet. Dt. Opaviae, Idibus Maji, **1293.**

Nycolaus, dei gracia dux Opauie et marsalcus regni Boemie, omnibus in perpetuum. Que geruntur in tempore, ne simul labantur cum lapsu temporis, poni solent in signa testium, et scripture memoria perhennari. Notum sit igitur uniuersis presentibus et futuris intuentibus presens scriptum, quod nos villas nostras *Sucowicz, Lubezwari,* et in *Tirnauia,* quantum ad nos pertinere dignoscitur in prouincia Prerouiensi, ad nos ratione castri nostri Grecz pertinentes, Sbyzlao de Bohuzlawicz, dicto de Benessow, compatri nostro dilecto, vendidimus et contulimus per ipsum et suos heredes in perpetuum possidendas, cum omnibus iuribus et attinentiis suis, videlicet agris, areis, siluis, pratis, venationibus, aquis, piscationibus, et cum omnibus utilitatibus, ad easdem villas pertinentibus, et omnem utilitatem omneque ius, quod nos in predictas villas habere dignoscimur, ad predictum Sbyzlaum et suos transferimus successores, ut omne ius in eisdem villis habeat, quod nobis ibidem competebat. Quam venditionem siue collationem presentibus confirmamus. Vt autem hec nostre venditionis siue collationis confirmatio robur perpetue firmitatis obtineat, ipsi Sbyzlao presens instrumentum contulimus, nostrorum sigillorum munimine roboratum, presentibus testibus: domino Milotone de Dyedycz. Protiua de Dubrawicz. Benessio de Branicz. Wockone et Ierozlao de Schithin. Ierozlao et Bohussio de Petrouicz. Budyzlao de Lodenicz, et aliis pluribus fide dignis. Actum et datum in Opauia anno domini MCCXC tercio. Idus Maii. Indictionis sexte.

Ex originali in archivo Třebonensi. — Böhmische Museums-Zeitschrift 1828. pag. 385.

CCCXVIII.

Canonici Boleslavienses elocant monasterio Lucensi decimales denarios ab ipso et aliis ecclesiis percipiendos. Dt. Boleslaviae, X. Kalendas Julii, **1293.**

Religiosis viris, dominis . . abbati . . priori . . preposito totique conuentui monasterii *Lucensis,* premonstratensis ordinis, Olomucensis dyocesis, magister Pardus, prepositus, Martinus decanus, Vlricus custos, Nycolaus scolasticus, totumque capitulum *Bolezlauiensis* ecclesie, Pragensis dyocesis, salutem et sinceram in domino caritatem. Noscat vestra religio, nos nomine ecclesie nostre et successorum nostrorum vobis et monasterio vestro in perpetuum et irreuocabiliter locauisse decimales denarios, quos prefata Bolezlauiensis ecclesia ratione decimarum monasterii uestri, nec non ratione decimarum ecclesiarum uestrarum, iure patronatus ad monasterium vestrum spectantium habere dinoscitur, pro duabus marcis argenti puri, Morauici ponderis, annuatim infra octauam beati Martini nostro certo nuncio seu procuratori in eodem monasterio Lucensi firmiter persolnendis. Si uero ex parte nostra vel ecclesie nostre predicte prenotata locacio fuerit impedita, tunc in omnibus dampnis et interesse Bolezlauiensis ecclesia eidem monasterio remaneat obligata; et iterato nostram Bolezlauiensem ecclesiam vestro monasterio obligamus in omnibus dampnis et interesse, que monasterium ipsum pati contigerit, si in futurum per nos et nostros successores, quos modo simili obligamus monasterio prenotato, supradicta locacio fuerit aliquatenus impedita vel reuocata racione aliqua siue causa. Et ut semper predicta locacio stabilis perseueret, renunciamus sponte et libere nomine nostro et ecclesie predicte ac eorundem successorum restitucioni in integrum ac decepcioni ultra dimidiam iusti precii, nec non omni excepcioni et iuris canonici vel ciuilis auxilio, per quod vel quas posset predicta locacio impediri vel aliquatenus annullari. In cuius rei testimonium et cautelam nos prefati, prepositus et decanus vna cum sigillo predicti capituli sigilla nostra presentibus duximus apponenda, quibus eciam ad peticionem nostram reuerendus in Christo pater, dominus Theodricus, Olomucensis episcopus, suum sigillum apposuit pro testimonio pleniori. Nomina uero supradictarum ecclesiarum, a quibus habendi sunt denarii decimales, sunt hec: videlicet in *Loyonicz. Prostmerycz. Olaccowycz. Prawycz. Crilowycz. Shatow. Tassowycz. Primitycz. Lucaw. Hardec. Donamil. Ruthelicle* et *Wolfram Ecclesie.* Datum in Bolezlaw. Anno domini millesimo ducentesimo nonagesimo tercio, X. Kalendas Iulii; indiccione sexta.

Ex originali cum quatuor sigillis appensis in archivo monasterii Lucensis.

CCCXIX.

Wenceslaus, rex Boemiae et marchio Moraviae, homines in possessionibus monasterii Zarensis a jurisdictione beneficiariorum regiorum eximit.
Dt. Pragae, XIV. Kalendas Julii, **1293.**

Wencezlaus, dei gracia rex Boemie, dux Cracouie et Sandomirie marchioque Morauie, omnibus imperpetuum. Sub rigore religionis omnipotenti domino famulantibus liberalem fauoris nostri graciam libenter impendimus, ut eo commodius liberiusque dominicis insistant cultibus, quo amplius a secularium iudicum uexacione multiplici fierent liberi et soluti. Hinc est, quod nos religiosos viros . . abbatem et conuentum *Fontis sancte Marie* de *Sar*, ordinis Cysterciensis, nec non homines commorantes in possessionibus ipsorum, sitis infra *Crisans, Bobrow, Nouam Ciuitatem,* et in circuitu iam dictorum oppidorum, ac ipsum monasterium de Sar a iudiciis prouincialibus, et iurisdictione beneficiariorum omnium tenore presencium eximimus diuine retribucionis intuitu de gracia speciali, vt nec Brunnam nec alias amodo pro causis quibuslibet ad iudicium terre debeant euocari, quos tantummodo in ipso oppido de *Sar* fore uolumus iudicio subiectos. Volumus eciam, ut homines illarum possessionum ipsorum, que spectant in Boemiam aput ipsum monasterium site, in *Munchperch* et non alias pro causis quibuslibet iudicentur. Quocirca mandamus vniuersis iudicibus prouincialibus, ac beneficiariis Boemie et Morauie tam presentibus, quam futuris nostre gracie per obtentum, quatenus nullus eorum predictos abbatem et conuentum ac homines siue pauperes uel aliquem seu aliquos eorundem pro quibuscumque causis ad suum iudicium euocare, citare, condempnare, uel in ipsorum possessionibus iudicio presidere, seu aliquem loco sui mittere presumat, nostre regie celsitudinis ingratitudinem, si quis secus presumpserit, incursurus. In cuius rei testimonium presentes fieri, et sigillorum nostrorum munimine fecimus liberaliter communiri. Datum Prage, per manus magistri Iohannis, Sacensis prepositi, prothonotarii nostri Morauie. Anno domini millesimo ducentesimo nonagesimo tercio. XIIII. Kalendas Iulii. Indiccione sexta.

Ex originali ejusdem monasterii. — Excusum dedit Steinbach II. p. 41.

CCCXX.

Decisio de limitibus ecclesiarum sancti Petri et sancti Jacobi Brunae. Dt. Brunae, VI. Kalendas Julii, 1293.

In nomine sancte ac indiuidue trinitatis, amen. Nos frater Chvnradus, dictus abbas monasterii de Welegrat, Cisterciensis ordinis, Olomucensis diocesis, vniuersis Christi fidelibus presentem paginam inspecturis cupimus esse notum, quod anno domini M. CC. LXXXX. III. reuerendi patris, domini Th.(eoderici), dei gracia episcopi ecclesie Olomucensis, litteras recepimus in hec uerba: *Th.(eodericus), dei gracia Olomucensis episcopus, venerabili fratri . . abbati Welegradensi, sinceram in domino caritatem. Qvoniam cause materiam criminibus creare solent, et seruos dei non conuenit littigare; idcirco discretioni uestre prouida deliberatione duximus committendum, vt quia inter* sancti Petri et sancti Iacobi parrochiales ecclesias in Brunna *super limitibus earundem grauis dissensio est exorta, cum pater abbas* Tvsnawicensis et de Ozla *monasteriorum sitis communis, ad que monasteria predicte due parrochie pertinere noscuntur, litem et dissensionem predictam per amicabilem composicionem et concordiam terminetis; quod si per concordiam amicabilem nequiuerit terminari, vos in hac parte officii nostri debitam exequentes per limitationem congruam utrique parrochie vice nostra certas metas et terminos distinquatis consilio super hoc habito diligenti. Sic enim per uirtutem consilii Iosue filiis Israel terram promissionis, in quam eos introduxerat, distento fune partiuit. In quo negocio secundum formam litterarum priorum, ad abbatem Zaberdowicensem et collegas suos super hoc directarum, cum per eos, aliquibus se excusantibus, factum terminari nequiuerit, vos regatis. Datum in Moderiz, XVI. Kalendas Marcii. Anno domini M. CC. LXXXX. III.* Nos igitur pensantes, quod, sicut ad intentiuum amoris plurimum valet, si quis vicem reddat amantibus, sic ediuerso ferrum ferro acuitur, et lites litibus concitantur, commissionem nobis factam uotiue suscepimus, et accelerauimus procedere in eadem, ne mora contentionibus ministraret fomitem, et in populo scandalorum occasio gigneretur. Conuocatis partibus, vt suas nobis petitiones in scriptis presentarent, mandauimus, vt uota ipsarum parcium, quanto a se distarent, collatione scriptorum facilius nosceremus. Itaque petitio domini Iacobi talis erat: Coram vobis, domine reuerende pater, et abbas de Welegrat, ego Iacobus, plebanus ecclesie sancti *Petri* in *Brunna,* eiusdem nomine et nomine conuentus de *Trsnawilz* peto restitui tam in suburbanis quam rusticanis prediis et tocius ciuitatis domibus et hominibus, in quibus predicta ecclesia sancti Petri longo tempore grauiter est lesa, in super et percepta, et que percipi potuerunt, et hiis petitis peto, ut secundum commissionem a domino episcopo uobis factam regia uia procedentes, deum pre oculis habentes, et conscienciam et salutem anime uestre intuentes, limitando per certos terminos procedatis. Porro peticio partis alterius sonuit in hunc modum: Pater reuerende, cum sitis iudex a venerabili patre et domino nostro Th.(eoderico), dei gracia Olomucensis ecclesie episcopo super causa, que uertitur inter dominum Iacobum, plebanum sancti Petri ex vna, et me fratrem *Theodericum,* plebanum sancti *Iacobi,* parte altera constitutus peto humiliter et deuote, vt in iure, quod ecclesia mea per multorum annorum curricula habere dinoscitur, me non perturbetis, sed potius in ipso iuxta priuilegiorum meorum assercionem et idoneam eorundem priuilegiorum roborationem valide foueatis. Peticionibus igitur partium sub sigillis earum acceptis, videntes, quod tantum a se distarent, quantum distat ortus ab occidente, nec facile vnirentur, accedentibus votis et assensu ipsarum parcium ad executionem cause nos accinximus, ponentes eis terminum diem sancti Albani martyris, in quo coram nobis deberent instructi priuilegiis et testibus comparere. Nos autem accitis venerabilibus domino Iohanne de Sar, et Walthero de Zmilenheim, abbatibus, euocatis eciam iuris peritis domino Iohanne, scolastico ecclesie Olomucensis, magistro Heinrico de Vitis, magistro Nycolao de Wienna, multisque aliis viris honorabilibus, die predicti termini veniente, in domo fratrum minorum Brunne consedimus ad informacionem nostram allegaciones partium audituri. Ex parte igitur ecclesie sancti Petri producti testes iurati et interrogati singulariter, quid eis super iuribus et limitibus predictarum ecclesiarum constaret, nichil aliud dixerunt, nisi quod ecclesia sancti Petri antiquior esset, quam ecclesia sancti Iacobi, et quod ecclesia sancti Michaelis ecclesie sancti Petri quondam filia extitisset, et quod quarundam villularum terrule, burgo Brunnensi olim adiacentes, ecclesie sancti Petri tamquam matri decimas persoluissent; causam vero alienationis sev abolitionis earundem villularum minime protulerunt. Ex parte altera autem producti testes et interrogati responderunt, quod ab antiquis temporibus per quandam personalis limitationis formam bohemi ad sanctum Petrum, thevtonici vero ad sanctum Iacobum pertinerent. Deinde priuilegia sancti Petri diligenter inspicientes id solum ex eis collegimus, quod ecclesia sancti Michahelis ab ecclesia sancti Petri recompensatione quorumdam redditnum exempta fuerit, et fratribus predicatoribus assignata. Demum priuilegia sancti Iacobi discutientes hoc precipuum ex eis aduertimus, quod pleno parrochiali iure gaudere debeat, et quod capella sancti Nicolai ad eam pertineat, quodque ius patronatus in ipsa ecclesia princeps tunc Morauie monasterio de Ozla contulerit, et quod bohemi ab ecclesia sancti Petri, thevtonici vero ab ecclesia sancti Iacobi cuncta iura parrochialia et ecclesiastica debeant percipere sacramenta. Hanc personalem parrochiarum limitationem Alexandro papa, huius nominis quarto, suo priuilegio forme communis ac simplicis confirmante. Super hiis igitur omnibus summa deliberatione habita, de consilio prudentum uirorum assidentium nobis partes ad amicabilem composicionem inuitauimus, et persuasimus inuitatis. Denique abbatisse et conuentus monasteriorum de Tvsnawitz et de Ozla, in hanc compromissionis formam, que infra exprimitur, consenserunt. *Nos sorores Gertrudis et Perchta, monasteriorum de Tvsnawiz et de Ozla dicte abbatisse nostrique conuentus tenore presencium protestamur, quod, cum inter ecclesias nostras sancti* Petri *et sancti* Iacobi Brunne *nostrosque capellanos super limitibus earundem questio uolueretur, dominus Th., dei gracia episcopus Olomucensis, eandem causam ex peticione parcium reuerendo patri nostro, domino Chvnrado, abbati de Welegrat, commisit finaliter terminandam. Nos igitur librata negocii qualitate fide presencium promittimus, quod, quicquid per antedictum abbatem, dominum Ch.(vnradum), in ipsa causa tractatum, factum, diffinitum fuerit, gratum ratumque tenebimus, et a nostris capellanis faciemus firmiter obseruari, ad expensas per antedictum abbatem suosque collegas in hoc negocio faciendas prenominatas ecclesias nostras pari sorte alacriter obligantes. Datum anno domini M. CC. LXXXXIII. XII. Kalendas Ivlii.* Rectores eciam predictarum ecclesiarum, Iacobus et Theodericus, in subscriptam compromissionis formam votiue ac libere conuenerunt. *Nos fratres Iacobus, rector et prepositus ecclesie sancti Petri,* *et Theodericus, plebanus ecclesie sancti Iacobi Brunne, notum facimus vniuersis, quorum interest nosse, quod, cum inter nos super limitibus predictarum ecclesiarum nostrarum questio verteretur, accedentibus uotis et assensu abbatissarum et conuentuum monasteriorum de Tvsnawitz et de Ozla, procurauimus commissionem fieri reuerendo patri, domino . . abbati de Welegrat, vt auditis iuribus parcium, inspectis priuilegiis ecclesiarum, instructus fama et testibus, consideratis plateis et domibus, auctoritate commissionis sibi facte a domino Th., episcopo ecclesie Olomucensis, limites predictarum ecclesiarum distinqueret, perpetuo valituros. Nos itaque materias litium odientes, et finem negocio celerem imponere cupientes, fide presencium nos astringimus, et sincere promittimus, quod, quicquid per predictum dominum abbatem de Welegrat in causa limitacionis factum et diffinitum fuerit, gratum ratumque tenebimus, nec ab eo aliquatenus temptabimus resilire. Quod si alter nostrum ab eius ordinacione, diffinicione, limitacione dissentire ac resilire temptauerit, tam ipse quam sui successores in ecclesia sua in causa questionis huius perpetuo multentur silentio, et ab omni actione se nouerint decidisse. In cuius rei testimonium presentes litteras conscripsimus, sigillis venerabilium patrum, domini Iohannis de Sar, et domini Waltheri de Zmilenheim abbatum et nostris pariter communitas. Datum Brunne in domo fratrum minorum, anno domini MCCLXXXXIII. X. Kalendas Ivlii.* Facto igitur in nos tali parcium compromisso, litteris, sigillis et pena roborato, assumptis prenominatis de Sar et de Zmilenheim abbatibus, tam Iacobo quam Theoderico multisque aliis tam de clero quam de populo nobiscum commitantibus, omne Brunnense suburbium, iuxta muros positum, plateas, domos, areas perlustrantes equitando circumgirauimus, quid, quale, quantum ad utramque pertineret ecclesiam, luce clarius perscrutantes. Deinde intra muros ipsam ciuitatem diligentius intuentes, et limites parrochiarum, quos habebant, considerantes iuxta formam priorum litterarum domino abbati de Zaberdowicz suisque coarbitris, qui in pronunciacione arbitrii concordare non poterant, directarum stratas, plateas, domos, curias agrimessoris stvdio ac sollicitudine, non tamen funiculo, sed uisu et animo perlustrauimus, et intra consciencias nostras diuino timore constricti et auctoritate nobis commissa freti quandam localis limitationis formam inter predictas ecclesias publicandam concepimus, et in nomine patris et filii et spiritus sancti eandem in hiis scriptis pronunciamvs et sollempnizamus per sentenciam arbitrariam absque retractione qualibet perpetuo valituram. Ingredientibus ciuitatem *Brunnam* per portam, que burgum respicit, qui antiqua Brunna dicitur, per plateam inferiorem, que in forum antiquum tenditur, per directum ad portam, que Menesensium nuncupatur, non curato eo, quod ianue domorum in pretactam plateam uel in predictum forum pateant, quidquid a*d* dexteris fuerit, ad ecclesiam sancti Petri, quidquid a sinistris extiterit, tam in plebibus quam in plateis et domibus, ad ecclesiam sancti Iacobi ordinatione ac diffinitione nostra perpetuo pertinebit. Omnia vero, que extra muros in suburbio ad predictas ecclesias anno domini M. CC. LXXXX. anno tercio inchoante pertinebant, illa tam in plebe quam in domibus ad easdem ecclesias sub eisdem iuribus, nulla nouitatis forma introducta constituimus pertinere, hoc dumtaxat excepto, quod omnes censuales domus ecclesie sancti Petri, quas nunc possidet, que ab ecclesia sancti Iacobi ecclesiastica percipiebant sacramenta, una cum capella leprosorum, que in fundo sancti Petri sita est, ad eandem sancti Petri ecclesiam sub omni parrochiali ac ecclesiastico iure ammodo penitus deuoluantur. Sane si qui homines vel si que domus ab hodie in posterum emptione, seu permutatione, sev donatione, sev quocunque alio tytulo ecclesie sancti Petri accesserint, suam propter hoc parrochiam non mutabunt. Ab hodierno igitur die huius negocii legittime diffiniti omnis cesset refrigacio, sed et omnis questio de perceptis in preterito fructibus, uel qui percipi ab alterutra parte potuissent, in perpetuum sit mortua et sepulta. In cuius rei testimonium presentes litteras conscripsimus, nostro sigillo, nec non sigillis venerabilium patrum de Sar, de Zmilenheim, de Trebets, de Lvca, de Zaberdowicz abbatum, et domini Heinrici archidyaconi Bratizlauiensis et canonici Olomucensis, et abbatissarum et conuentuum de Tvsnawitz et de Ozla fideliter communitas. Actum et datum in monasterio fratrum Minorum Brunne. Anno domini M. CC. LXXXX. III. VI. Kalendas Ivlii. Indictione sexta.

Ex originali monasterii Tišnowicensis.

CCCXXI.

Thas de Lomnice dat monasterio Tišnowicensi pro villa Eiwany praedium in Žerkowice. Dt. Brunae, V. Idus Novembris, **1293.**

Nos Thaszo, dominus in Lomnitz, ac dilecti filii nostri, domini Ienzo, Thaszo, Bnsatho. Notum facimus singulis ac vniuersis presens scriptum inspecturis, quod nos prehabito consilio, venerabilibus dominabus, domine . . abbatisse et conuentui dominarum monasterii *Thusnawicensis,* pro villa *Ywans* et omnibus pertinenciis suis, cum omni iure, quo eam pro remedio anime felicis memorie dilecte matris nostre domine Offemie tenuerant, dedimus vice concambii duos laneos et quatuor curticulas in *Schirkewitz,* et paruulam vallem cum suis lignis, que retro allodium ibidem in Schirkewitz iacet, cum omni iure proprietatis ac dominii, sicut nos possedimus, sine impedicione et contradiccione nostra et amicorum nostrorum perpetuo libere possidendum. Ne autem prefata commutatio possit in posterum per aliquem immutari, presentem paginam nostro sigillo sigillauimus, et sigillo domini Mathei de Schirnahor, et sigillo supra dicte domine abbatisse de Porta celi, quod vvlgo dicitur Thusnawitz, fecimus communiri. Facta est hec commutatio in Brunna, anno domini M. CC. nonagesimo tercio, presentibus testibus ad hoc rogatis et vocatis: Domino Witgone de Swabenitz, domino Matheo de Schirnahor, domino Witgone de Luzka et aliis quam pluribus fide dignis. Datum in loco prefato quinto Ydus Nouenbris, id est secunda feria proxima ante diem beati Martini confessoris, tempore colloquii generalis. Indictione VII.

Ex originali cum tribus sigillis appensis in archivo ejusdem monasterii.

CCCXXII.

Agnes, uxor domini Wjtek de Swábenice confert monasterio Zarensi mediam partem villae Křižanow. Dt. Brunae, XI. Kalendas Decembris, **1293.**

In nomine domini amen. Qve intuitu eternarum aguntur, ne per obliuionis incuriam in irritum reuocentur, sed pocius pietatis posteris dent exemplum, necessarium est et perutile, vt litterarum testimonio stabile recipiant fundamentum. Eapropter ego *Agnes,* filia domini ac nobilis Bosconis, fundatoris monasterii fontis sancte Marie in *Sar,* ordinis Cisterciensis, Pragensis diocesis, vxorque domini *Wiligonis* de *Vpa,* profiteor per presentes, et ad noticiam vniuersorum Christi fidelium deuenire cupio, quibus fuerint preostense, quod, dum de futuris sollicite meditarer feruore pietatis accensa de bona voluntate heredum meorum, scilicet Gerardi et Seborii ac filiarum mearum, videlicet Hedwigis et Margarete mediam partem ville mee, dictam *Crisan,* que totaliter ex dote me contingit, ob honorem gloriose virginis Marie in remedium anime mee et meorum progenitorum monasterio contuli prenotato, solo vsu fructuario michi in ipsa villa pro vite mee tempore reseruato, sic quod, cum viam carnis ingressa fuero vniuerse, ex tunc ipsam mediam partem ville sepedicte cum agris, pratis, siluis, piscacionibus, areis siue curticulis et omnibus attinentiis suis omnique iure sibi competente, vt ipsa possedi, monasterium prefatum in perpetuum possidebit pacifice et quiete, ita duntaxat, quod si aliquis heredum meorum vel dilectus maritus meus Witigo dictam partem ville prefate exsoluere voluerit, dabit monasterio centum marcas puri argenti et rehabebit omni contradiccione remota. Vt autem hec donacio mea sine impedicione, impeticione, reuocacione seu qualibet reclamacione inuiolabiliter perseueret, presentes litteras exinde confectas mei sigilli volui munimine roborari. Datum in Brunna, apud sanctum Michahelem, anno domini M. CC. XC. III. XI. Kalendas Decembris, indiccionis sexte.

Ex originali ejusdem monasterii, cui sigillum cum insignibus in mediam partem familiarum de Swábenice et de Kunstadt appensum est. — Excusum incorrectius ad annum 1290 apud Steinbach — II. pag. 40.

CCCXIII.

Wenceslaus, rex Boemiae et marchio Morariae, homines monasteriorum Geracensis et Pernecensis in Moravia constitutos a jurisdictione beneficiariorum eximit. Dt. Viennae, IV. Idus Decembris, 1293.

Wenceslaus, dei gratia rex Bohemie, dux Cracouie, et Sandomirie marchioque Morauie, omnibus suis iudicibus siue officiariis gratiam suam et omne bonum. Fidelitatem vestram presentibus uolumus non latere, quod nos ob diuine mercedis intuitum, et ob salutem anime nostri patris pie memorie, viris religiosis ordinis Premonstratensis ecclesie in *Gerusch*, et dominabus eiusdem ordinis in *Pernech* talem contulimus gratiam specialem, vt si quis colonorum propriorum in homicidio, siue furto, siue oppressione uirginum, uel alterius enormis facti perpetratione, commissione, cuius mortem subire teneretur, fuerit deprehensus: precipimus uobis nostre gratie sub obtentu, quatenus de bonis ipsorum colonorum uos nullo modo intromittatis, sed bona illa, si qua fuerint, in usus predictarum personarum religiosarum penitus redigantur. Verumtamen cum personis predictorum malefactorum, quemadmodum ordo iuris exigit, faciatis. Ad cuius rei consoliditatem et perpetuitatem predictis personis religiosis presentia dedimus scripta nostri sigilli munimine roborata. Datum Vienne, anno domini MCCLXXXXIII. quarto idus Decembris.

Marian — Oesterreichische Klerisei IX. pag. 135.

BINDING SECT. JUL 10 1967

DB 543 C66 t. 4

Codex diplomaticus et epistolaris Moraviae

PLEASE DO NOT REMOVE
CARDS OR SLIPS FROM THIS POCKET

UNIVERSITY OF TORONTO LIBRARY